

Series II. - « ANALECTA OSBM » - Sectio III.
Серія II. - « ЗАПИСКИ ЧСВВ » - Секція III.

DOCUMENTA PONTIFICUM ROMANORUM
HISTORIAM UCRAINAE ILLUSTRANTIA
(1075-1953)

VOL. II.

1700-1953

COLLEGIT INTRODUCTIONE ET ADNOTATIONIBUS AUXIT
P. ATHANASIUS G. WELYKYJ OSBM

R O M A E 1 9 5 4
PP. BASILIANI - PIAZZA DELLA MADONNA DEI MONTI 3

SUMPTIBUS UCRAINORUM APUD EXTEROS DEAGENTIUM

ANALECTA ORDINIS S. BASILII MAGNI

SECTIO III

Series II. - « ANALECTA OSBM » - « ЗАПИСКИ ЧСВВ » - Серія II.

Sectio III:

DOCUMENTA ROMANA ECCLESIAE UNITAE
IN TERRIS UCRAINAE ET BELORUSSIAE

CURA PP. BASILIANORUM COLLECTA ET EDITA

DOCUMENTA PONTIFICUM ROMANORUM

VOL. II.

*DOCUMENTA PONTIFICUM ROMANORUM
HISTORIAM UCRAINAE ILLUSTRANTIA*

(1700 - 1953)

SUMPTIBUS UCRAINORUM APUD EXTEROS DECENTIUM

R O M A E

Series II. - « ANALECTA OSBM » - Sectio III.
Серія II. - « ЗАПИСКИ ЧСВВ » - Секція III.

DOCUMENTA PONTIFICUM ROMANORUM
HISTORIAM UCRAINAE ILLUSTRANTIA
(1075-1953)

VOL. II.

1700-1953

COLLEGIT INTRODUCTIONE ET ADNOTATIONIBUS AUXIT
P. ATHANASIUS G. WELYKYJ OSBM

R O M A E 1 9 5 4
PP. BASILIANI - PIAZZA DELLA MADONNA DEI MONTI 3

SUMPTIBUS UCRAINORUM APUD EXTEROS DEAGENTIUM

IMPRIMI POTES

Romae, e Curia Generali Ordinis Basiliani S.ti Josaphat, die 15.V.1954

P. PAULUS, P. MYSKIV O.S.B.M.
Protoarchimandrita - Superior Generalis

IMPRIMATUR

Romae, e Vicariatu Urbis, die 16.VI.1954

† **ALOYSIUS TRAGLIA**
Archiep.pus Caesarien. Vicesgerens



**DANIEL REX UCRAINORUM
MCCLIII - MCMLIII**

**Postquam Innocentius "insigne regium Danieli, Romani filio,
solemnibus caeremoniis imposuit" septimo revoluto saeculo**

(Pius XI, an. 1923)

DANIEL . TIMERE . NESCIVS
TARTARORVM . FVRORI . STRENVE . OBSTANS
CHRISTIANAM . DEI . CIVITATEM . VIRILITER . EST . TVTATVS
PATREMQVE . UNIVERSALEM . INNOCENTIVM . AGNOSCENS
ROMANO . REGVM . DIADEMATE . PRAECINCTVS . FVIT
INTEGRA . DEIN . FIDELITATIS . SERVANS . IVRIS IVRANDA
QVA . IN . CRIMEN . VOCATVS . QVA . ACRITER . DEBELLATVS
EAMQVE . POPVLO . VCRAINAE . TRADIDIT . TVTANDAM

H A N C
POPVLVS . VCRAINARVM . TERRARVM
AD . NOSTRA . VSQVE . TEMPORA . FIDELITER
SERVAVIT

ANIMOQVE . NVNC . GRATO . GRATAQVE . MEMORIA
ACTA . GLORIOSA . RECOLENS . DANIELIS
FIDELITATEM . INNOCENTIO . IVRATAM
SAECVLO . SEPTIMO . REVOLVTO

P I O
CONFIRMAT

P R A E F A T I O

Primo Documentorum Pontificum Romanorum volumine historiam Ucrainae illustrantium in lucem edito universalique undequaque accepto cum plausu, secundum iam volumen typis impressum in lucem proditum iri laetanter nuntiamus. Non est necesse, ut quid perpulchre dictis in praefatione primi voluminis addamus. Nam unicuique patet Collectaneorum praesentium momentum, indoles simul et fines. Attente vero textus ipsos perlustranti ipsi alloquuntur Romani Pontifices, verbis usi sat claris.

Proin pauca nostra ex parte praefati ad alias res animum nostrum intendimus, ad illos nempe viros ecclesiasticos, qui labori nostro adiutrices dederunt manus addideruntque animum, ne ab opere incepto cessaremus, difficultatibus undique obruti. Non nostris ipsis viribus opus hoc arduum ad felicem perducere finem potuimus. Unde viri ecclesiastici, studio fidei catholicae incensi, consiliis opibusque conlatis nobis valde affuerunt, ut monumentum hoc « aere perennius » Danieli, Regi Ucrainorum, perficeremus. Ex cotidiana nostra consuetudine nobis satis constat eos de seipsis nullo cogitasse modo, attamen reipsa etiam sibimetipsis munificentiae extruxisse monumentum nemo est qui non videat. Nostrum vero munus et officium est, ut etiam posterorum animos hisce de rebus moneamus.

Officium hoc complentes verba mentemque nostram imprimis ad Exsulem de Colle Janiculensi convertimus, qui ucrainorum exsulibus per orbem dispersis attentam navat curam, ad Joannem dicimus Bučko, nunc Archiepiscopum Leucadensem, qui quatuor amplius lustra titulo Cadoëni condecorabatur, et quinque lustra pastorem simul et pontificalem exercet laborem per totum fere terrarum orbem, in Ucraina nempe Occidentali, in Brasilia Argentinaque nec non in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, in totaque Europa Occidentali usque ad Scotiae Suetiaeque septentrionales oras.

Inter labores fere viribus unius impares hominis, ipse de praeteritis cogitans futura parare studet. Cumque nos his ipsis ducti cogitationibus Documenta Romana edenda curare coeperimus, ipse, Exsul inter exsules egenos, viduae evangelicae instar « aera minuta duo » sua suorumque collata ad Documenta haec edenda contulit, et annum XXV a pontificatu inito bene quasi corona ornavit.

Sit proin volumen hoc alterum Documentorum Pontificum Romanorum, Danieli Regi Ucrainorum dicatum, fausti huius anniversarii memoria (1929-1954) perennisque gratitudinis posterorum causa.

Hanc nos praecurrentes nomine proprio hoc in loco ex animo offerimus Deumque supplices exoramus, ut Archipraesulem Leucadensem pro rei publicae christianae ucrainaeque bono quam diutius servet incolumem omnibusque cumulet bonis supernisque muneribus, quae etiam omnibus, qui ex ucrainorum apud exteros degentium coetu operi huic exstruendo liberaliter contulerunt, pari exoptamus animo.

P. ATHANASIUS GREGORIUS WELYKYJ O.S.B.M.



JOANNES BUCKO

**Episcopus olim tit. Cadoënis nunc Archiepiscopus Leucadensis
Visitator Apostolicus pro ucrainis in Europa occidentali degentibus
Editionis «*Documentorum Pontificum Romanorum*» Promotor**

ANNO XXV EPISCOPATUS

INTRODUCTIO

De historia

Praehabitis iis, quae copiose diximus in *Introductione* ad I volumen *Documentorum Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantium*, pauca tantummodo addimus, quae spectant tempus, quod ducitur a saeculo XVIII ad saeculum XX.

Saeculo XVIII Ucraina, post tempus secundi regni, quod dicitur cosacicum, omnino desiit sui iuris esse, tum in parte orientali tum occidentali. Pars enim Ucrainae orientalis quae inde ab anno 1654 vi cessit politicae Moscoviae, saeculo XVIII durante pars imperii Moscovitici facta est, urbe principe — Kyjiv inclusa. Petrus I, Moscoviae Imperator, Ucrainam politice oppressit. Immo, occasione rebus politicis Regni Poloniae Lithuaniaeque se immiscendi arrepta in clerum etiam unitum Ecclesiae Catholicae nec non fideles eiusdem violentas immisit manus, qua de re Clemens PP. XI gravia scripsit verba ad Regem Poloniae, deplorans violentiam, ex eo quod ucraini catholici « gravissimas iniurias atque etiam quandoque caedes pertulerint, cum praesertim Catholicorum tum saecularium tum regularium ecclesiae inter quas cathedralis Polocensis aliaeque parochiales et monasteria praefati Ordini direptioni ac igni data, ac funditus eversa, ipsique monachi prope omnes sedibus suis pulsati, ac utquequaque dispersi ac profugi, ac demum silentium rebus sacris ac divinis in illis partibus indictum indubium testimonium praebere possint, quinam veri ac certi iniuriarum et tot malorum auctores extiterint » (Cfr. infra, p. 23).

Eius, qui proxime secuti sunt, successores in opere incepto ulterius progressi sunt, vitam tum culturalem tum ecclesiasticam tum demum politicam ac socialem ad exempla dirigendo moscovitica. Catharina praesertim II (1763-1796) societatem destruxit ucrainam tum in altioribus tum in infimis populi ordinibus, et partibus etiam occidentalibus cis Borysthenem in suam redactis potestatem (1772, 1793, 1795), contra Ecclesiam Catholicam Ucrainam violenta, immo armata processit manu. Ex Ecclesia olim florente primo eiusdem saeculi dimidio anno 1796 in terris Ucrainae, dominio Moscoviae subiectis, nulla superfuit Eparchia, nullusque Episcopus munus suum pastorale exercere potuit. Metropolita Kioviensi catholico, Theodosio Rostockyj, Petropolim relegato, ex tota Provincia ecclesiastica Kioviensi unus mansit Archiepiscopus Polocensis, in Biejarusja, sanguine olim S. Josaphat irroratus, qui proprio non careret Pastore, etiamsi omni ex parte insidias interposito.

Post mortem Catharinae II eius proximi successores Paulus I et Alexander I (1796-1825) a persequenda hostiliter Ecclesia Catholica Ucrainae parumper cessarunt, faventes modernae religiosae tollerantiae, quae dicitur, potius quam iustitiae. Ecclesia proinde parumper instaurata, evectus est mox Nicolaus I (1825-1855) ad supremum Imperii Moscovitici regimen, qui Eccle-

siae et populo Ucrainae infensissimum se praebuit. Bene de toto hoc temporis spatio scripsit anno 1945 Pius PP. XII:

« Attamen imperscrutabili Dei consilio factum est ut, XVIII saeculo iam vergente, haec eadem communitas insectationibus vexationibusque non paucis afficeretur; quae quidem, postquam Poloniae res publica discerpta est, eis in partibus, quae Russorum Imperio coniunctae erant, acriores interdum acerbioresque fuerunt. Atque, Alexandro I Imperatore vita functo, consilium de industria ac temerario ausu susceptum est Ruthenorum cum Romana Ecclesia unitatem penitus infringendi. Iam antea, huius gentis Eparchiae ab omni fere cum Apostolica Sede commercio interclusae erant. Sed mox Episcopi electi sunt, qui, schismatis studio imbuti atque permoti, pedisequi civilis auctoritatis fautores evadere possent; in Vilnensi Seminario, ab Imperatore Alexandro I excitato, utriusque ritus clericis doctrina impertiebatur Romanis Pontificibus infesta; Basilianus Ordo, cuius sodales Catholicae Ecclesiae orientalibus ritibus fruenti maximo semper adiumento fuerant, proprio regimine propriaque administratione privatus, eius monachi ac coenobia Eparchialibus Consistoriis penitus subiecta; ac denique latini ritus sacerdotes ne sacramenta aliave religionis munimina Ruthenis subministrarent, gravibus poenis prohibiti. Ac tandem, proh dolor, anno MDCCCXXXIX Ruthenae Ecclesiae cum dissidente Russorum Ecclesia copulatio sollemniter conclamata est.

Quisnam enarraverit, Venerabiles Fratres, dolores, iacturas rerumque angustias, quibus nobilissima Ruthenorum gens eo tempore affecta est, idcirco solummodo in crimen in culpamque vocata, quod, per vim, per fraudem cum esset ad schisma compulsa, illatae sibi iniuriae reclamavit, ac fidem suam retinere pro facultate enisa est » (Cfr. infra, pag. 579).

Cum vero « haud multos post annos Chelmensis etiam Eparchia, ad Poloniae Regnum cum Russorum Imperio unitum pertinens, miseram eandem sortem perpassa est; et qui christifideles a recta fide desciscere noluerunt, atque impositae anno MDCCCLXXV cum dissidente Ecclesia coniunctioni, pro officii conscientia, invicto pectore obstiterunt, iidem qua pecuniaris poenis, qua verberibus, qua exsilio indigne mulctati sunt » (Pius XII, an. 1945), sedes praecipua religionis christianae nominisque catholici, Metropolia nempe Kioviensis, suis cum suffraganeis Ecclesiis esse desiit.

Sed Deus O.M. populum suum ad finem usque non dereliquit, partemque occidentalem Ucrainae catholicis subdidit Imperatoribus S. Romani Imperii, deinde Austriae, qui Ecclesiis Leopoliensi, Peremyliensi, Munkacsiensi et dein Prjašivensi et demum Stanislao-politanae liberam paraverunt viam ad S. Petri pascula, unde « nobilissima haec gens Catholicae Ecclesiae conserta est, cuius proinde vitam vivit, cuius veritate collustratur, cuius gratiae fit particeps. Hinc supernae scatebrae rivuli proficiscuntur, qui ita omnia pervadunt ac permeant, ut pulcherrimi educi queant virtutum omnium flores, atque uberes gigni saluberrimique fructus » (Ibid, p. 584). Longe abest a nostro proposito, ut fructus hos hic obiter perstringamus. Lectori enim perpulchra verba Pii PP. XII ad « *Orientales omnes Ecclesias* » (23.XII.1945) in memoriam revocamus, quibus pulchram et gloriosam texuit Ecclesiae Ucrainae Catholicae historiam, tum illius quae saec. XIX violenter oppressa in ruinam lapsa est, tum illius quae hac et illa parte montibus Carpatiis est propinquior, quaeque suas « graves habuit difficultates », cum « praesertim primum Europae omniumque fere Nationum bellum regiones illas pervasta-

verit (ibidem, p. 580), quo tempore Moscovia ultimam hanc Ucrainae catholicae partem in suum redigere conata est dominium tum politicum tum etiam ecclesiasticum, Metropolita Haliciensis « e sua sede detruso, et in coenobium deportato, ibi certo saltem tempore in custodiae loco detento » (Ibid., p. 588). Spectator vero ac testis qui ex Vaticana specula sortem populorum attenta prosequitur et sollicita cura, Benedictus PP. XV, tempus hoc triste simul et gloriosum novi ortus tum nationalis tum catholicae fidelitatis describens tale dedit testimonium :

« Ed è veramente con anima affranta che Noi, pensando ai Ruteni, ricordiamo le belle città saccheggiate, i tranquilli villaggi incendiati, le ubertose campagne corse e ricorse da eserciti sterminati. E col pensiero del popolo, sono tuttora presenti al Nostro spirito le loro chiese devastate, le immagini sacre infrante, i sacri paramenti fatti strumenti di ludibrio, e più di ogni altra cosa, ciò che Ci riempie di raccapriccio, le Specie Eucaristiche calpestate da incoscienti fanatici. Gli orrori della fame, delle crude stagioni, delle ferali malattie, delle atroci sevizie, le prigioni di cui ella stessa, Venerabile fratello, porta tuttora le stigmate, le uccisioni di venerandi sacerdoti, di vecchi imbelli, di deboli donne, di tanta fiorente gioventù, tutti rei di mostrare attaccamento al proprio rito; tutto ciò è ben dipinto al Nostro sguardo, ed insieme ad un senso profondo di paterna pietà Ci ispira di innalzare a Dio una speciale preghiera, onde ottenere che dopo tante prove degnisi la divina Clemenza di riguardare benigna un popolo valoroso, che tanto ha saputo soffrire per la conservazione del suo rito, palladio della sua nazionalità » (Ibid., p. 529).

Sed, Deo permittente, praevaluit iniquitas. Partibus terrae Ucrainae hic inde distractis et occupatis occidentalibus et quae meridiem versus spectant, pars orientalis cum foederatis rebus publicis sovieticis est coniuncta vitamque hucusque homine et christifidele ducit indignam. Nec bello universali secundo saeviente nec post meliora populo Ecclesiaeque Ucrainae advenierunt tempora, etiamsi « universae fere terrarum orbis Nationes cum per legatos suos in unum convenissent, dum immane adhuc saeviebat bellum, hoc in sollemni coetu inter alia edixere adversus religionem numquam fore insectationem suscipiendam » (Ibid., p. 589). Nam partibus etiam Ucrainae occidentalibus occupatis spretoque iure divino et humano in rebus politicis et socialibus catholici ucraini illarum partium « propter suam erga Sedem Apostolicam fidelitatem gravibus affecti sunt angustiis » (Ibid., p. 589), quorum Episcopi « inter primos, defendendae religionis causa, aerumnas, luctus, iniurias tolerarunt... » et « nonnulli gloriosam iam mortem oppetiere » (Ibidem, 614). Ita evenit ut ultima etiam pars Ecclesiae Catholicae Ucrainae in patria summa iniuria sit oppressa, et non nisi illi christifideles, qui apud externos morantur, simul cum suis Exarchis in libera catholicae fidei professione permanent. Sed historia Ecclesiae Ucrainae inspecta, non est cur animo concidamus. Nam non humana de re agitur, sed de divina. Unde et Pius PP. XII, summas inter populi Ecclesiaeque Ucrainae angustias et oppressiones, clamat ad « *Orientalis Ecclesias* » conversus: « Longe igitur absit, Venerabiles Fratres, ut animo concidatis. Quemadmodum maiores vestri tot difficultates, insidias, pericula, strenua voluntate ad martyrium usque decertando, invicti superarunt, ita vos ex Orientalium Rituum Ecclesiis, una cum Latini Ritus

christifidelibus arctissime coniuncti, caelestium gratiarum auxilio innixi, nihil timeatis » (Ibid., p. 615).

Et non solum sunt verba Pontificis, fel. regn., sed omnium Petri Successorum, prout etiam ex nostris constat Documentorum collectaneis. Hac praesertim ratione ducti opus hoc hisce temporibus in lucem edere utile fore duximus. Nam luce clarius patet populum, Ecclesiamque Ucrainae inter gravissimas positum angustias et persecutiones omne genus in colle Vaticano animam habere plenum paterni amoris, pastoralis vigilantiae et amicae sollicitudinis.

Prodeant igitur haec Collectanea ad maiorem Dei gloriam, ad Ecclesiae Sanctae exaltationem, Successorum Petri laudem et populi ucraini utilitatem et iuvamen.

De fontibus

De fontibus nihil fere addere necesse est, nam ex unoquoque documento sat clare patent. Commemoramus tantummodo praeter fontes, quibus existere ipsa documenta comprobatur, in primo volumine adductos, saeculo praesertim XIX et XX, ad SECRETARIAM BREVIUM APOSTOLICORUM et CANCELLARIAM APOSTOLICAM nostros convertere debuimus frequentiores gressus, quod spectat documenta nondum edita. Ex fontibus editis praeprimis adduci possunt *Acta Gregorii PP. XVI, Acta Pii PP. IX, Leonis XIII et Pii PP. X*, nec non *Acta Apostolicae Sedis* inde ab anno 1908.

Confiteri denique debemus nos non omnia habere potuisse documenta temporis recentioris, quia eorum editio ab usu Curiae Romanae abhorret. Sed agitur maxima pro parte de documentis minoris momenti, vel potius ad certas personas pertinentibus. Ex alia parte plurima documenta, quae olim per Breve Pontificium expediebantur, hodie Decretis Sacrarum fiunt Congregationum Romanarum. Inde numerus documentorum pontificiorum his nostris temporibus valde est imminutus.

His praefatis si quid nostris Collectaneis desit adscribendum est nostrae imprudentiae vel imperitiae. Suppleant proinde temporis progressu alia alii.

Exceptis denique excipiendis, si quis error irrepserit in nostra Collectanea, praeter nostram intensionem vel voluntatem id accidisse declaramus nec Viris illis Illustribus, qui documenta haec conficiebant, adscribendus est. Nam de regestis agitur, non de ipsis primigeniis exemplis, quae sola valorem habent authenticum et iuridicum.

Gratias denique agimus omnibus, qui in opere conficiendo nobis quocumque modo consilio vel auxilio adfuerunt.

DOCUMENTA PONTIFICUM ROMANORUM
HISTORIAM UCRAINAE ILLUSTRANTIA

VOL. II

(1700 - 1953)



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

CLEMENS PP. XI
(23.30.XI.8.XII.1700 — 19.III.1721)

urbinatensis
(Franciscus Albani)

DOCUMENTA CLEMENTIS PP. XI

624.

Romae, 18 . VII . 1701

Congratulatur Pontifex cum Episcopo Leopoliensi nuper fidem catholicam publice professo.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 83 fol. 138v-139v.

Venerabili fratri N. Szumlanski, Episcopo rutheno¹;
missum fuit absque superscriptione.

CLEMENS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Provide ab Auctore totius consolationis dispositum fuisse arbitramur, ut oleum gaudii pro spiritu moeroris Fraternitatis Tuae literae tunc temporis nobis afferrent, cum ob demandatum infirmis humeris nostris Universalis Ecclesiae regimen gravibus, anxiiisque (f. 139) cogitationibus noctu diuque detinebamur. Solidi enim gaudii argumentum pontificio nostro cordi fuit tunc officium, quo non tam nobis amplissimae dignitatis splendorem gratulatus es, quam libere, ac ingenue explicasti, te Vicariam Christi in terris potestatem in persona nostrae humilitatis agnoscere, in tamque pridem, etsi privatim, (ut res ferebant)² cum Apostolica hac Sede, ac Romana Ecclesia in professione fidei unitatem, publice nunc tandem complecti, quo uberius etiam testatur eiusdem Actus documentum, tua manu obsignatum, quod una cum tuis literis ad Nos deferri curasti. De quo sane successu Nos ita laetamur sicut qui laetantur in messe, non enim, mittente te manum ad aratrum, exigua eat spes spiritualis proventus, quam animo nostro concipimus, sed imo in Domino confidimus, multos ad agnitionem veritatis exemplo, et hortatu tuo (quod iam feliciter caeptum esse novimus) non multos post esse perducendos. Et tunc quidem gaudium nostrum nemo tollet a nobis, cum, te nobiscum allaborante, dabitur nobis desuper alligare ad comburendum zizania, quae isthic inimicus homo superseminavit, et fructum centesimum, quem ex tua vocatione nobis pollicemur, in horrea caelestia tecum cum exaltatione referre.

Quae sane paternae nostrae caritatis vota etsi per orbem universum ad eos omnes, qui nobiscumque non colligunt, extendantur, speciali tamen qua-

¹ Josepho Szumlanskyj, Episcopo Leopoliensi (1676-1708), occasione publicae professionis fidei catholicae et reunionis suae Eparchiae. Fidem catholicam iam inde ab an. 1677 profitebatur. Anno 1681 declarationem unionis dedit. Sed tantummodo anno 1700 simul cum tota Eparchia Unionem cum Ecclesia Catholica promulgavit. Cfr. vol. I, nota 240.

² Anno 1677 et anno 1681. Cfr. supra 11-IX-1677.

dam ratione respiciunt salutem Graecae Nationis, quam Nos singulari semper animi nostri propensione prosecuti sumus, ita ut nihil optemus, quam ut ipsa tandem nobiscum in perfecta fidei unitate, atque integritate consentiat, ut optata diu in Christo, et in Ecclesia animorum concordia in diebus nostris tandem conclametur.

Age itaque, Venerabilis frater, ut cumules tua in Deo promerita; lumen quod ipse alacriter subsecutus es, praefer ubique ad illuminanda abscondita tenebrarum, dum Nos nunquam piis tuis conatibus deerimus, parati eos omnes paternis brachiis excipere, qui, miserente Domino, a facie gladii, id est divisionis, a fugient. Fraternitati interim Tuae non interituri amoris nostri pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, etc., die 18 Junii 1701, etc.

625.

Romae, 17 . X . 1705

Pontifex dolet de persecutionibus Ecclesiae Unitae et praesertim Ordinis Basiliani, a Moschis oppressi .

ASV, Ep. ad Principes, vol. 884, fol. 222-223.

Venerabili fratri Leoni, Archiepiscopo Chioviensi³.

CLEMENS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Perculsi repentiore monitu gravissimi periculi imminentis fidelibus istarum partium, imo etiam illati nonnullis religiosis viris Ordinis Basiliani Ecclesiae Romanae in catholicae religionis professione unitis quemadmodum percepimus ex literis Fraternitatis Tuae, a Venerabili item fratre Horatio Philippo⁴, Archiepiscopo Episcopo Lucensi, Nuntio nostro, ad Nos transmissis, intimo cum dolore coram Deo procubuimus enixe eum rogantes, ne, qui misericordiae fons est, sinat sanguinem innocentem, sanguinem filiorum suorum effundi, nec patiatur per manus hostium fidei pollui templum sanctum suum, nec demum deserere velit servos suos in tempore malo. Omnem vero quam possumus opem rebus istis afferre solliciti charissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem, illico monuimus, ac ferventi studio obsecravimus, ut ea statim deligat media, ineatque consilia, quae ad eximendos a tot malis, atque calamitatibus fideles istos magis expedire arbitrabitur. nihilque intentatum relinquat in hoc negotio, in quo divini honoris causa manifeste agitur ut medium ipsi congruat, sed etiam omnino incumbat diligentissime in eo versari, si velit Deum sibi, rebusque suis propitium habere, quod etiam faciet ad conciliandum ipsi arctius pontificiam nostram benevolentiam.

Interim oportet, ut Fraternitas Tua hac occasione zelum suum, si quam unquam, proferat, palamque explicet, et tum exemplo, tum monitis curet fidelibus sibi commissis in tanto periculo animos addere, ne ob ingruentem adversitatem plus animo commoveantur, aut ne forte vitae, aut terreni commodi amore ducti, animae, quae longe maximi est pretii, iacturam faciant, sed

³ Leo Slubič Zalenskyj (1694-1708).

⁴ Horatius Philippus Spada, Nuntius Varsaviensis (1703-1705).

imo quo magis impelluntur, ut cadant, eo magis adhaereant veritati, scientes quod id, quod in praesenti est momentaneum tribulationis nostrae, aeternum gloriae pondus operatur in nobis. Ingens itaque apud Deum meritum, pro magnitudine occasionis, comparare sibi satagat Fraternitas Tua, cui Nos veram in Deo fortitudinem et constantiam apprecantes Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, etc., die 17 Octobris 1705.

626.

Romae, 17 . X . 1705

Episcopo Luceoriensi de persecutionibus Ecclesiae Unitae.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 84, fol. 223rv.

Venerabili fratri Episcopo Luceoriensi⁵.

CLEMENS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Ingentibus curis, quibus pro praesenti luctuosissimo Christianae Reipublicae statu circumdamur, additus profecto est cumulus, ubi audivimus, quid actum sit non ita pridem in civitate Plocensi adversus nonnullos religiosos viros Ordinis Sancti Basilii⁶, Sanctae Romanae Ecclesiae in cultus catholicae fidei unitos, ut quidem casus gravitate, et acerbitate praeter modum commoti, ac perturbati metuentes etiam, ne aliis item fidelibus similia pericula impendeant, vota nostra cum gemitu ad Deum effundimus ad exorandam pacem, atque incolumitatem Ecclesiae filiis, eisdemque congruam in tanta adversitate constantiam.

Gravissimis deinde verbis per Venerabilem fratrem Horatium Philippum

⁵ Ut videtur agitur de Episcopo Luceoriensi Ritus Rutheni, Dionysio Żabokryckyj, qui anno 1702 Eparchiam suam Ecclesiae Catholicae univit.

⁶ Agitur de famoso excidio Basilianorum Polocensium. Ad meliorem intelligentiam Brevium huius anni nec non posteriorum anni 1710 utile duximus hic relationem Card. Pignatelli adducere, habitam in Congr. S. C. de Prop. Fide, 22 . XII . 1705.

Relationes E.mi Pignatelli.

Monsignor Metropolita della Russia, e Monsignor Vescovo di Luceoria, Ruteno unito, con lettera delli 28 d'Agosto passato ragguagliano l'EE.VV. della crudelità usata dal Czar, di (f. 387v) Moscovia in odio della religione cattolica con i Monaci di S. Basilio, Ruteni uniti, del Convento Polocense con haverli quasi tutti uccisi. Il fatto è il seguente.

Havendo il Czar determinato di andare con grosso esercito contro il Re di Svezia in Polonia convocò tutti i Prelati del suo Dominio affinchè gli dessero la loro benedizione; questi dissero unitamente che non gli sarebbe giovata la loro benedizione, se non avesse sradicata in Polonia, e nelle circonvicine Provincie la Santa Unione, mediante la quale s'erano dalla loro fede sottratte diverse Diocesi vastissime, con aggregarsi al Pontefice, et alla Chiesa Romana. Al che dopo qualche repugnanza havendo il Czar consentito, e presa la loro benedizione subito entrato nei confini della Polonia fece lacerare tutte l'imagini che potevano travarsi di S. Giosafat, molto venerato da Ruteni uniti, per essere egli stato martirizzato per la S. Unione (f. 338). Giunto poi nella Città di Plosco, et entrato nella Cattedrale, ove si conservavano le reliquie di detto Santo, quali haverebbe fatte abbruciar, se non fossero state prima trasportate in luogo sicuro; interrogò uno di quei Monaci, cioè il P. Theofano Kalbieczynski, di chi fosse l'immagine che veneravasi sul Altare, e perchè portasse in testa un accetta; ed havendo inteso dal detto P. che rappresentava S. Giosafat, Vescovo e Martire, ucciso con quell'arme da suoi sudditi, soggiunse, e chi l'ha

Archiepiscopum, Episcopum Lucensem, Nuntium nostrum, admoneri volumus Maiestatem Regis Poloniae⁷, ut ea, qua par est, diligentia, omnique studio, et quibus poterit officiis, ac mediis compescere satagat excitatam adversus populos Ecclesiae fideles procellam, ne si forte remissius in re tam proxime catholicam fidem respiciente se gesserit, neglecti divini honoris reus iudicetur.

Verum quod pontificiae nostrae sollicitudinis imprimis est, et praecipuum etiam studium catholicorum Antistitem esse debet, curandum est, ne fideles in hoc periculo constituti abduci patiantur a gremio Sanctae Matris Ecclesiae. Qua in re Fraternitatem Tuam nedum sedulam, sed etiam invicto zelo (ut decet catholicum Antistitem) maxime incensam esse cupimus, ac prospectata sua virtute fore confidimus, cuius quidem pii laboris, et egregii operis praeter summam laudem, amplissimam mercedem a bonorum omnium Rebutore relaturum te esse ambigere non debes, quod ut feliciter tibi, Dei ope, contingat, Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuae peramanter imperitur.

Datum Romae, etc., die 1705, Pontificatus Nostri Anno quinto.

dichiarato, e fatto venerare per Santo, et udito dal Religioso, essere stato dichiarato tale dal Pontefice Romano, e che il medesimo Padre era unito colla S. Chiesa Romana, gli diede uno schiaffo, et una bastonata in testa, e fattolo cadere, e lacerare da un cane lo finì poi d'uccidere colla sciabla assieme col P. Giosafat Ankudowicz, che si trovava presente. Andato poi all'Altare gettò per terra il SS.mo Sacramento e perchè il P. Costantino (f. 388v) Lankoroski, Vicario di quel Convento, raccoglieva le Sacre Hostie, tagliategli l'orecchie lo fece impiccare, et abbruciare con i predetti PP. Teofane, e Giosafat, e colli PP. Giacomo Kizikowski, già Superiore di quel Convento, Clemente Rozniatouski, Giacomo Knyszewicz, Sacerdoti, Michele Kousalewski, Meletio Kondratovicz, Diaconi, e Gabriele Kolenda, Religioso Professo, uccisi in diverse maniere, assieme con i Servitori dell'istesso Convento. E perchè alcune donne presenti a tale spettacolo commiseravano il caso degl'estinti fece ad esse il Czar tagliare crudelmente le zinne. Saccheggiata poi la detta Chiesa, e Convento, la donò all'Arcivescovo scismatico, il quale per teme de Grandi del Regno havendola ricusata, fu chiusa dal Czar, e sigillata. Dopo di che ad istanza del Clero scismatico fece ammazzare molti altri Religiosi di altri Conventi, e discacciò dalla città tutte le Monache dell'istess'Ordine (f. 389) di S. Basilio.

Quali crudeltà essendosi dichiarato di voler usare con tutti i Monasterii de Ruteni uniti di quel Regno, e specialmente con il Metropolita, questi si sono fuggiti e nascosti ne luoghi più deserti, e paludosi implorando l'aiuto e protezione dell'EE.VV., acciocchè partecipato alla Santità di Nostro Signore questo accidente, et il pericolo grande della Unione, si passino dalla S. Sede i più caldi officii appresso il Re Augusto di Polonia, perchè prenda valida protezione degl'Oratori, e restino salvi i Prelati, Ecclesiastici, e popoli ruteni uniti, de quali il detto Czar medita, e minaccia il totale estermio, parendo essere venuto in Polonia per far guerra più tosto alla Santa Unione, che alli Svedesi, contro de quali è stato chiamato.

Rescriptum.

Dominus Nuntius Poloniae suspendat traditionem Brevium, et invigilet super iis, quae acta (f. 389v) sunt, et quae accidunt, et omnia referat.

Supplicetur S.mo ut dignetur scribere D. Vicecancellario Poloniae commendando ipsi res religionis catholicae.

(APF, *Acta S. C. de Prop. Fide*, vol. 75, fol. 387-389, n. 14, de data 22.XII.1705).

⁷ Ut videtur per Secretarium Status. Rex Poloniae tunc temporis erat Fredericus Augustus II Saxoniae (1697-1733). Sed annis 1704-1709 revera Stanislaus Leszczynski dominus Regni Poloniae considerari potuit, quia tunc temporis Carolus XII Rex Suetiae in bello contra Fredericum II et Petrum I Moscoviae praevalebat. Ibi tamen Pontifex scribere videtur ad Regem legalem Fredericum Augustum II, qui erat in foedere cum Petro I, de quo conquirebantur Monachi Polocenses, et Basiliani in genere.

627.

Romae, 7 . IV . 1707

Georgius Vynnyckyj, Ep. Peremysliensis, deputatur in Administratorem Ecclesiae Munkacsiensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2205, p. I, fol. 31rv.

Venerabili fratri Georgio Winicki⁸, Episcopo Praemisliensi,
Graeci Ritus uniti.

CLEMENS PP. XI. Venerabilis frater salutem etc.

Ex commissi nobis divinitus pastoralis officii debito spiritualibus Dioecesis Munkaciensis in Hungaria pastoris solatio destitutae, per obitum bo.mem. Josephi⁹, dum vixit Episcopi Sabasteni Graeci Ritus uniti, et in eadem Dioecesi Vicarii Apostolici, necessitatibus, quantum cum Domino possumus, providere cupientes, ac de tua fide, prudentia, charitate, vigilantia, integritate, et catholicae religionis zelo plenam habentes in Domino fiduciam, teque a quibusvis etc. censentes, de Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, te praedictae Dioecesis Munkaciensis Administratorem, cum facultatibus necessariis et opportunis per modum provisionis, et ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum auctoritate Apostolica, tenore praesentium constituimus, et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae etc. procurent; alioquin sententiam etc. observari. Non obstantibus Apostolicis etc. caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 7 Aprilis 1707, Anno 7.

628.

Romae, 5 . IV . 1709

Confraternitas Stauropigiana Leopoliensis recipitur sub immediatam protectionem et dependentiam S. Sedis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2251, fol. 34-37.

PETRUŠEVYĚ A., *Svodna halycko-ruskaja litopys; Dopolnenija*, Leopoli 1896, an. 1700-1772, v. I, p. 84-86.

CLEMENS PP. XI. Ad perpetuam rei memoriam.

Pastoralis officii cura, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commissa postulat, ut ea, quae piorum locorum quorumlibet, praesertim Confraterni-

⁸ Post mortem Josephi de Camillis (1689-1706), ob dissensiones circa ius nominationis in hanc Sedem nominatus erat Administrator in persona Episcopi magis vicini, qui erat Peremysliensis, Georgius Vynnyckyj (1700-1713). Sed ob machinationes Josephi Hodermarskyj in possessionem Vicariatus huiusmodi nunquam pervenit. Copiosa hac de re documenta conservantur in Archivo S. C. de Propaganda Fide.

⁹ Josephus de Camillis (1689-1706). Cfr. Breve sub data 5.XI.1689.

tatum, ac Domorum Regularium tranquillo statui felicique progressui conducunt, libenter concedamus, prout in Domino conspicimus salubriter expedire. Itaque dilectos filios Officiales, et Confratres Confraternitatis Stauro-pigianae nuncupatae Ruthenorum cum S.R.E. unitorum in civitate Leopoliensi¹⁰ sub titulo, seu invocatione Assumptionis Beatae Mariae Virginis, canonice (ut asseritur) erectae, nec non Monachos Monasterii Sancti Honuphrii Eremitae, nationis eorundem Ruthenorum, prope et extra moenia eiusdem civitatis siti, et ad dictam Confraternitatem spectantis, ut, Apostolico praesidio suffulti, a quibusvis perturbationibus, et gravaminibus releventur, et in sua vocatione utilius perseverent, specialibus favoribus, et gratis prosequi volentes, et eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus, quomodolibet innodatae existunt, ad effectum praesentium dumtaxat consequendarum, harum serie absolventes, et absolutas fore censentes, supplicationibus eorum nomine Nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, Confraternitatem praefatam, illiusque Officiales, et Confratres, ac Monachos aliasque personas praefati Monasterii eorumque res et bona quaecumque nunc et pro tempore existentia, ab omni et quacumque iurisdictione, correctione, visitatione, superioritate, et potestate moderni¹¹, et pro tempore existentis Episcopi Leopoliensis rutheni, illiusque Officialium et Ministrorum quoruncumque, Apostolica auctoritate tenore praesentium tam universim, quam singillatim perpetuo eximimus, et liberamus, illosque et illa sub Beati Petri ac nostra, et Sedis Apostolicae, et Congregationis Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositae, protectionem suscipimus, nobisque et pro tempore existenti Romano Pontifici, et Congregationi praefatae etiam perpetuo subiicimus, ita ut modernus, et pro tempore existens Episcopus praefatus eiusque Officiales et Ministri ullam, quovis praetextu et ex quacumque causa, in Confraternitatem, Monasterium et Monachos huiusmodi, eorumque res, et bona, iurisdictionem, correctionem, potestatem, et superioritatem habere, et exercere minime possint. Decernentes praesentes litteras semper et perpetuo validas, firmas, et efficaces existere, et fore, nec non Confraternitati, Monachis et aliis praefatis in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque per quoscumque iudices ordinarios, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi, et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari, et definiri debere, ac irritum

¹⁰ Confraternitas Stauropigiana Leopoliensis, fundata sub finem saec. XVI a Patriarchis Constantinopolitanis, maximi est momenti in historia Ecclesiae et populi Ucrainae. Exercebat activitatem ecclesiasticam, religiosam, culturalem nec non in opere typographico eximia sibi comparavit merita ad hodierna usque tempora. Anno 1700 unioni Eparchiae Leopoliensis non adhaesit. Sed post octo annos patientis laboris Episcoporum Leopoliensium tandem anno 1708 ad Unionem inclinare cepit, sub conditione tamen, ut sit immediate subiecta S. Sedi Apostolicae, qua in re benigne exaudita est, prout patet ex nostro documento. Cfr. W. MILKOWICZ, *Monumenta Confraternitatis Stauropigianae Leopoliensis*, Pars I-II, Leopoli 1895-98.

¹¹ Iam tunc erat, ut videtur, Barlaam Szeptyckyj (1710-1715), vel potius Sedes Leopoliensis adhuc vacabat post obitum Josephi Szumlanskyj. Fortasse ob hanc mortem et vacationem Sedis Leopoliensis Confraternitas facilius suam decisionem capere potuit.

et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabili pariter fratri Nicolao Archiepiscopo Thebarum¹², nostro et Apostolicae Sedis in Regno Poloniae Nuntio, per praesentes committimus, et mandamus, quatenus ipse per se, vel alium seu alios, ubi, et quando opus fuerit, et quoties pro parte interesse in praemissis habentium, vel alicuius eorum desuper fuerit requisitus, easdem praesentes litteras, et in eis contenta quaecunque solemmiter publicans, illisque in praemissis efficacis defensionis praesidio assistens, faciat auctoritate nostra illos omnes, et singulos earundem praesentium, et in eis contentorum quorumcunque, commode et effectu pacifice frui, et gaudere, non permittens illos desuper a quoquam quavis auctoritate, quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel inquietari, contradictores quoslibet, et rebelles per sententias, censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo, legitimisque super his habendis, servatis processibus, censuras, et poenas ipsas etiam iteratis vicibus aggravando. invocato etiam ad hoc, si opus fuerit, auxilio brachii saecularis. Non obstantibus felicis recordationis Bonifacii PP. VIII, Praedecessoris nostri, de una, Concilii Generalis de duabus dietis, aliisque Apostolicis, ac Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, et ordinationibus, nec non quibusvis statutis, et consuetudinibus, etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis.

Quibus omnibus et singulis, eorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis, habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die V Aprilis MDCCIX, Pontificatus Nostri Anno nono.

Cardinalis Oliverius.

Breve hoc Apostolicum, in suo authentico originali, oblatum est ad Acta Officii Consularis Leopoliensis, feria tertia post festum Sancti Michaelis Archangeli proxima, Anno Domini 1709.

Item ad Acta Consistorii Leopoliensis latina, Anno Domini 1726, die Veneris, prima mensis Martii.

Item ad Acta Consistorii Leopoliensis armena, Anno Domini 1737, die Lunae, 23 mensis Septembris.

Et habetur in Actis authenticis Commissionis Apostolicae, in eadem Confraternitate Staupigiiana, Anno Domini 1732 peractae.

¹² Nicolaus Spinola, Nuntius Varsaviensis (1707-1712), Archiepiscopus Thebarum. Natus 1659, patrius lanuaensis, doctor utriusque iuris, praesidens Camerae Apostolicae 1695, Ep. tit. Thebarum 4.X.1706, Nuntius Varsaviensis a die 6.IX.1707, creatus Cardinalis 16.XII.1715. - Cfr. R. RITZLER - P. SEFRIN, *Hierarchia catholica medii et recentioris aevi*, vol. V, p. 374.

629.

Romae 7 . V . 1710

Bulla provisionis Ecclesiae Metropolitanae Kioviensis in persona Georgii Vynnyckyj, cum clausulis, privilegiis et formula iuramenti obedientiae praestandi.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2536, fol. 283-285v.

Provisio Kiovien. et Halicien Ecclesiarum invicem unitarum ritus Graeci per obitum vacantium pro r.p.d. Georgio Winnicki¹³, Episcopo Praemisliensi in administrationem, iuxta decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide.

CLEMENS Episcopus Servus servorum Dei. Venerabili Georgio Winnicki nuper Episcopo Praemislien. in Kiovien. et Halicien. Archiepiscopum electo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis quem Pastor ille caelestis et Episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita Ecclesiis praetulit universis sollicitudo requirit, ut circa cuiuslibet Ecclesiae statum sic vigilanter excogitet etc., (*ut sub data 22 . IX . 1695*) attentari. Postmodum vero Kiovien. et Halicien. Ecclesiis invicem perpetuo unitis et quae Ritus Graeci existunt ac quibus bo.me. Leo Zalenski ultimus illarum Archiepiscopus dum viveret praesidebat, per obitum ipsius Leonis Archiepiscopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, Pastoris solatio destitutus, Nos ad earundem Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum celerem et felicem, in quibus nullus praeter Nos hac vice se intromittere potuit sive potest, reservatione et Decreto obsistentibus supradictis, ne ipsae Kiovien. e Halicien. Ecclesiae longae vacationis exponantur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem, quam de praeficiendo eisdem Kiovien. et Halicien. Ecclesiis personam utilem (f. 283v) ac etiam fructuosam cum fratribus nostris habuimus diligentem, demum ad te Episcopum nuper Praemislien., qui fidem catholicam expresse professus fuisti, quemque Venerabiles fratres nostri Episcopi Ritus praefati S.R.E. uniti in Metropolitanum de more elegerunt ac pro quo carissimus in Christo filius noster Augustus Poloniae et Suetiae Rex nobis ad hoc humiliter supplicavit, consideratis grandium virtutum meritis, quibus personam tuam Largitor altissimus insignivit et quod tu qui Ecclesiae Praemislien. hactenus laudabiliter praefuisti easdem Kiovien. et Halicien. Ecclesias scies, voles et poteris, authore Domino, salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis. Intendentes igitur tam eisdem Kiovien. et Halicien. Ecclesiis quam illarum gregi Dominico salubriter providere te a vinculo quo dictae Ecclesiae Praemislien., cui tunc praeras, tenebaris de eorundem S.R.E. Cardinalium consilio et Apostolicae potestatis plenitudine absolventes ad Kiovien. et Halicien. Ecclesias praedictas de simili consilio Apostolica auctoritate transferimus, teque illis in Archie-

¹³ Georgius Vynnyckyj, Episcopus Premysliensis (1700-1713). Post mortem Leonis Zalenskyj (1708) nominatus Administrator Metropolitae, et dein electus Metropolita Kioviensis (1710-1713), cum retentione Eparchiae Peremysliensis.

piscopum praeficiamus et Pastorem, curam et regimen et administrationem earundem Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dextera Domini tibi assistente propitia praefatae Kiovien. et Halicien., Ecclesiae per tuae circumspectionis industriam et studium fructuosum regentur utiliter, et prospere dirigentur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiant incrementa.

Volumus autem quod tu antequam regimini et administrationi Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum huiusmodi te in aliquo immisceas, in Venerabilium fratrum nostrorum Archiepiscopi Leopoliensis. Ritus Armeni ac Chelmen., et Luceorien., Episcoporum in manibus fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum iuxta formam praesentibus adnotatam et sic a te praestiti iuramenti formam ad Sedem praefatam quantocitius transmittere omnino tenearis.

Quocirca Fraternitati Tuae per Apostolica scripta mandamus quatenus ad dictas Kiovien. et Halicien. Ecclesias cum gratia nostrae benedictionis accedens curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicitè, fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant ac tuae bonae famae odor ex his laudabilibus actibus latius diffundatur ac ipsae Kiovien. et Halicien. Ecclesiae Gubernatori provide et fructuoso Administratori gaudeant se commissas, tuque praeter aeternae retributionis premium nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis.

Nec non Venerabilibus fratribus nostris Suffraganeis etc. observari.

Rogamus quoque et hortamur attente praefatum Augustum Regem quatenus te ac Kiovien. et Halicien. Ecclesias praedictas habens pro nostra et dictae Sedis reverentia propensius commendatas in ampliandis et conservandis iuribus vestris sic vos benigne favoris auxilio prosequatur, quod tu eius fultus praesidio in commisso tibi curae pastoralis officio possis Deo propitio prosperari et eidem Augusto Regi a Deo perennis et a nobis condigna proveniat actio gratiarum.

Et insuper ut statum tuum iuxta Pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, Motu proprio et ex certa scientia meraque liberalitate nostris tecum ut etiam postquam in vim translationis et praefectionis praefatarum pacificam possessionem seu quasi regiminis et administrationis Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum praedictarum illarumque Mensarum archiepiscopalium honorum seu maioris partis eorum assecutus fueris, una cum eisdem Kiovien. et Halicien. Ecclesiis, quamdiu illis praefueris, Praemisliensis Ecclesiam praedictam in administrationem quoad vixeris retinere illiusque fructus, redditus et proventus percipere, exigere, levare ac in suos usus et utilitatem convertere libere et licite possis et valeas. Nostra de exprimendo vero annuo valore beneficiorum per Promotos ad Ecclesiarum regimina obtentorum in dispensationibus super illorum retentione concedendis aliisque Apostolicis ac Conciliorum etiam generalium constitutionibus et ordinationibus nec non Kiovien. et Halicien. ac Praemisliensis Ecclesiarum praedictarum etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis in omnium praemissorum quomodolibet concessis caeterisque contrariis nequaquam obstantibus. Motu simili Apostolica auctoritate praedicta earundem tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus.

Volumus autem quod Kiovien. et Halicien. ac Praemislien. Ecclesiae praedictae in Divinis nullum patiantur detrimentum, sed earum congrue supportentur onera consueta. Praeterea tibi ut novos Episcopos eiusdem Ritus in defectum Episcoporum ruthenorum cum assistentia duorum Archimandritarum ac duorum Episcoporum, aut etiam duorum Praesbyterorum Latini Ritus, in ecclesiastica tamen dignitate constitutorum, consecrare libere et licite possis Motu pari tenore praesentium facultatem concedimus et licentiam.

Volumus demum quod tu reparationi utriusque Domus archiepiscopalis pro viribus incumbas, Sacrarium sacra suppellectili ad Divina peragenda et Pontificalia exercenda sufficienter instruas. Seminaria ad praescriptum Conc. Tridentini instituas, Montesque Pietatis erigi cures, conscientiam tuam super his onerando.

Forma autem iuramenti quod praestabis haec est: Ego Georgius Winnicki nuper Episcopus Praemislien. in Kiovien. et Halicien. Archiepiscopum electus ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae ac Domino Nostro Domino Clementi PP. XI, eiusque successoribus canonice intrantibus non ero in consilio... (*formula consueta, cfr. 16.XII.1748*). Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo decimo, Nonis Maii, Pontificatus Nostri Anno decimo.

Visa del Curia pro R.D.P. Masserio I.C. Bartellus. L. Martinetius.

630.

Romae, 10 . V . 1710

Uniti Regi Poloniae protegendi commendantur, nec non, ut concordiam inter utriusque Ritus fideles promoveat, hortatur.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 87, fol. 220v-221.

Charissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PP. XI Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Cum dignam esse intelligamus Regia pietate, et eximio zelo Maiestatis Tuae curam confovendae charitatis, et incendendi mutui amoris inter Catholicos Latini Ritus, et Ruthenos cum eisdem in fide coniunctos, ac consentientes, quod foedus religionis inter utrosque pridem initum Sanctae Unionis nomen vulgo obtinet, impense a te exposcimus, ut velis autoritate, et ope tua adesse eisdem Ruthenis adversus quoscumque conatus Schismaticorum, quatenus ab omni timore liberi optata tranquillitate sub tuis auspiciis fruantur. Confidimus te curaturum esse sollicitudini, ac desiderio nostro (f. 221) hac etiam in re obsequi, ut tibi semper magis paternam nostram benevolentiam concilies, in cuius pignus Apostolicam benedictionem Maiestati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae, etc., die 10 Maii 1710, etc.

631.

*Romae, 10 . V . 1710**Idem commendatur Hierarchiae polonae.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 87, fol. 221rv.

Venerabilibus fratribus Archiepiscopis et Episcopis
Regni Poloniae.

CLEMENS PP. XI. Venerabiles fratres, salutem etc.

Incumbit Sanctae Matri Ecclesiae, quae sine dispendio integritatis ac unitatis circumamicta est varietate, amanter illos potissimum filios confovere, qui etsi forte caeteris Catholicis ritu dispares cum eisdem tamen in verae fidei cultu, ac disciplina consentientes, ipsam uti veritatis centrum, unicamque Magistram agnoscunt. Quamobrem Apostolici nostri muneris esse ducimus hortari, ac commonere Fraternitates vestras ad impendenda alacriter sinceræ, ac fraternæ charitatis officia Ruthenis unitis, atque inter eos illis praesertim, qui Episcopali Ordine decorantur, quatenus hi omnes praesidio vestro freti ab invidia, atque insidiis Schismaticorum, quibus inita iamdudum per eos vobiscum et cum caeteris Catholicis concordia, ac Sancta, ut vocant, Unio summopere invisæ est, Deo propitiante, eximantur. Hoc certe studium tam commendatum vobis esse debet, quam sane interest, ut illi Sanctae Romanae Ecclesiae semper magis adhæreant, et Orthodoxæ Veritatis incolumitatem et incrementum curent, ac longe lateque promoveant. Gratum autem nobis praetermodum erit assequi novum eximiae pietatis, ac praestantis zeli argumentum a Fraternitatibus vestris, quibus Apostolicam benedictionem permanenter impertimur.

Datum Romae, etc., die decima Maii 1710, Pontificatus Nostri Anno decimo.

632.

*Romae, 10 . V . 1710**Ordini Senatorio Regni Poloniae commendantur Uniti defendendi.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 87, fol. 221v-222.

Dilectis filiis, nobilibus viris, Ordini Senatorio
Regni Poloniae.

CLEMENS PP. XI. Dilecti filii, nobiles viri, salutem etc.

De praestanti fide ac zelo Nobilitatum vestrarum multum nobis et iure quidem merito pollicemur, dum a vobis pro munere nostri sedulo petimus, ut praesidio ac autoritate vestra, ubi occasio tulerit, tueri curetis Ruthenos unitos, quos sicut Sancta Romana Ecclesia, utpote in vere fidei cultu cum caeteris Latini Ritus Catholicis consentientes tamquam filios suo sinu aman-

ter excipit, ita Schismatici hoc ipso nomine aversantur, ac (f. 215) insequuntur. Quod itaque ad vestram virtutem magnopere pertinet, eos adversus quascumque insidias, atque molestias strenue asserere, hoc si alacri voluntate praestiteritis, charitatem nostram vobis usque magis conciliabitis, et vestrum in Sanctam Matrem Ecclesiam meritum uberius cumulabitis. Dum vero ab Authore honorum omnium vobis ex animo precamur, ut vobis, rebusque vestris propitiatur, et tranquillitatem et felicitatem una cum spiritualium munerum incremento vobis elergiatur, Apostolicam benedictionem Nobilitatibus vestris peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die Maii 1710, etc.

633.

Romae, 10 . V . 1710

Idem commendatur Ordini Equestri Regni Poloniae.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 87, fol. 222rv.

CLEMENS PP. XI. Dilecti filii, salutem etc.

Quaerimus gloriae ac meriti vestri incrementa dum pro iure ac munere nostro enixe commendamus tutelae vestrae Ruthenos unitos, qui scilicet cum Catholicis latinis unam, eandemque Matrem, ac Magistram veritatis Sanctam Romanam Ecclesiam agnoscunt, eidemque adhaerent per sacrum illud foedus, quod Sancta Unio vulgo indigitatur. Aequum sane etsi, ut nedum mutuae charitatis officia a vobis referant, sed ut ope vestra (f. 215v) communiantur adversus Schismaticos, qui ob illum ipsum, qui vobis communis est, catholicae fidei cultum eos, ut fertur, magnopere insectantur. Argumentum itaque filialis vestrae observantiae imo fidei, ac pietatis vestrae exhibite, et zelum vestrum pro hac causa, si ita res tulerit, strenue explicare, dum Nos in felicitatis auspiciis, Apostolicam vobis, dilecti filii, benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die X Maii 1710, etc.

634.

In Arce Gandulphi, 14 . VI . 1710

Retentio Dermanensis ac alterius monasteriorum, Archimandriarum nuncupatorum, Dubnensis in Volhynia, Ordinis Sancti Basilii Magni nuncupati, Ritus Graeci, Luceoriensis Dioecesis pro R.P.D. Georgio Vynnyckyj moderno Archiepiscopo Kiovien. et Halicien., iuxta Decretum Congregationis de Propaganda Fide.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2536, fol. 297-298.

ASF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia etc.*, vol. 3, fol. 357-358.

CLEMENS Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Georgio Winnicki, Archiepiscopo Kiovien. et Halicien., salutem et Apostolicam benedictionem.

Personam tuam nobis et Apostolicae Sedi devotam tuis exigentibus meritis paterna benevolentia prosequentes, illa tibi favorabiliter concedimus, quae tuis commoditatibus fore conspicimus opportuna. Cum itaque Nos semper de persona tua pro qua charissimum in Christo filius noster Augustus, Poloniae et Sueciae Rex Illustris, nobis humiliter supplicavit, Kiovien. et Halicien. Ecclesiis invicem perpetuo canonice unitis certo tunc expresso modo Pastoris solatio destitutis Apostolica auctoritate providerimus, teque eisdem Kiovien. et Halicien. Ecclesiis in Archiepiscopum praefecerimus et Pastorem, curam, regimen, et administrationem earundem Kiovien. et Halicien Ecclesiarum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, tecumque ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius teneri valeres ut una cum Kiovien. et Halicien. Ecclesiis praefatis Ecclesiam Praemislien., cui tunc praeesse dignoscebaris prout adhuc praeesse dignosceris de praesenti, in administrationem ad tui vitam retinere libere et licite valeres, eadem auctoritate dispensaverimus¹⁴. Cumque tu tempore provisionis et praefectionis de tui persona Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum, ut praefertur factarum, unum Dermanense ac alterum monasteria Archimandrias nuncupata, Dubnense in Volhynia, Ordinis Sancti Basilii Magni nuncupati Ritus Graeci, Luceorien. Dioecesis¹⁵, ex dispensatione Apostolica aut alias canonice obtineres, prout adhuc obtines de praesenti fructusque Kiovien. et Halicien. ac Praemislien. Ecclesiarum, praedictarum ob praesentium calamitas temporum iniurias illuc undique cursantes adeo exiles tenuesque existant, ut ad congruam tui sustentationem non sufficiant, Nos tibi, ut statum tuum praefatum iuxta exigentias huiusmodi decentius tenere valeas, de alicuius subventionis auxilio providere teque praemissorum meritorum tuorum intuitu gratioso favore prosequi volentes et a quibusvis suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis a iure vel a homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existis, ad effectum praesentium tantum consequendum harum serie absolventes et absolutum fore censentes, tecum, ut postquam in vim provisionis et praefectionis praedictarum pacificam possessionem seu quasi regiminis et administrationis earundem Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum et illarum honorum seu maioris partis eorum pacifice assecutus fueris, monasteria praedicta quorum insimul et illis forsam respective annexorum fructus, redditus, et proventus viginti quatuor ducatorum de camera secundum communem aestimationem valorem annum, ut asseris, non excedunt, una cum Kiovien. et Halicien. ac Praemislien. Ecclesiis praedictis, ut prius, quoad vixeris retinere libere et licite valeas, eadem auctoritate iuxta Decretum in Congregatione Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum, tenore praesentium de spiritualis dono gratiae dispensamus.

Decernentes propterea monasteria praedicta non vacare ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Proviso quod in dictis monasteriis Divinus Cultus et soli-

¹⁴ Cfr. supra sub data 7. V. 1710.

¹⁵ Monasterium Dermanense et Dubnense in Dioecesi Luceoriensi erant Archimandriae. Monasterium Dermanense erat foundationis Principum Ostrožskyj (ab an. 1507). Monasterium Dubnense, in civitate eiusdem nominis, fundatum a Constantino Ostrožskyj anno 1592. Cfr. Ic. STEBELSKI, *Ostatnie prace*, in «*Scriptores rerum polonicarum*», vol. IV.

tus Monachorum et Ministrorum numerus nullatenus minuatur, sed eorum ac dilectorum filiorum Conventuum illorum congrue supportentur respective onera consueta. Non obstantibus fel. rec. Leonis PP. X., Adriani VI, ac Clementis VII, aliorumque Romanorum Pontificum, Praedecessorum nostrorum, expeditiones literarum Apostolicarum super retentionibus beneficiorum per Promotos ad Ecclesiarum regimina obtentorum a provisionibus Ecclesiarum huiusmodi separatim sub excommunicationis ac forsitan aliis poenis fieri prohibentium ac Generalium Conciliorum et aliis quibuscumque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis.

Quibus omnibus et singulis etiamsi de illis earumque solis tenoribus habenda sit in nostris his mentio specialis, earum tenores praesentibus pro expressis habentes illis aequae in suo robore permansuris hac vice dumtaxat harum serie specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutio- nis, dispensationis, decreti et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum in Arce Gandulphi, Dioecesis Albanen, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo decimo, Decimo octavo Kalendas Julii. Pontificatus Nostri Anno decimo.

J. Cardinalis Prod.s

Visa de Curia pro R.P.D. Masserio J .C. Battellus.

L. MARTINETIUS

635.

Romae, II . VII . 1710

Nominatur P. Polycarpus Fylypovyč Administrator Apostolicus Dioecesis Munkaciensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2279, fol. 10rv.

Dilecto filio Policarpo Philippowicz¹⁵, Monacho rutheno Ordinis Sancti Basilii Magni. Praesbytero Ritus Graeci, Electo Bodonen.

CLEMENS PP. XI. Dilecte fili, salutem etc.

Pro nostri pastoralis officii munere... te Catholicorum Ritus Graeci in Districtu Vicariatus Apostolici Munchaciensis in Hungaria commorantium Vicarium Apostolicum cum iurisdictione... auctoritate Apostolica tenore praesentium facimus, constituimus, eligimus et deputamus, salva tamen... Man-

¹⁵ Polycarpus Fylypovyč, Basilianus, Procurator Negotiorum Ecclesiae Unitae in Urbe (1692-1696). Dein Episcopum Peremyssiensem adiuvat. Nominatus Vicarius Apostolicus Munkaciensis (1710), Sedem hanc tamen ob machinationes Josephi Hodermarskyj obtinere non potuit. Etiam Aula imperialis Viennensis ei adversa erat, ut subdito alterius Regni. Dein ad varias Eparchias propositus, sed nullam harum obtinuit. Acta S. C. de Prop. Fide annis 1710-1716 plena sunt documentorum, quae de P. Fylypovyč eiusque negotio tractant.

dantes propterea... Non obstantibus Apostolicis... innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores etc. derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 11 Julii 1710, An. X.

636.

Romae, 21 . VII . 1710

Provisio Ecclesiae titularis Bodonensis in persona P. Polycarpi Fylypovyč, designati etiam Administratoris Apostolici Munkacsiensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2279, fol. 7-8.

Dilecto filio Policarpo Philippowicz, Monacho rutheno Ordinis Sancti Basilii Magni, Praesbytero Ritus Graeci, Electo Bodonensi.

CLEMENS PP. XI. Dilecte fili, salutem etc.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum etc. gubernare. Cum itaque Ecclesia Bodonensis, quae in partibus infidelium consistit... destituta remanserit, Nos ad felicem eiusdem Ecclesiae provisionem paternis et sollicitis studiis intendentes... demum ad te, Monachum Ordinis Sancti Basilii Magni praesbyterum catholicum, Ritus Graeci, ex legitimo matrimonio procreatum, ac in aetate legitima constitutum, cui apud Nos de vitae munditia etc... direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis... eidem Ecclesiae Bodonensi de persona tua nobis etc... providemus, teque illi in Episcopum praeficimus, et pastorem, curam etc... Jugum igitur Domini tuis impositum humeris... Praeterea tibi, ut ad Ecclesiam Bodonensem praedictam, quamdiu illa ab Infidelibus detinebitur, accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate de specialis dono gratiae indulgemus.

Ceterum ad ea, quae in tuae commoditatis augmentum cedere possunt, favorabiliter intendentes, tibi, ut ab aliquo, quem malueris catholico Antistite Ritus Graeci, gratiam et communionem dictae Sedis Apostolicae habente, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus, vel tribus aliis catholicis Antistitibus eiusdem Graeci vel Latini Ritus similes gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis Ritu Graeco praedicto recipere libere possis, ac eidem Antistiti, ut receptis prius a te fidei catholicae professione iuxta articulos pridem a Sede Apostolica praefata pro Graecis propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, munus praefatum Ritu Graeco huiusmodi tibi auctoritate nostra impendere licite valeat, plenam (f. 8) et liberam harum serie auctoritate praedicta tribuamus facultatem. Volumus autem... suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus Apostolicis... ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem etc., 21 Julii 1710, An. X.

637.

Romae, 25 . X . 1710

Persecutio Ecclesiae Unitae a Czaro Moscoviae instaurata Regi Poloniae lenianda commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 87, fol. 258v-258v.

Charissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PP. XI. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Opem nostram multis precibus, ac querelis efflagitant Monachi Ordinis Sancti Basilii Nationis Ruthenae, qui in catholica fide cum Romana Ecclesia consentientes Uniti passim vocantur, humiliter, ac enixe expetentes eximi a saeva militum Moschorum persecutione, qui post direptam ac deinde eversam cuniculis cathedralem ecclesiam Polocensem, diversa eiusdem Ordinis monasteria aliasque sacras domos, ac ecclesias tum regularium tum saecularium bonis ac omni suppellectili expoliaverunt¹⁶, abductis in captivitatem quibusdam Monachis, aliis vero ad necem quaesitis eo, ut apparet, proposito, ut huius Instituti homines tum e Poloniae Regno, tum e Ducatu Lithuaniae, tum a Provinciis Russiae in odium pontificii nominis, et catholici cultus prorsus expellant, ac eliminent. Aestuat ad haec mirum in modum (f. 259) charitas nostra sollicita ne qui ad Sanctae Matris Ecclesiae gremium confugerunt, eius tutela atque praesidio in tanta angustia, et calamitate destituantur. Quapropter Maiestatem Tuam quo maiori possumus studio rogamus, et obtestamur, ut sua auctoritate et accuratissimis officiis agat, atque contendat apud Magnum Moscoviae Ducem¹⁷ pro obtinenda omnino praefatis Monachis aliisque Ruthenis unitis ac in universum Catholicis omnibus pristina securitate ac libertate, quae sine aperta laesione iustitiae nec sine magna religionis, quam profiteris, et tuae dignitatis iniuria eisdem auferri in tuis praesertim ditio- nibus non potest. Porro nisi curaveris severitate disciplinae, et gravissimis poenis coerceri tantam audaciam, nihil est, quod ab hominibus, qui sacras res et personas primum aggredi, ac conculcare non horruerunt, metuendum subinde non sit in summam Reipublicae perniciem. Quod itaque iusti ac pii Regis est, consule communi saluti et populorum tuorum indemnitati, ac filios Ecclesiae eosque imprimis qui divinis rebus dant operam immunes a Schismaticorum ausibus praestare satage, quod quanti tua intersit ad propitiandum tibi rebusque tuis divinum auxilium (f. 259v) satis te intelligere arbitramur, dum Nos Apostolicam benedictionem Maiestati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem etc. die vigesima quinta Octobris 1710, Pontificatus Nostri Anno decimo.

¹⁶ Cfr. supra notam 274.

¹⁷ Petrus I (1682-1725).

638.

Romae, 25 . X . 1710

*Idem commendatur Archiepiscopo Gnesnensi.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 87, fol. 258v-260.Venerabili fratri Archiepiscopo Gnesnensi¹⁸.

CLEMENS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Innotuisse¹⁹ Fraternitati Tuae arbitramur, quam male actum sit cum Monachis ruthenis catholicis Ordinis Sancti Basilii sub ipso ingressu in fines istius Regni eorum militum, quos Magnus Dux Moschoviae, ut publicas res tueretur, istuc non ita pridem immisit non secus, ac catholicae religioni bellum illaturi, rapinis atque incendiis adorti sunt regulares et saeculares ecclesias, inter quas cathedralem Polocensem, tum etiam monasteria eiusdem Ordinis, Monachis qua captis, qua fugatis ad delendum tum in istis, tum in finitimis regionibus omnem prorsus eius Instituti memoriam. Etsi autem liqueat hanc iniuriam irrogatam fuisse ab eis utpote Schismaticis in odium catholici ac pontificii nominis, ne tamen de prava eorum voluntate (f. 260) ambigendum esset hoc ipsum palam professi sunt, dum quae inique proposuerunt, temere exequbantur.

Nos itaque debita erga filios Ecclesiae commiseratione intime tacti charissimum in Christo filium nostrum Augustum Poloniae Regem Illustrum, literis nostris excitavimus²⁰ ad suscipiendam eorum fidelium tutelam; neque enim decere existimamus ut ille patiatur dignitatem, et auctoritatem suam usque adeo contemni, aut sinat turpiter traduci eos, quibus omni iure adesse, ac opitulari debet. Ut vero monita nostra Regis animum magis commoveant, paternis nostris officiis vim tui consilii libenter adiungimus confisi, te debito zelo incensum cum eo sedulo acturum esse, ut hanc causam eo, quo par est, animi fervore complectatur, et curet praefatos Monachos, et Catholicos omnes ab aestu huius persecutionis eximi, quod te pro Dei honore, nec non intuitu benemerendi de nobis diligenter facturum esse speramus. Et Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 25 Octobris 1710 etc.

¹⁸ Stanislaus Szembek (1706-1721).

¹⁹ Erat iam ab ann. 1705/6 Archiepiscopus Gnesnensis. Praeterea facinus hoc Petri I, etiamsi de tempore belli agebatur, sat horrendum erat, ut possit attentionem Primatis Regni fugere.

²⁰ Cfr. Breve praecedens.

639.

Romae, 25 . X . 1710

Joanni Szembeck, Procancellario Regni Poloniae eadem res commendatur.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 87, fol. 260-261.

Dilecto filio, nobili viro, Joanni Szembeck, Procancellario
Regni Poloniae.

CLEMENS PP. XI. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Ubi audivimus militares Moscorum copias ad ferendas Poloniae Regno suppetias non ita pridem istuc accitas violentam manum sacris rebus intulisse, et aras ac ecclesias catholicas nec non caenobia Monachorum ruthenorum Ordinis Sancti Basilii diripuisse ac incendisse, tum etiam eiusdem Instituti religiosos viros vel in captivitatem duxisse, vel profugos ad mortem quaesivisse, odium demum quo intime incenduntur in Romanam Ecclesiam, cui praefati Monachi adhaerent, multimode explicasse²¹. Nos memores non multum absimilia ab his ante aliquot annos per eiusdem Nationis schismaticos homines patrata fuisse, iustum timorem coepimus, ne si eorum furor valide non coereretur, deteriora a foederatis quam ab hostibus in detrimentum religionis, ac Reipublicae essent expectanda; sollicitudinis propterea ac paternae nostrae charitatis esse duximus serio monere charissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem²², ut suorum indemnitati consulat, nec tantam sibi suaeque auctoritati, et catholico nomini inferri iniuriam permittat, quod monitum nostrum Nobilitatis Tuae opera ac consiliis ita urgeri cupimus, ut Rex intelligat agi in hoc tum de sua dignitate, tum de Dei honore, nihilque sibi praetermittendum esse, ut securitas ditionibus suis, ac praesertim ecclesiis, et sacris divinisque (f. 261) rebus reddatur. Momentum causae pro tua spectata prudentia expende, ac zelum tuum praeclare explica, quod Deo acceptum nobisque gratum erit, qui Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 25 Octobris 1710 etc.

640.

Romae, 22 . XI . 1710

Iterum de persecutionibus Ecclesiae Unitae ab exercitibus moschoviticis protestat Clemens XI.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 87, fol. 263-264v.

Charissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

²¹ Cfr. supra, nota 274.²² Cfr supra, Breve praecedens.

CLEMENS PP. XI. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Ex his quae ad Maiestatem Tuam rescripsit Magnus Dux Moscoviae²³ satis liquet, te ferventibus apud eum officiis hortatu etiam nostro egisse pro eximendis Monachis ruthenis Ordinis Sancti Basilii communionis catholicae a molestiis atque pressuris, quibus a militibus Moschis istuc accitis supra modum in praesens divexantur. Sed inde pariter constat, quod etsi ipse Magnus Dux profiteatur optare se, ut per Commissarios tum a te, tum a se deputandos districte inquiratur, ac congrue animadvertatur in eos omnes, qui praefatis Monachis, aliisque Catholicis tuarum ditionum vim intulerunt, sit ille animo admodum praeeoccupato adversus ipsos Ruthenos consentientes in fide cum Romana Ecclesia, quos sibi suisque valde infensos esse ex suggestione procul dubio Graecorum schismaticorum asseverare (f. 263v) non dubitat. Qui itaque te zelus impulit ad suscipiendam tutelam eorum hominum, qui tum religionis tum clientelae titulo regis tuis auspiciis iure perferri debent, is etiam te incendat ad eorum causam usque ad optatum exitum asserendam, quod cum videatur aptius praestari non posse, quam per Commissarios utrinque deligendos, iuxta oblatam conditionem, decet, ut tu quos idoneos duxeris, (dum tamen Catholicos) quam primum designes, qui una cum Moschis de veritate eorum quae hinc inde opponuntur, cognoscant; nam ubi aequitas servetur, et sola veritas inspiciatur, facile erit iudicium ferre, utrum Monachi rutheni uniti, qui in Polonia et Magno Ducatu Lithuaniae stationibus inter se dissiti, nec viribus praepotentes degunt, molestias intulerint militaribus Moschorum copiis non exiguo, ut fertur, numero in eisdem regionibus hoc tempore hospitantibus, an potius ab ipsis gravissimas iniurias, atque etiam quandoque caedes pertulerint, cum praesertim Catholicorum tum regularium tum saecularium ecclesiae inter quas cathedralis Polocensis, aliaeque parochiales et Monasteria praefati Ordinis direptioni ac igni data, ac funditus aversa, ipsique Monachi prope omnes sedibus suis pulsi, ac utquequaque dispersi, ac profugi, ac demum silentium rebus sacris ac divinis in illis partibus indictum indubium testimonium praebere possint, quinam veri (f. 264) ac certi iniuriarum, et tot malorum auctores extiterint.

Nam quod Romanae Ecclesiae hostes per summam calumniam affirmant a Ruthenis unitis qua minis poenarum qua vi aperta adigi Schismaticos utcumque invitos, ac repugnantes ad amplectendam unitatem cum Romana Ecclesia, id aegre suadebunt iis, quibus notum est, qua lenitate ac mansuetudine Ecclesia oves devias ad verum Christi ovile revocare ac perducere curet. Verum adhuc minus subsistit quod additur, et Catholicis veluti recens crimen obiicitur, quod scilicet Episcopatus Luceoriensis, Halliciensis et Leopoliensis²⁴, ac aliae ecclesiae ac Confraternitates Regni²⁵, ac praefati Ducatus, in eisdem literis enuntiatae, quae ex vi cuiusdam pactionis non multis ab hinc annis inter Polonos et Moschos, ut supponitur initae, ac postmodum innovatae²⁶, compelli non poterant ad amplectendam unitatem cum Romana

²³ Petrus I (1682-1725).

²⁴ Annis 1692 (Peremyshiensis), 1702 (Luceoriensis).

²⁵ Confraternitas Stauropigiana Leopoliensis. Cfr. Breve sub data 5.IV.1709.

²⁶ Sic dicta « pax aeterna » Poloniam et Moscoviam inter anno 1686, vel alio modo nuncupata etiam « pax Grzymultowski ». Postea haec ipsa pax confirmata est anno 1704, et demum an. 1710. Ex sua parte « pax aeterna » solummodo stabiliter confirmabat pacem

Ecclesia, eidem nunc temporis adhaerere dignoscantur, quasi vero id non multo pridem, et longe ante assertam pactionem, quae ad tempora proxima refertur, et saeculo iam elapso contigerit, tum scilicet cum Episcopi ac populi illarum partium agnita, Dei beneficio, veritate ultro ac sponte, atque omnimoda libertate ad huius Sanctae Ecclesiae omnium per orbem Ecclesiarum Matris ac Magistrae gremium (f. 264v) convolarunt²⁷.

Porro in eo aequitati consulit Magnus Dux Moschoviae²⁸, quod gloriatur se liberum exercitium nostrae religionis Catholicis in suo Imperio permittere, sed profecto divina humanae iura graviter laederet, si eisdem hanc libertatem divinis officiis et rebus sacris operandi in alienis ditionibus adimere contenderet. Verum praestat, ut haec omnia peculiari diligentia, ita ut preferatur, expendantur. Ubi vero constiterit Monachos praefatos iuste conqueri, eosdem in odium Romanae Ecclesiae, et pontificii nominis contra fas omne perturbari, ac affligi, eximiae tuae virtutis erit eisdem valide opitulari, ac cavere ne in tuo Regno religioni, iustitiae, tuaeque authoritati tam gravia detrimenta inferantur. Aget de his fusius Venerabilis frater Nicolaus Archiepiscopus Thebarum²⁹, Nuntius noster apud Maiestatem Tuam, cui Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, die 22 Novembris 1710 etc.

641.

Romae, 4 . VII . 1711

Iterum de persecutionibus Catholicorum a Moschis instauratis, et de Commissione ad reparandas iniurias.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 87, fol. 366v-367.

Charissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PP. XI. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Cum Venerabilis frater Georgius, Metropolita Russiae³⁰, commissam sibi a Maiestate Tua gravem arduamque provinciam agendi cum Magno Duce Moschoviae eiusque Administris, de damnis per Moscos milites monasteriis ac monachis ruthenis unitis non ita pridem (f. 367) illatis curandi pro viribus apud ipsos refectionem praefatorum damnorum, alacriter in commodum sacrae huius pieque causae, et in tui obsequium susceperit, tua profecto dignitas, ipsiusque zelus, et omnis aequitas postulat, ut nedum validum ipsi tuae authoritatis praesidium, sed liberalem etiam opem praestes, quatenus

s.d. de Andrusiv (1667), in qua Ucraina subdivisa erat in duas partes Poloniam et Moscoviam inter, sequendo flumen Dnipro. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 10, p. 944.

²⁷ Agitur de Unione sic dicta Berestensi, quae anno 1596 in Berestia inita erat. Cfr. documenta anni 1595-1596.

²⁸ Petrus I (1682-1725).

²⁹ Nicolaus Spinola, Nuntius Varsaviensis (1707-1712). Cfr. supra, nota 280.

³⁰ Georgius Vynnyckyj (1710-1713), antea Episcopus Peremyliensis (1700-1713).

ille labores, onera, atque dispendia huius expeditionis congrue ferre, remque probe ac celeriter conficere possit.

Multum enim refert, ut omnes intelligant esse tibi omnino cordi, ut Ecclesia ac catholica religio vim passa ac iniuriis et detrimentis multis ac magnis ea occasione in conspectu totius christiani ordinis affecta, quantum fieri potest sarciatur, quod facit ad commendandam usque magis tuam pietatem apud homines, et conciliandam tibi uberius apud Deum gratiam, atque mercedem. Et Maiestati Tuae Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem etc., die quarta Julii 1711. Pontificatus Nostri Anno undecimo.

642.

Romae, 12 . VIII . 1711

Pro Policarpo Fylypovyč, Basiliano, electo Ep. tit. Bodonensi, designato Administratori Munkaciensi, ut possit consecrationem suscipere episcopalem.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2304, fol. 23rv.

Dilecto filio Policarpo Filippowicz, Monacho rutheno Ordinis Sancti Basilii Magni, Praesbitero Ritus Graeci, Electo Bodonen⁰¹.

CLEMENS PP. XI. Dilecte fili, salutem etc.

Personam tuam nobis, et Sedi Apostolicae devotam, tuis ita exigentibus meritis, paterna benevolentia prosequentes, illa tibi libenter concedimus, quae tuis commoditatibus fore conspiciamus opportuna. Cum itaque Nos nuper Ecclesiae Bodonensi, quae in partibus infidelium consistit, certo tunc expresso, seu quem pro expresso haberi voluimus modo, Pastoris solatio destitutae, de persona tua nobis, et Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, ob tuorum exigentiam meritum, accepta, de fratrum eorundem consilio auctoritate Apostolica providerimus, teque illi in Episcopum praefecerimus et Pastorem, curam, regimen, et administrationem ipsius Ecclesiae Bodonensis in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, cum indulto suscipiendi munus consecrationis ritu graeco ab aliquo quem malueris catholico Antistite eiusdem ritus, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis praedicti graeci, vel latini ritus, similes gratiam et communionem habentibus, et alias prout in nostris desuper in simili forma Brevis expeditis litteris, quarum tenorem etc. uberius continetur²².

Verum (sicut accepimus) tot Episcopi in illis partibus sine gravi dispendio, et incommodo convenire nequeunt, quod pro impendendo tibi munere consecrationis huiusmodi iuxta (f. 32v) Sacrorum Canonum dispositionem

³¹ Cfr. supra, nota 284.

³² Cfr. Breve sub data 21, VII. 1710.

requiruntur. Hinc est quod Nos ad ea, quae in tuae commoditatis augmentum cedere possunt, favorabiliter intendentes, teque a quibusvis etc. censentes, tibi, ut a quocunque quem malueris catholico Antistite ritus graeci gratiam et comunem Sedis Apostolicae habente, accitis et in hoc illi assistentibus loco Episcoporum duobus Praesbiteris ruthenis praedicti graeci, si adfuerent, vel totidem Praesbiteris latini ritus, similes gratiam et comunem habentibus, munus consecrationis praedictum suscipere, ipsique Antistiti, ut illud tibi sic impendere, servata alias nostra super eodem munere tibi impedendo concessarum litterarum forma, et dispositione et licite possitis, et valeatis respective, dicta auctoritate tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Non obstante quod ea, quae praesentibus sunt contraria praedictis nostris litteris, nec non Apostolicis, ac in Conciliis etiam generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem etc., 12 Augusti 1711, Anno XI.

643.

Romae, 15 . VIII . 1711

Regi Poloniae de apostasia Cyrilli Szumlanskyj.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 88, fol. 36v-37.

APF, *Scrutt. riferite nei Congressi: Moscovia, Polonia, Rutheni*, vol. 3, fol. 381-2.

Charissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PP. XI. Charissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Grave profecto, ac peracerbum nobis accidit nuncium, quod nuper ex multorum literis allatum ad nos fuit de infelici lapsu Cyrilli Szumlanski³³, Monachi rutheni, quem Venerabilis frater Russiae Metropolitanus³⁴ Administratorem Luceoriensis Ecclesiae deputaverat³⁵, donec legitimo eius Episcopo a Moschis detento pristina libertas restitueretur. Is porro lapsus quemadmodum Maiestati etiam Tuae innotuisse iam credimus, in eo versatur, quod praedictus Cyrillus, dum Magnus Moscoviae Dux³⁶ in eadem Luceoriensi

³³ Cyrilus Szumlanskyj, Basilianus. Ex familia Szumlanskyj. Consanguineus Josephi Szumlanskyj, qui eum sibi in Coadiutorem in Sede Leopoliensi eligere desiderabat. Sed postquam anno 1709 eum Barlaam Szeptyckyj in Sede hac Leopoliensi praecessit, ipse arrepta occasione temporanae vacationis Sedis Luceoriensis (post incarcerationem violentam Dionysii Żabokryckyj a Petro I, Magno Duce Moscoviae) privilegium regium in hanc Eparchiam sibi procuravit (10. IV. 1710). Sed Metropolita Georgius Vynnyckyj ei tantummodo administrationem concessit. Qua non contentus contulit se Kioviam, ubi a Metropolita Kioviensi non unito consecratus est Episcopus. Sed in Vollhynia non receptus, abiit trans Borysthenem, ubi anno 1715 nominatur ut Episcopus Perejaslaviensis non unitus, et Coadiutor Metropoliac Kioviensis. Obiit 30. XI. 1724. *Cfr. Enc. Pow.*, vol. 24, p. 785-6.

³⁴ Georgius Vynnyckyj (1710-1713). *Cfr. supra*, nota 302.

³⁵ Post incarcerationem, deportationem et sortem incertam Episcopi Dionysii Żabokryckyj.

³⁶ Petrus I (1682-1725).

Civitate non ita pridem commorabatur, sacrilega, ut opinamur, ambitione tactus se illius patrocinio subiecerit, et mox ab eo ad Pseudo-Patriarcham Kyoviensem³⁷ dimissus fuerit, ut Ecclesiae, quam administrabat, Episcopus praeficeretur, simulque consecrationis munus ab ipsomet Pseudo-Patriarcha susciperet.

Quo plane iniquo, detestandoque consilio nedum ille ab unione cum Catholica Romana Ecclesia turpiter descendit, et alienam Sedem temere occupare molitus est, sed etiam Clerum, populumque illius amplissimae Dioecesis, qui nuper schisma deseruit, facile a nostra communione seducet, suisque partibus adiunget, ubi celeri, validoque remedio impiis eius conatibus non obsistatur. Gravissimo itaque huic malo pro pastoralis officii debito, quantum nobis licet, occurrere cupientes, Maiestatem Tuam enixe hortamur, rogamus, atque etiam in Domino obtestamur, ut universos praefatae Civitatis, ac Dioecesis incolas serio admonendos quamprimum curet, ne Pseudo-Episcopum Cyrillum recipiant, et admittant, ullumve illi obsequii genus exhibeant, quin potius ut lupum a Domini gregis caula forti, constantique animo repellant, et arceant, debitamque reverentiam ac obedientiam praesent legitimo eiusdem Ecclesiae Administratori propediem a nobis constituendo. Caeterum de eo, quem profiteris, divini honoris, ac Orthodoxae Religionis zelo, simulque de filiali tua erga Nos, et hanc Sanctam Sedem observantia tam praeclare sentimus, ut supervacaneum prorsus arbitremur ad strenue gerendam eiusmodi aequissimam causam te pluribus excitare. Illud proinde unum pro comperto habere te cupimus, voluntatem nostram admodum, ut probe nosti, erga te propensam arctius quoque, et gravius obstringendam eo nomine fore Maiestati Tuae, cui interim Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum, etc. die 15 Augusti 1711.

644.

Romae, 15 . VIII . 1711

Idem Supremo Exercituum Regni Poloniae Duci.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 38, fol. 19v-20.

APF, *Scritt. rif. nei Congressi...*, vol. 3, fol. 390rv.

Dilecto filio, nobili viro,
Exercituum Regni Poloniae Duci campestri.

CLEMENS PP. XI. Dilecte fili, nobilis vir, salutem.

Perspectum Nobilitati Tuae satis esse arbitramur, quam impio, detestandoque consilio Cyrillus Szumlanski³⁸, Monachus ruthenus Ordinis S. Basilii, qui a Venerabili fratre Russiae Metropolitano constitutus fuerat Administrator Luceoriensis Ecclesiae, non ita pridem ab unione cum Catholico-

³⁷ Tunc temporis Metropolita Kioviensis non unitus erat Joasaph Krokovskyj (1707-1718).

³⁸ Cfr. supra, nota 302.

Romana Ecclesia defecerit, et illegitima prorsus auctoritate suffultus Luceoriensem Episcopalem Cathedralam, etsi minime vacantem, invadere aggressus sit. Quamvis autem minime vereamur, quin pro praestanti divini honoris, et orthodoxae religionis zelo, quo te incensum esse confidimus, sacrilegis eiusdem Cyrilli conatibus, quantum in te erit, obstiturus ultro sis, nihilominus ea, quam gerimus, omnium Ecclesiarum sollicitudine impellente, Nobilitatem Tuam paternis nostris cohortationibus excitandam esse duximus, sicuti vehementer in Domino excitamus, atque etiam obtestamur, ut omni studio, ac ope evitaris, ne praedictae Luceoriensis Civitatis et Dioecesis incolae Pseudo Episcopum Cyrillum ullo modo recipiant, et admittant, ullove obsequii genere morem illi gerant, quin potius, ut lupum a Dominici gregis caula forti, constantique animo repellant, et arceant, debitamque ceteroquin reverentiam ac obedientiam legitimo eiusdem Ecclesiae Administratori, qui proxime a nobis deputabitur, exhibeant. Quod dum te pro egregia pietate, atque etiam filiali tua in nos, et hanc Sanctam Sedem devotione sedulo praestitutum fore non ambigimus, Nobilitati Tuae paternae nostrae charitatis testem Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum die XV Augusti 1711.

Supremo exercituum Regni Poloniae Duci etc. Eodem exemplo.

645.

Romae, 12 . XII . 1711

De eiectione Pseudoepiscopi Cyrilli Szumlanskyj e Luceoria, et de commisione administrationis eiusdem Ecclesiae Ep. Chelmensi.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 88, fol. 75v-76.

Charissimo in Cristo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PP. XI. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Nedum ex binis responsis, quae Maiestas Tua proxime nobis dedit, verum etiam ex iis adiuncto documento perhibentur cognovimus, quam alacri promptoque animo universis civitatis ac Dioecesis Luceoriensis Incolis distracte inhibueris, ne Cyrillo Szumlanski³⁹, Monaco rutheno, qui postquam ab Unione cum Catholica Romana Ecclesia turpiter defecit, eam episcopalem Sedem temere invadere et occupare molitus est, ullum honoris vel obsequii genus exhibeant, ac mandaveris, ut neminem alium pro legitimo eiusdem Ecclesiae Administratore agnoscant ac recipiant, nisi quem nos ipsi constituerimus, eique dumtaxat congruam subiectionem, ac obedientiam praestent.

Continere proinde nullo modo Nos possumus, quin hisce litteris perceptum a nobis ea de re solatium tibi declaremus, gratamque mentem erga te nostram hac peculiari significatione testemur. Caeterum de tuo, quo hac ipsa occasione luculenter ostendisti in rem catholicam et Sanctam hanc Sedem studio nobis id

³⁹ Cfr. supra, nota 302.

magis magisque polliciti minime dubitamus, quin regia autoritate tua effecturus sis, ut praefatus Cyrillus a Luceoriensi Ecclesia, quatenus eam (f. 76) reipsa occupaverit, eiiciatur quamprimum, ac ne illam de caetero perturbare possit, procul amandetur, simulque Venerabili fratri Episcopo Chelmsi⁴⁰ cui Nos eiusdem Ecclesiae administrationem in spiritualibus ac temporalibus non ita pridem committendam existimavimus ab iis ad quos spectat, debita obedientia tribuatur. Quae omnia Maiestati Tuae persuasum esse cupimus tam grata nobis futura, quam quae gratissima contingere nobis possunt. Tibique charissime in Christo fili noster, cum perpetuo felicitatis tuae voto coniunctam Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum etc., die 2 Decembris 1711 etc.

646.

Romae, 3 . XII . 1712

Iterum Regi Poloniae in negotio defectionis a fide catholica Cyrilli Szumlanskyj.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 89, fol. 18v-19v.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi...*, vol. 3, fol. 416rv.

Charissimo in Cristo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PP. XI. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Non unis literis ad nos affertur Cyrillum Szumlanski, Monachum ruthe-
num Ordinis Sancti Basilii, in spem erectum occupandae tandem Luceoriensis
Ecclesiae⁴¹ ob rumorem istis in partibus evulgatum obitus legitimi Episcopi
eiusdem Ecclesiae, qui a Moschis captivus detinebatur⁴², nunc maxime no-
vas res moliri, et iniquum perficiendum consilium praesentis magni Moscoviae
Ducis⁴³ ope, atque praesidio roborari. Quamobrem Maiestatem Tuam rursus
hortari. et quam enixe rogare cogimur, ut iis adhibitis mediis, quae pro spe-
ctata prudentia sua magis opportuna iudicaverit, turbulenti huius hominis
audaciam omnino coerceat, et quae de eodem Cyrillo a Luceoriensi Ecclesia
prorsus repellendo, congruaque subiectione ac obedientia praestanda Vene-
rabili fratri Episcopo Chelmsi⁴⁴, cui Nos ipsius Ecclesiae administrationem
tam in spiritualibus, quam in temporalibus dudum commisimus, anno praeteri-
to nobis flagitantibus recte, sapienterque constituit, ea rata, ac fixa esse velit,
debitaeque executioni ab iis, ad quos pertinet, demandari strenue curet.
Erit id quidem tum causae aequitati, illius Ecclesiae bono, filialique tuo in
hanc Sanctam Sedem studio maxime consentaneum, tum nobis gratum ad-

⁴⁰ Josephus Levyckyj (1711-1730).

⁴¹ Cfr. nota, 302.

⁴² Obiit etiam deponatus anno circiter 1715.

⁴³ Petrus I (1682-1725).

⁴⁴ Josepho Levyckyj (1711-1730).

modum, et acceptum, qui Deum iugiter exorantes, ut Orthodoxae Religionis solatium, et Poloniae tutelam te quam diutissime sospitem tueatur, pontificiae charitatis pignus Apostolicam benedictionem Maiestati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae etc., die 3 tia Decembris 1712.

647.

Romae, 3 . XII . 1712

Iterum Supremo Duci Exercituum Regni Poloniae, ut Eparchiam Luceorientem contra Pseudoepiscopum Cyrillum Szumlanskyj defendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 89 fol. 19v-20.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi...*, vol. 3, fol. 415rv.

Dilecto filio, nobili viro, Supremo Exercituum Regni Poloniae Duci.

Duci Campestri Exercituum Regni Poloniae eodem exemplo.

CLEMENS PP. XI. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Commoti vehementer sumus ex iis, quae de Cyrillo Szumlanski, Monacho rutheno Ordinis Sancti Basilii, nuperrime nobis renunciata fuerunt; quod scilicet ipse oblatam sibi putans idoneam occasionem invadendae tandem Luceorientis Ecclesiae ob sparsum illis in partibus rumorem obitus legitimi Episcopi eiusdem Ecclesiae, quem Moschi captivum detinebant, eius possessionem in praesens occupare omni ope contendat, eumque in scopum Magni Moschoviae Ducis officii et autoritate fulciatur. Cum itaque sacrilegis eiusdem Cyrilli conatibus ex pastoralis muneris debito omni, qua possumus, ratione assistere teneamur, praeter ea, quae ad charissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, hac de re perscribimus⁴⁵, Nobilitatem quoque Tuam iterum hortandam duximus, sicuti diligenter hortamur, ut quantum in te erit, omni adhibito studio enitaris, ne Clerus, et populus praedictae Luceorientis Civitatis, eiusque Dioecesis iuxta pontificia, ac Regis mandata Pseudoepiscopum Cyrillum ullo modo recipiant, et admittant, ullumve obsequii genus illi praestent; quin potius ipsum, qua par est, animi fortitudine, atque constantia ab ea Ecclesia penitus arceant, ac debitam caeteroquin obedientiam Venerabili fratri Episcopo Chelmensi, quem Nos praedictae Ecclesiae Administratorem tam in spiritualibus, quam in temporalibus iampridem constituimus, omnino tribuant, id si, quemadmodum de pia spectataque tua in hanc Sanctam Sedem devotione nobis abunde pollicemur, sedulo curaveris, rem nobis facies imprimis gratam, qui vicissim praecipua pontificiae nostrae benevolentiae testimonia tibi, ubi res feret, exhibere parati, Apostolicam benedictionem Nobilitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae, etc., die tertia Decembris 1712, etc.

⁴⁵ Cfr. Breve praecedens.

648.

Romae, 18 . IX . 1714

Provisio Kioviensis et Haliciensis Ecclesiarum Ritus Graeco-uniti invicem unitatem pro R.P.D. Leone Kiška, ad illas iuxta Decretum Sacrae Congregationis de Propaganda Fide translato.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2538, fol. 679r-682r.

CLEMENS Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Leoni Kiška¹⁶ Archiepiscopo Kiovien. et Halicien., salutem et Apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis quem Pastor ille celestis et Episcopus animarum potestatis plenitudine Ecclesiis praetulit universis, sollicitudo requirit etc. (*cfr.* 22 . IX . 1695). Sane Kiovien. et Halicien. Ecclesiis Ritus Graeci invicem perpetuo unitis et quibus bo.me. Georgius Winnicki ultimus illarum Archiepiscopus dum viveret praeerat per obitum dicti Georgii Archiepiscopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, Pastoris solatio destitutis, Nos vacatione huiusmodi dignis relatibus intellecta, ne Kiovien. et Halicien. Ecclesiae praedictae longe vacationis exponantur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo Kiovien. et Halicien. Ecclesiis praedictis personam utilem ac etiam fructuosam cum Venerabilibus fratribus nostri habuimus diligentem, demum ad te, Episcopum Vlodimirien. quem iam pridem Episcopi eiusdem ritus praedicti Sanctae Romanae Ecclesiae uniti ad Kiovien. et Halicien. Ecclesias praedictas de more elegerunt, quique fidem catholicam expresse professus fuisti et pro quo charissimus in Christo filius noster Poloniae Rex nobis ad hoc per suas litteras supplicavit, consideratis grandium virtutum meritis quibus personam tuam illarum Largitor altissimus multipliciter insignivit et quod tu, qui Ecclesiae Vlodimirien. hactenus laudabiliter praefuisti Kiovien. et Halicien. Ecclesias praedictas scies, voles, et poteris, ethore Domino, salubriter regere, et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis, intendentes igitur tam Kiovien. et Halicien. Ecclesiis praedictis, quam illarum gregi Dominico salubriter providere te a quibusvis etc. censentes, ac electionem ipsam de eorundem fratrum consilio Apostolica auctoritate approbantes et confirmantes omnesque et singulos defectus substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, dicta Apostolica auctoritate supplentes et sanantes, te iuxta Decretum in Congregatione eorundem fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per nos approbatum a vinculo quo dictae Ecclesiae Vlodimirien., cui tunc praeeras, tenebaris de simili consilio et Apostolicae potestatis plenitudine absolventes ad Kiovien. et Halicien. Ecclesias praedictas de consilio et potestatis plenitudine paribus transferimus, teque illis in Archiepiscopum praeficimus et

¹⁶ Leo Kiška, Basilianus, qui etiam munere Protoarchimandritae fungebatur 1703-1714). Anno 1711 nominatus Episcopus Volodimiriensis (1711-1729), dein anno 1714 electus etiam Metropolitae Kioviensis (1714-1729). Vir insignis. Reliquit etiam opera scripta. Edidit homilias Hypatii Potij, Praedecessoris sui (1591-1613), et compilavit Vitas Basilianorum. *Cfr. Analecta OSBM*, Ser. I, vol. I-VI. Žovkva 1924-1939.

Pastorem, curam, regimen, et administrationem Kiovien. et Halicien Ecclesiarum huiusmodi tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad Kiovien. et Halicien. Ecclesias praedictas transeundi licentiam tribuendo, in illo qui dat gratias, et largitur premia confidentes, quod dirigente Domino actus tuos Kiovien. et Halicien. Ecclesiae praedictae per tuae circumspectionis industriam et studium fructuosa regentur utiliter et prospere dirigentur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipient incrementa ipsaeque Kiovien. et Halicien. Ecclesiae gubernatori provide et fructuoso administratori gaudeant se commissas, tuque praeter aeternae retributionis premium nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis.

Quocirca Venerabilibus fratribus nostris Episcopis Suffraganeis etc. observari.

Volumus autem quod tu antequam regimini et administrationi Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum praedictarum te in aliquo immisceas in manibus Venerabilium fratrum nostrorum. Vilnen. et Leopoliens. Episcoporum fidelitatis debitae solitum iuramentum iuxta formam praesentibus adnotatam praestare et formam iuramenti praestiti huiusmodi ad eandem Congregationem de Propaganda Fide infra praefixum tempus transmittere omnino tenearis.

Ac insuper tecum ut statum tuum iuxta archiepiscopalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas ut Vlodimirien. et Bresten. Ecclesias in administrationem necnon Archimandriam Supraslien. Ordinis Sancti Basilii quam tu ad praesens obtines, ut prius retinere libere et licite valeas iuxta eiusdem Congregationis Decretum praedictum de specialis dono gratiae dispensamus, proviso interim quod Vlodimirien. et Bresten. Ecclesiae ac Archimandria praedictae debitis propterea non fraudentur obsequiis, sed earum congrue supportentur onera consueta; ac demum tibi facultatem consecrandi novos Episcopos eiusdemque ritus et in defectum Episcoporum ruthenorum cum assistentia duorum Archimandritarum vel duorum Episcoporum aut etiam duorum Praesbyterorum Latini Ritus, in ecclesiastica tamen dignitate constitutorum, per praesentes Apostolica auctoritate praedicta concedimus.

Volumus autem quod tu Kiovien. et Halicien. ecclesiarum praedictarum reparationi pro viribus incumbas, Sacrarium sacra supellectili etiam ad pontificalia exercenda sufficientem instruas, Seminarium ad praescriptum Concilii Tridentini instituas, Montemque Pietatis erigi cures, conscientiam tuam super his onerando.

Forma autem iuramenti, quod praestabis haec est: Ego Leo Archiepiscopus Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum Ritus Graeco-uni ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro, Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae ac Domino Nostro Domino Clementi PP. XI, eiusque successoribus... (*cf. infra, sub data 16 . XII . 1748*). Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quartodecimo, quintodecimo Kalendas Octobris. Pontificatus Nostri Anno quartodecimo.

Visa de Curia pro R.P.D. Maserio I.C. Battellus.

L. Martinetius.

649.

Romae, 5 . II . 1716

*Georgius Bizanczy deputatur Vicarius Apostolicus Munkaciensis.*ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2405, fol. 13rv.Dilecto filio Georgio Bizanczi, Praesbitero Ritus Graeci⁴⁷.

CLEMENS PP. XI. Dilecte fili, salutem etc.

Pro nostri pastoralis officii munere iis potissimum invigilare debemus, quae curam Christifidelium, ut in viam mandatorum Domini ad salutem animarum dirigantur, omnino respiciunt. Itaque de tuis fide, prudentia, integritate, doctrina, et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, sperantesque quod ea, quae tibi duxerimus committenda, cumulate sis expleturus, de Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, et pro Graecis in Dioecesi Munkaciana aliisque locis acquisitis in Hungaria commorantibus Vicarium Apostolicum cum iurisdictione, iuribus, et facultatibus necessariis, et opportunis ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum auctoritate Apostolica tenore praesentium facimus, constituimus, et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorundem Cardinalium. Mandantes propterea omnibus et singulis, ad quos spectat, et spectabit quovis modo in futurum, ut tibi in praemissis prompte pareant, et obediant, tuaque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam, sive poenam, quam rite tuleris, seu statueris in rebelles, ratam (f. 13v) habebimus et faciemus, auctore Domino, usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari. Non obstantibus... innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores etc. derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, etc., die 5 Februarii 1716, Anno 16.

650.

Romae, 20 . III . 1716

*Deputatio Nuntii Varsaviensis in Praesidentem Synodi Provincialis Ecclesiae Unitae.*ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2407, fol. 15rv.

Venerabili fratri Hieronymo Archiepiscopo Edesseno,
nostro et Apostolicae Sedis in Regno Poloniae Nuncio⁴⁸.

⁴⁷ Georgius Bizanczy, Episcopus Munkaciensis, cum titulo in partibus infidelium (1716-1733).

⁴⁸ Hieronymus Grimaldi (1712-1720), Nuntius Varsaviensis, Archiepiscopus Edessenus (5. X. 1712). Creatus Cardinalis 2. X. 1730. Cfr. R. RITZLER - P. SEFRIN, *Hierarchia catholica*, vol. V, p. 191.

CLEMENS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Cum, sicut accepimus, Venerabilis frater modernus Metropolita Russiae⁴⁹, una cum Venerabilibus fratribus Episcopis ruthenis Synodum super rebus ad eius Metropolitanam aliasque Ecclesias ruthenas spectantibus propedie celebrare intendat, Nos Synodum huiusmodi recte et feliciter ad Dei gloriam, dictarumque Ecclesiarum utilitatem celebrari cupientes, te, de cuius prudentia, integritate, et religionis zelo plurimum in Domino confidimus, in praedicta Synodo nostro, et Sedis Apostolicae nomine Praesidentem cum auctoritate, facultatibus, iurisdictione, honoribus, et oneribus similibus Praesidentibus competentibus, ac alias solitis, et consuetis, Apostolica auctoritate, tenore praesentium facimus, constituimus, et deputamus, teque in Domino hortamur, et monemus, ut Synodum huiusmodi fideliter regere, ac in illa omnia quae ad prosperum Ecclesiarum praedictarum regimen et gubernium pertinent, decerni, statui, et ordinari cures, et facias, ita tamen ut ea, quae in eadem Synodo decreta, statuta, et ordinata forent, in suspenso remaneant, illorumque executio, donec a Congregatione Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praeposita examinata, et approbata non fuerint, differri debeant. Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae praedictis Metropolitanis, et Episcopis ac dilectis filiis Clero in praedicta Synodo congregatis, aliisque, ad quos pertinet, ut te in eiusdem Synodi nostro et praedictae Sedis nomine (f. 15v) Praesidentem reverenter suscipiant, tibi in omnibus ad Praesidentis officium pertinentibus pareant, obediant, et assistant, tuaque salubria monita, et iussa humiliter suscipiant et efficaciter adimplere procurent. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac quatenus opus sit, Ecclesiarum huiusmodi etiam etc. statutis, et consuetudinibus, privilegiis, etc. innovatis. Quibus omnibus, et singulis, illorum tenores etc. derogamus, ceterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem etc., die 20 Martii 1716 Anno 16.

651.

Romae, 12 . III . 1720

Athanasio Szeptyckyj, Episcopo Leopoliensi, commendatur negotium Seminarii Leopoliensis Armenorum et Ruthenorum.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 94, fol. 244-246v.

Venerabili fratri Athanasio, Episcopo rutheno
Leopoliensi Ritus Graeci⁵⁰.

⁴⁹ Leo Kiška (1714-1729).

⁵⁰ Athanasius Szeptyckyj, Episcopus Leopoliensis (1715-1746), ab anno vero 1730 etiam Metropolita Kioviensis. Ex nota familia Szeptyckyj, quae plurimos hoc saeculo XVIII edidit Episcopos (Barlaam, Athanasius, Leo, Athanasius), ita ut saeculum hoc vocari potest in historia Ecclesiae Ucrainae « Periodus Szeptyckiana ». Ex eadem familia saec. XX Andreas Szeptyckyj, Metropolita Haliciensis et Leopoliensis Archiepiscopus (1900-1944) proveniebat.

CLEMENS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Inter innumeras pastoralis officii nostri curas illa non leviter animum nostrum assidue angit (f. 244) atque sollicitat, quod nondum adhibitum fuerit remedium malis plane gravissimis, quae ruthenas Dioeceses, magno Nationis nobis imprimis dilectae dedecore, maiori ecclesiasticae dignitatis, orthodoxaeque religionis detrimento, et maxima demum tot animarum Christi sanguine redemptarum iactura perturbant; licet enim non pauca in singulis Dioecesibus censeantur Parochorum millia, cum tamen ipsi mysteria fidei ad salutem necessaria prorsus ignorent, rusticisque operibus potius, quam sacris ministeriis vacare consueverint, hinc fit, quod caeci ipsi sint, et duces caecorum, adeoque ex eorum inscitia, atque desidia, in eandem Nationem nefandi illi errores, illique deterrimi abusus irrepserint, quos veluti Fraternitati Tuae, et nobis etiam probe notos silentio praeterire, quam verbis nunc explicare consultius arbitramur.

Illud tamen pontificiae nostrae solitudini non modicum solatium affert, quod amplissima ista Dioecesis eo peculiari nomine praeter modum nobis accepta, et commendata, quoniam ipsa, curantibus dilectis filiis, religiosis viris Missionariis ex Congregatione Clericorum Regularum (f. 245) Theatinorum nuncupatorum, sub idem fere tempus, quod Nos licet immerentes, ac inviti, supremam Beati Petri Cathedram conscendimus, unionem amplexa cum hac omnium Ecclesiarum Matre, et Magistra Romana Ecclesia, Pontificatus nostri primordia non parum laetificavit, Fraternitatis Tuae regimini commissa reperiatur. Novimus enim te prono, benignoque animo respicere praedictos Missionarios, et patrocinio fovere Seminarium a nobis pro Leopoliensi, aliisque finitimis Dioecesibus infinitum, nec pauca illius Alumnis benevolentiae, ac honoris argumenta hactenus praebuisse, dum eorum litterariis exercitationibus pluries interfuisti, fidelique illorum opera nedum in Cathechesi, sacrisque concionibus, verum etiam in dioecesana visitatione nuper a se magno cum animarum fructu, sicut accepimus, habita uti iudicasti. Quae cum synce- rum, atque devotum, quo Apostolicam Sedem colis, studium, tum etiam pietatem, vigilantiamque tuam luculenter ostendant, praeter modum grata nobis acciderunt, firmamque iniecerunt spem fore, ut laetiora in dies ab istis partibus, divina opitulante (f. 245v) gratia, afferri ad Nos possint.

Quamvis autem te ad memorati Seminarii incrementa promovenda satis propensum conspiciamus, id nihilominus ut omni ope facere pergas, vehementer a te patere non omittimus; in primis autem summopere optamus, ut illius Alumnis, postquam absoluto studiorum curriculo e Seminario discesserint, congruas in tua Dioecesi stationes assignes, in quibus propriae vocationi satisfacientes, excolendae Domini vineae sedulam navent operam, et necessarium honestae ipsorum sustentationi stipendium consequantur. Quod eo alacrius a te praestandum fore confidimus, qui certius perspectum habemus eiusdem Seminarii foundationem maxime cordi semper extitisse bo.me. Barlaamo, Praedecessori Patruoque tuo⁵¹, cuius vestigiis te libenter inhaesurum esse non dubitamus.

Quod superest, Fraternitatem Tuam impensissime hortamur, et obtesta-

⁵¹ Barlaam Szeptyckyj, Archimandrita Unioviensis, et dein post obitum Josephi Szumlanskyj Episcopus Leopoliensis (1710-1715).

mur, ut praemissos errores, ac abusus, quos in gregem fidei tuae commissum invectos fuisse dolemus, teque nobiscum similiter dolere, ac extirpare diligenter cures; quem in scopum (f. 246) Nos Venerabili fratri Hieronymo, Archiepiscopo Edessae⁵², nostro apud Poloniae Regem Nuntio Apostolico, iniungimus, ut pios conatus tuos omni studio iuvare, ac promovere, quotiescumque opus fuerit, non praetermittat; praefatis autem Missionariis districte mandamus, ut in omnibus spiritualibus tuae Dioecesis necessitatibus praesto tibi sint, nullique parcant incommodo, aut labori, ac insuper ubi eorum opera uti velis in examinandis Clericis, qui ad sacros potissimum Ordines promovendi erunt, tibi prompto animo assistant, ac inserviant. Quod ut facias, vehementer cupimus, cum ad restituendam in tua Dioecesi ecclesiasticam disciplinam, ac eliminandos errores, et corruptelas plurimum interest, ut digni, atque probati sacerdotes constituentur, ac eiusmodi gradus illis tantum deferatur, qui, quemadmodum sacris legibus cautum est, ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem, et ad ministranda sacramenta, praevio diligenti examine, idonei comprobentur, atque ita pietate, castisque moribus conspicui sint, ut praeclarum honorum operum exemplum, et vitae monita ab eis possint (f. 246v) expectari. Caeterum quaecumque alia a nobis suppeditari tibi posse censueris auxilia, atque praesidia, ut ministerium tuum plenius semper, ac feliciter implere valeas, ea desideranda numquam erunt Fraternitati Tuae, cui paternae interim benevolentiae nostrae pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum ut supra (*Romae etc. die 12 Martii 1720 etc.*).

652.

Romae 22 . VI . 1720

Nuntio Poloniae committitur visitatio Ecclesiae Unitae.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2491, fol. 18-19.

Venerabili fratri Hieronymo Archiepiscopo Edesseno,
apud charissimum in Christo filium nostrum Augustum,
Poloniae Regem Illustrem, nostro et Apostolicae Sedis Nuncio⁵³.

CLEMENS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Cupientes ad animarum salutem divinumque cultum promovendum, ecclesias, monasteria et alia loca pia Nationis Ruthenorum unitorum in tota Russia, ac Lithuania consistentia auctoritate nostra Apostolica visitari, ac de tua singulari pietate, honoris domus Dei zelo, prudentia, doctrina, ac rerum agendarum usu plurimum in Domino confisi, teque a quibusvis etc. censentes, de Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio, te, quem Nos alias per quasdam nostras desuper in simili forma Brevis die XX Martii MDCCXVI expeditas literas nostro et

⁵² Hieronymus Grimaldi (1712-1720). Cfr. notam 317.

⁵³ Cfr. notam 317.

Sedis Apostolicae nomine Praesidentem in Synodo per Venerabilem fratrem modernum Metropolitanam Russiae⁵⁴ una cum Venerabilibus etiam fratribus Episcopis ruthenis unitis celebranda sub certis modo, et forma tunc expressis deputavimus, in Russia, et Lithuania predictis nostrum et dictae Sedis Visitatorem cum facultate, sive per te ipsum, sive per personam ecclesiasticam fide, doctrina, pietate et rerum usu praestantem, quam ad id duxeris subdelegandam, cathedrales etiam metropolitanas, collegiatis, parochiales, et alias ecclesias, ac quorumvis Ordinum, Congregationum, et Institutorum regularium, etiam Societatis Jesu, monasteria tam virorum, quam mulierum, conventus, domos, hospitia, collegia, residentias, aliaque loca regularia, hospitalia quoque, confraternitates, ac stauropegiam nuncupatam, Sedi praedictae immediate subiectam, et alia pia, et religiosa loca, etiam de iure patronatus Laicorum in Russia et Lithuania huiusmodi existentia, illorumque Praelatos, Capitula, Conventus Superiores, et personas tam laicas quam ecclesiasticas saeculares et regulares cuiusvis status, gradus, ordinis, praecminentiae, et dignitatis existant, tam in capite quam in membris, semel tantum auctoritate nostra visitandi ac in illorum statum, vitam, mores, ritus, et disciplinam diligenter inquirendi, nec non evangelicae et Apostolicae doctrinae sacrorumque Canonum, et generalium Conciliorum decretis, et Sanctorum Patrum traditionibus, regularibusque eorum institutis respective inhaerendo, quaecumque mutatione, correctione, emendatione, revocatione, et renovatione indigere cognoveris, reformandi, mutandi, corrigendi, revocandi, renovandi, ac etiam de novo condendi, condita Sacris Canonibus, et Concilii Tridentini Decretis, ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, regularibusque Institutis praedictis non repugnantia confirmandi, abusus quoscumque tollendi, regulas, institutiones, ac ecclesiasticam regularemque disciplinam ubicumque exciderint modis congruis restituendi, et reintegrandi, dicti Concilii Tridentini Decreta custodiri praecipienda, dictasque personas ad debitum, et honestum vitae modum revocandi, et quidquid statueris, ad ordinaveris observari faciendi, inobedientes (f. 19) per censuras et poenas ecclesiasticas, aliaque opportuna iuris et facti remedia compescendi, aliaque omnia et singula in praemissis, et circa ea, ac pro huiusmodi munere rite, et recte explendo, necessaria, et quomodolibet opportuna faciendi, dicendi, gerendi, mandandi et exequendi, auctoritate Apostolica, tenore praesentium constituimus, et deputamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis memoratorum Cardinalium.

Mandantes propterea omnibus, et singulis Archiepiscopis, Episcopis, Praelatis, Capitulis, aliisque personis ecclesiasticis tam saecularibus quam cuiusvis Ordinis, Congregationis, et Instituti, etiam praedictae Societatis Jesu Regularibus, caeterisque ad quos spectat, ut te in Visitatorem Apostolicum, a nobis, ut praefertur, deputatum recipiant, et obsequantur, tuaque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam sive poenam etc. observari.

Volumus autem, ut ubi impositum tibi munus Visitoris huiusmodi impleveris, omnia et singula acta et decreta eiusdem tuae Visitationis sub tuo sigillo clauso ad Nos. seu memoratam Cardinalium Congregationem quam pri-

⁵⁴ Leo Kiška (1714-1729).

num diligenter transmittas, ut quod desuper statuendum fuerit, matura consultatione adhibita decernamus. Non obstantibus Apostolicis etc. nec non ecclesiarum, monasteriorum, hospitalium, conventuum, collegiorum (f. 19v), Ordinum, Congregationum, et Institutorum regularium, etiam Societatis praedictae, et locorum piorum quorumcumque, aliisque quibusvis, etiam etc. statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque. indultis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, et literis Apostolicis illis eorumque Praesulibus, Prelatis, Superioribus, et personis saecularibus et regularibus quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis etc. confirmatis, et pluries innovatis. Quibus omnibus et singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis etc. servanda foret, tenores huiusmodi etc. derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum apud S. Mariam Maiorem etc., 22 Junii 1720, An. 20.

653.

Romae. 20 . VI . 1720

Datur facultas Nuntio Poloniae visitandi Collegia Pontificia, speciali modo Leopoliense Armenorum et Ruthenorum.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2491, fol. 24-27.

Venerabili fratri Hieronymo Archiepiscopo Edesseno, apud charissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, nostro et Apostolicae Sedis Nuntio.

CLEMENS PP. XI. Venerabilis frater, salutem etc.

Inter gravissimas Apostolici muneris nostri curas non praetermittimus de Collegiorum quorumlibet pro recta iuventutis institutione, ad Dei gloriam fideique catholicae conservationem et propagationem pie prudenterque eorum statu prospere dirigendo cogitare ac quaecumque ad id necessaria et opportuna fore cognoscimus facere, et ordinare, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire. Itaque spirituali temporalique utilitati Collegiorum Pontificiorum Armenorum et Ruthenorum unitorum Leopoliensium, quorum cura dilectis filiis Clericis regularibus Congregationis Theatinorum nuncupatorum auctoritate Apostolica demandata reperitur, quantum nobis ex Alto conceditur providere cupientes ac de Fraternalitatis Tuae fide, prudentia, charitate, integritate, ac catholicae religionis zelo plenam habentes in Domino fiduciam, teque a quibusvis etc. censentes, de Venerabilium fratrum etc. consilio, te praedictorum Collegiorum nostrum et Apostolicae Sedis Visitatorem etc. deputamus, tibi que harum serie committimus, et mandamus, ut quam primum poteris sive per te ipsum, sive per personas ecclesiasticas fide etc. subdelegandas, Collegia praedicta, eorumque Rectores, et quosvis alios Superiores, Officiales, et Ministros quocumque (f. 24v) nomine nuncupatos, nec non omnes et singulos illorum Alumnos, et Scholares seu Collegiales, et alias personas quascumque, tam laicas quam ecclesiasticas saeculares, et regulares,

tam in capite, quam in membris ad praescriptum Sacrorum Canonum et Concilii Tridentini, nec non Apostolicarum et Collegiorum huiusmodi constitutionum semel tantum auctoritate nostra visites, ac in illorum studia, vitam, mores, et disciplinam diligenter inquiras. Praeterea quoad bona tam mobilia quam immobilia, nec non redditus et proventus dictorum Collegiorum quonam modo administrata hucusque fuerint et nunc administrentur, attente inspicias et a quibuscumque honorum, reddituum, et proventuum huiusmodi Administratoribus, tam praesentibus, quam praeteritis, si ita tibi videbitur, administrationis suae rationem exigas, et ad hunc effectum eos et eorum quemlibet ad exhibenda eorum computa reddendamque rationem huiusmodi compellas.

Nos enim tibi praemissa omnia et singula aliasque desuper et pro mandato tibi munere rite et recte explendo quomodolibet necessaria, et opportuna faciendi, dicendi, gerendi et exequendi, ac inobedientes per censuras et poenas ecclesiasticas aliaque opportuna iuris et facti remedia compescendi, quaecumque necessariam et opportunam facultatem auctoritate et tenore praesentis tribuimus, et impartimur, salva tamen semper etc. Mandantes propterea omnibus etc. et recognoscant, tibi in omnibus ad visitationem huiusmodi spectantibus iuxta earundem tenorem praesentium prompte pareant, et obsequantur, ac tua salubria monita etc. adimplere procurent, alioquin etc. observari. Volumus autem, ut quaecumque in praemissis egeris etc. decernamus. Non obstantibus etc. innovatis. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque tenoribus specialis etc. servanda foret, tenores huiusmodi etc. derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 20. Junii 1720, Anno 20.

654.

Romae. 19 . VII . 1720

Metropolitae Kioviensi aliisque Episcopis Suffraganeis commendantur res Unionis in Synodo Provinciali in Zamostia pertractandae.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 94, fol. 296-297v.

Venerabilibus fratribus Leoni Kiska, totius Russiae Metropolitano, ac universis ruthenis Episcopis Ritus Graeci in Provinciali Synodo congregatis⁵⁵.
CLEMENS PP. XI. Venerabiles fratres, salutem etc.

⁵⁵ Synodus Provincialis Zamostiana locum habuit in civitate Zamostia anno 1720, diebus 26 Augusti usque 17 Septembris. Synodus tribus publicis sessionibus conclusa est, praesidente Nuntio Apostolico. Dein Acta Synodalia Romam transmissa, examinata et tandem approbata fuerunt a Benedicto XIII Brevi *Apostolatus officium*, de data 19 . VII . 1724. Sat copiosa prostat bibliographia. Opiniones tamen circa eius valorem discordant. Revera tamen Synodus haec basim legis particularis Ecclesiae Ruthenae usque ad an. 1891 constituebat. Cfr. *Synodus Provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciae*, in MANSI, *Collectio Conciliorum*, vol. XXXVII, Romae 1724, et Romae 1883. Cfr. aliam bibliographiam sat amplam in opere A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948, p. 258-261.

Verbis exprimere non satis possumus gaudium plane intimum, et singulare, quo paternum cor nostrum perfusum fuit, ubi a Congregatione Venerabilium fratrum nostrorum negotiis Propagandae Fidei praepositorum nuper accepimus Fraternitates vestras ad restituendam in istis Ruthenae Nationis Dioecesis veram pietatem, ac ecclesiasticam disciplinam, ferventi studio incumbere, eoque potissimum consilio ad istam Provinciale Synodum convenisse, ut scilicet opportunas rationes, ac salubriora remedia constitueretis, per quae errores temporum calamitate, hominumque fraude inveci extirparentur, ac regimini vestro commissi sacerdotes, et populi ad syncerum cultum orthodoxae religionis, sine qua placere Deo nequaquam possumus, tum etiam ad illibatam, ac (f. 296) integram Ritus Catholici professionem revocarentur. Quocirca post actas Caelesti Pastorum Principi humiles gratias, quod Fraternitatibus vestris piam hanc, gradusque vestri amplitudini, et sanctitati maxime dignam mentem iniecerit, pontificii muneris nostri esse ducimus vobis effusam meritamque tribuere laudem, et quamvis ultro bene currentibus paternae vocis nostrae calcar admovere, ut in suscepto religiosissimo proposito constanter pergatis, ac in eo praesertim strenuam, sedulamque ponatis operam, ut graves illi abusus, qui in Sacrorum Ministrorum electione, non sine magno animarum detrimento, quemadmodum probe nostis, irrepserunt, ex vestris Dioecesis eliminantur quamprimum, ac penitus e medio tollantur.

Quae quidem vota, ac desideria nostra fusius vobis explicabit Venerabilis frater Hieronymus, Archiepiscopus Edessae, noster et Apostolicae Sedis in Regno Poloniae Nuntius, quem Nos, illustre vobis praebituri argumentum existimationis, ac amoris, quo Ritus (f. 297) Graeci Professores, et Ruthenam in primis Nationem omni tempore complexi sumus, et adhuc complectimur, Synodo vestrae coram adesse, eique nostro nomine praesidere volumus, ut spiritualibus vestris necessitatibus auctoritate nostra praesens opem ferre, ac ea omnia sedulo promovere possit, quae communi vestro bono, animarum saluti, divinaeque gloriae incremento utilia, ac opportuna fore videbuntur. Vestrum itaque erit eundem Praesulem iis honoris, et reverentiae significationibus excipere, quae praestantibus illius virtutum ornamentis, ac in primis conspicuo, quo a nobis insignitus est, muneri plane debentur; tum etiam iis, quae ipse nostro nomine vobis exponet, integram adhibere fidem, ac demum illius consiliis, et monitis pronas, facilesque praebere aures; cum pro explorato habere debeatis ea non aliunde proficisci, quam a paterna, ac sane intima, qua vos in Domino prosequimur charitate, nec aliud certe spectare, quam communem vestram totiusque Ruthenae Nationis nobis (f. 2971) commendatissimae utilitatem.

Haec autem omnia pro perspecta virtute zeloque vestro ita praestanda a vobis fore confidimus, ut uberiora in dies ab hac Sancta Sede laudum praecordia ac tandem a Redemptore nostro amplissimam illam, quam bonis fidelibusque Pastoribus pollicitus est, retributionem consequi mereamini. Eum interim Nos enixe rogare non desinemus, ut sit in medio vestrum quatenus ad illius iustitiam faciendam vestra procedant eloquia, dirigantur cogitationes, et opera, et Fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, etc., die 19 Julii 1720, etc.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

INNOCENTIUS PP. XIII

(8.18.V.1721 — 7.III.1724)

romanus

(Michael dei Conti)

DOCUMENTA INNOCENTII PP. XIII

655.

Romae, 31 . I . 1722

De bonis Ecclesiae Unitae proxime recuperandis, ut in usum ecclesiasticum restituantur enixe inculcatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 95, fol. 141v-142.

Charissimo in Christo filio nostro Augusto, Poloniae Regi Illustri¹.

INNOCENTIUS PP. XIII. Charissime in Christo fili noster, salutem etc.

Ingentem animo dolorem concepimus, ubi nobis nuntiatum est periculum imminere, ut, istius Regni Proceribus satagentibus, in proximis Comitibus generalibus decernatur bona Episcopatum, atque Monasteriorum Russiae utpote Sacrarum Aedium, quae post ultimum bellum subsunt ditioni Serenissimi Czaris², adiudicanda esse Regiae isti Coronae, ita ut Maiestati Tuae, tuisve in Regno successoribus liberum sit eorumdem largitione laicos homines bene de Republica meritis remunerare. Sed, quae est nostra de tua insigni pietate, atque aequitate constans opinio, nobis omnino polliciti sumus Maiestatem Tuam tuopte ingenio eiusmodi conatibus restitutam. Satis enim intelligis ad apertum catholicae religionis discrimen vergere, si ecclesiastici proventus piis usibus addicti distrahantur in laicos, cum neque Episcopi iis destituti Ovibus suae fidei creditis succurrere, neque Monasteria sufficientem religiosorum virorum numerum alere ad animarum salutem procurandam, neque quae Dei sunt cum decenti cultu, atque pro dignitate administrari possint. Nihilo tamen minus ex pastoralis officii nostri debito te paterne hortamur, rogamusque, ut nil aliud praeter ipsum Deum ob oculos habens impendenti huic procellae diligenter occurras, et Regiae autoritatis praesidio a Domino sibi traditae, Ecclesiarum, et Monasteriorum huiusmodi patrocinium suscipias, quo minus eorum rationes, et iura violentur. Pluribus autem perspectum zelum tuum inflammare abstinemus, ne egregiae tuae in Deum pietati, et in Nos ipsos filiali observantiae diffidere videamur, Apostolicam interim benedictionem cum assiduae felicitatis voto coniunctam Maiestati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 31 Ianuarii 1722, Pontificatus Nostri Anno Primo.

¹ Rex Fredericus Augustus II de Saxoniam (1697-1733).

² Agitur de bellis quae primo decennio saec. XVIII totam Europam Septentrionalem et Orientalem infestabant. Protagonistae erant imprimis Petrus I, Moscoviae, et Carolus XII, Suetiae. Huic certamini principali adiuncta erat etiam lucta inter praetendentes ad thronum Poloniae, Fredericum Augustum II et Stanislaum Leszczynski. Hic agitur fortasse de pace Moscoviam et Suetiam inter an. 1721, in qua etiam alia negotia ordinata erant.

656.

Romae, 3 . VII . 1722

Deputatio Nuntii Poloniae pro visitatione Collegiorum Armeni et Rutheni Leopoliensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2581, fol. 15-16.

Venerabili fratri Vincentio Archiepiscopo Trapezuntino,³ apud charissimum in Cristo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, nostro et Apostolicae Sedis Nuncio.

INNOCENTIUS PP. XIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Inter gravissimas Apostolici muneris nostri curas etc. (*prout die 20. VI. 1720*).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, die 3 Julii 1722, An. 2

657.

Romae, 3 . VIII . 1722

Deputatur novus Nuntius Varsaviensis in Visitatorem Ecclesiae Unitae.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2581, fol. 20-21.

Venerabili fratri Vincentio Archiepiscopo Trapezuntino, apud charissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, nostro et Apostolicae Sedis Nuncio.

INNOCENTIUS PP. XIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Cupientes ad animarum salutem divinumque cultum etc. (*prout sub data 22.VI.1720, mutatis mutandis, et omissa adnotatione de nominatione praecedentis Nuntii in Praesidentem Synodi Ruthenorum*).

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 3 Augusti, An. 2.

658.

Romae, 7 . VIII . 1723

Indulgentia plenaria pro visitantibus ecclesias Basilianorum die 16 Septembris, id est festivitate S. Josaphat.

ASV, *Arch. dei Brevi Apostolici*, vol. 2612, fol. 559.

INNOCENTIUS PP. XIII. Universis Christifidelibus praesentes literas inspecturis, salutem etc.

Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem coelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus

³ Anno 1722 Nuntius Varsaviensis erat iam Vincentius Santini (1722-1728).

Cristifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Monachorum Ruthenorum Ritus Graeci catholici Ordinis Sancti Basilii Magni ubicumque existentibus, die decimasexta mensis Septembris, a primis vespers usque ad occasum solis diei huiusmodi devote visitaverint, et ibi pro christianorum principum etc. effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus pro unica vice valituris.

Volumus autem, ut si pro impetratione etc. nullae sint, utque praesentium literarum transumptis etc. ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem etc., 7 Augusti 1723, Anno 3.

659.

Romae, 10 . II . 1724

A Sancta Sede sollemniter confirmatur retentio bonorum pro illis omnibus, qui ex Schismate ad Catholicam veniunt Ecclesiam.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2608, fol. 16-19.
Bullarium Romanum, vol. 21, p. 956-7, nr. 96:

INNOCENTIUS PP. XIII. Ad futuram etc.

Aeterni Pastoris, qui misericors et miserator existit, nec vult mortem peccatoris, sed ut magis convertatur, et vivat, vices, licet immeriti, in terris gerentes, iis etiam, qui a fide Christi aliquando aberant, pietatis et misericordiae ianuam reseramus, ac poenas, quas iuris severitas in eos statuit, Apostolicae Sedis clementia moderamus, ut eiusdem Sedis benignitate allekti, suis abiuratis erroribus, ad Christi Ovile, et pascua salutis reducantur. Cum itaque, sicut Venerabiles fratres Archiepiscopi, et Episcopi rutheni cum S. R. E. uniti, nobis nuper exponi fecerunt, ipsi nil adeo Ruthenos schismaticos, quominus ad verae et orthodoxae fidei unitatem revertantur, detinere, ac morari compererint, quam metum privationis, et amissionis honorum suorum temporalium, ad gremium S. R. E. revertentibus ex causa Schismatis, in quod delapsi fuerant, multoties etiam per vim auferri consueverunt, et si istiusmodi poena, quae in illis partibus invaluit, e medio tolleretur, et bona temporalia ad fidei catholicae unitatem redientibus reservarentur, futurum sperent, ut Rutheni schismatici facilius lubentiusque Schisma eiusque errores abiiciant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos animarum saluti quantum cum Domino possumus consulere cupientes, ipsorumque Archiepiscoporum et Episcoporum votis hac in re favorabiliter annuere volentes, illorumque singulares personas a quibusvis etc. censentes (f. 16v)), huiusmodi supplicationibus inclinati, quod deinceps omnibus, et singulis Ruthenis utriusque sexus tam laicis quam clericis saecularibus, et quorumvis Ordinum et Militiarum Regularibus cuiuscumque status, gradus, ordinis, vel conditionis existant, etiamsi pontificali aut alia quacumque ecclesiastica vel mundana dignitate fulgeant, qui Schismate eiusque erroribus abiuratis, ad eiusdem S.R.E. et Universalis Ecclesiae unitatem sincero corde

revertentur, dummodo tamen relapsi non fuerint, bona, res, iura, et actiones, tam activae quam passivae, quae ad eos etiam ante tempus, ac tempore eorum lapsus in Schisma, et errores huiusmodi quomodolibet legitime spectabant, seu spectare, eisve competere poterant, integre reserventur, ac reservata, et reservatae esse intelligantur, ita quod post suam reversionem ad eiusdem Ecclesiae communionem illa retinere, illisque frui, et potiri libere, et licite possint, nullusque eos desuper ex causa Schismatis molestare, vel perturbare iisque damnum, vel minimum praeiudicium adferre audeat, seu praesumat, auctoritate Apostolica tenore praesentium statuimus, et declaramus. Decernentes easdem praesentes litteras firmas, validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri, et obtinere, ac illis, ad quos spectat, et pro tempore spectabit in futurum plenissime suffragari, et ab eis respective inviolabiliter observari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios etc. attentari. Non obstantibus praemissis, ac quibusvis Apostolicis etc. ordinationibus, legibus quoque imperialibus, et municipalibus, ac consuetudinibus, etiam immemorabilibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, X Februarii 1724, An. 3.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

BENEDICTUS PP. XIII

(29.V.4.VI.1724 — 21.II.1730)

romanus

(Petrus Franciscus Orsini)

DOCUMENTA BENEDICTI PP. XIII

660.

Romae, 19 . VII . 1724

Auctoritate Apostolica Acta et Decreta Synodi Zamostianae confirmantur.

Synodus Provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciae an. 1720, ed. II, Romae 1838.

DE MARTINIS R., vol. II, p. 365-6, nr. 1.

BENEDICTUS PP. XIII. Ad futuram rei memoriam.

Apostolatus officium, quod inscrutabilis Divinae Sapientiae, atque bonitatis altitudo humilitati nostrae committere dignata est, salubriter exequi, adiuvante Domino, iugiter satagentes, illa quae a catholicis Antistitibus in partem sollicitudinis nostrae vocatis pro faelici Dominici gregis sibi commissi regimine, ac Christianae Religionis, Catholicaeque Fidei propagatione, et progressu prudenti, providaque pietate salubriter constituta, et ordinata esse noscuntur, ut firma, atque stabilia persistent Apostolici muniminis nostri patrocinio libenter roboramus. Exponi siquidem nobis nuper fecit Venerabilis frater modernus Metropolita Russiae⁴, quod ipse una cum Venerabilibus fratribus Episcopis ruthenis unitis sub praesidentia Venerabilis pariter fratris Hieronimi⁵ Archiepiscopi Edessen., tunc in Regno Poloniae Sedis Apostolicae cum facultatibus Legati de Latere Nuncii pro faelici, salubrique Christi fidelium earumdem partium curae suae pastoralis commissarum in via mandatorum Domini directione, et Christianae Fidei, ac religionis propagatione, piorumque operum progressu, et incremento Synodum Provinciale Ruthenam in Civitate Zamosciae Anno MDCCXX celebravit, multaque in illa statuta, decreta et ordinationes edidit. Cum autem sicut eadem expositio subiungebat praedictus modernus Metropolita praemissa quo firmiter subsistant, et serventur exactius Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiti summopere desideret, Nos piis eiusdem Metropolitae votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere, eumque specialibus favoribus, et gratiis prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ed effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, tam de Venerabilium fratrum nostro-

⁴ Leo Kiška (1714-1729).

⁵ Hieronymus Grimaldi, Nuntius Varsaviensis (1712-1720).

rum S. R. E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praepositorum, quam Concilii Tridentini Interpretum, qui Synodum Ruthenam praedictam prae-
vio maturo examine plenissime approbarunt, consilio, Synodum huiusmodi
a dicto moderno Metropolita celebratam (ut praetenditur) omniaque, et
singula in ea edita statuta, ordinationes, et decreta, autoritate Apostolica
tenore praesentium confirmamus, et approbamus, illisque inviolabilis Apo-
stolicae firmitatis robur adiiicimus, ita tamen quod per nostram praedictae
Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur Constitutionibus Ro-
manorum Pontificum, Praedecessorum nostrorum, et Decretis Conciliorum
Generalium emanatis super Ritibus Graecorum, quae non obstante huius-
modi confirmatione semper in suo robore permanere debeant⁶, ac salva sem-
per in praemissis autoritate Congregationum eorundem Cardinalium. De-
cernentes easdem praesentes literas, ac Synodum, in eaque edita Statuta,
Ordinationes, et Decreta huiusmodi semper firma, valida, et efficacia existere,
et fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, et obtineri, ac ab
omnibus, et singulis, ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spec-
tabit in omnibus, et per omnia inviolabiliter, et inconcusse obsevari. Sic-
que in praemissis per quoscumque iudices ordinarios, et delegatos etiam
Causarum Camerae Apostolicae Auditores iudicari, et definiri debere, ac ir-
ritum, et inane si secus super his a quoquam quavis autoritate scienter, vel
ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Apostolicis, ac in Universa-
libus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel spe-
cialibus Constitutionibus, et Ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscum-
que. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis
etiam impressis manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo per-
sonae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides
in iudicio, et extra adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si fo-
rent exhibitae, vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris,
dei XIX Julii MDCCXXIV, Pontificatus Nostri Anno primo.

661.

Romae, 12 . VIII . 1724

*Datur facultas Unitis, ut possint bona sua, olim ab aliis occupata ob Schisma,
recuperare eisque libere perfrui.*

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2622, fol. 1-5.

Bullae et Brevia..., Poczajowiae 1767, p. 68-71.

HARASIEWICZ M., *Annales...*, p. 368-370.

Bullarium Romanum, vol. 22, p. 80-81, nr. 25.

BENEDICTUS PP. XIII. Ad futuram etc.

Aeterni Pastoris, qui misericors et miserator existit, vices, licet immeriti,
in terris gerentes, iis etiam qui foris sunt, et a recta fide aberrant, pietatis et

⁶ Cfr. hac de re optimam dissertationem J. BILANYCZ, *De Synodi Zamosciensis cele-
bratione, approbationis forma et ad ius ecclesiasticum Ucrainorum vigens relatione*, Ro-
mae 1944 (Dissert.). LAEMMER H., *In Decreta Concilii Ruthenorum Zamosciensis ani-
madversiones theologico-canonicas*, Freiburg in Br. 1865 etc.

misericordiae ianuam reseramus, ac poenas quas iuris severitas in eos statuit, Apostolicae Sedis clementia interdum ita temperamus, ut eiusdem Sedis benignitate allecti, ad catholicam Ecclesiam, extra quam non est salus, reduncantur, et Christo Domino, qui eos proprio sanguine acquisivit, restituantur. Cum itaque, sicut dilectus filius Benedictus Trulewicz, Monachus expresse professus, ac Procurator Generalis Ordinis Monachorum Sancti Basili Magni Ritus Graeci uniti⁷, nobis pro parte Venerabilium fratrum Archiepiscoporum, et Episcoporum ruthenorum cum S. R. E. unitorum, nuper exponi fecit, inter alias causas, quae Schismaticos a relinquendo Schismate, et amplectenda cum eadem S. R. E. unione retrahunt, ac morantur, ea praecipue sit, difficultas scilicet, quam Uniti experiuntur in recuperandis bonis, quae tam ante Schisma, quam tempore Schismatis possidebant, et ut plurimum occupata, ac eis violenter erepta sunt nedum ante lapsum, sed etiam tempore lapsus in Schisma praedictum, cupiantque Archiepiscopi, et Episcopi praedicti huiusmodi impedimentum ad eorundem Schismaticorum reductionem facilius obtinendam amoveri, ac opportune in praemissis a nobis provideri. Nos animarum saluti, quantum cum Domino possumus, consulere ipsorumque Archiepiscoporum et Episcoporum votis hac in re favorabiliter annuere cupientes, nec non praedictum Benedictum a quibusvis etc. censentes, supplicationibus eorundem Archiepiscoporum, et Episcoporum nomine nobis etc. inclinati, de nonnullorum ex Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei negotiis praepositae super rebus Ruthenorum consilio, ut uniti cum eadem S.R.E. sive Laici, sive Ecclesiastici regulares vel saeculares cuiusvis status, gradus, et ordinis, etiam episcopalis, vel conditionis fuerint, omnia bona, quae ad eos tam ante Schisma, quam eo perdurante alias legitime pertinebant, ac quibus etiam violenter spoliati fuerunt, recuperare et possidere, illisque frui, uti, et gaudere libere et licite possint, quin in futurum ex causa praedicti Schismatis, vel quovis sub praetextu alicui liceat bonorum eiusmodi recuperationem illorumque pacificam possessionem, et usum ipsis Unitis quoquomodo impedire, minusque eadem bona in illorum praeiudicium retinere, auctoritate Apostolica, tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus, et indulgemus.

Decernentes easdem praesentes litteras, etc. attentari. Non obstantibus praemissis ac quibusvis Apostolicis etc. ordinationibus, legibus quoque imperialibus, et (f. 5) municipalibus, ac consuetudinibus, etiam immemorabilibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 12 Augusti 1724, An. 3.

Fr. Cardinalis Oliverius.

⁷ Benedictus Trulevyč, Procurator Negotiorum Ecclesiae Unitae in Urbe et Ordinis Basiliani (1712-1726). — Cfr. *Catalogus OSEM*, Romae, 1949, p. 112.

662.

*Romae, 5 . IX . 1724**Benedictus XIII, novus Pontifex Romanus, Leoni Archiepiscopo Kioviensi rescribit ad literas gratulatorias.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 100, fol. 131Rv.

(Dilecto filio, nobili viro, Ferdinando Spinello Marchioni Paterni)
 Leoni Archiepiscopo totius Russiae⁸ etc. eodem exemplo, mutatis
 mutandis et praesertim verbis ut in margine. Die quinta septembris 1724.

BENEDICTUS PP. XIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Ad gratulationis officium (Etsi gravissimae sollicitudines), quod divino iudicio suscipere coacti sumus, quodque animo nostro in hisce Apostolici ministerii primordiis⁹ sese confestim ingerunt, nullo humano solatio leniri posse videntur, non exiguum tamen ab observantiae tuae (a filialis tuae observantiae) sensibus ceperunt allevamentum. Persuasum enim certumque nobis fuit, gratulationes Fraternalitatis Tuae a debita huic Sanctae Sedi reverentia, atque ab eximiis erga Nos studiis profectas, cum piis observationum tuarum officiis esse coniunctas. Hanc igitur tuae virtutis opem infirmitati nostrae pollicentes, gratissimas nobis accidisse testamur letitiae tuae significationes; idque ut rebus ipsis confirmemus, nullas occasiones, quas cupide expectamus, interciderere patiemur, ac Fraternalitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, etc.

(Inter parentheses sunt verba ad Ferdinandum Spinello).

663.

*Romae, 30 . IX . 1724**Iterum de bonis Ecclesiae Unitae recuperandis et in usus eiusdem Ecclesiae applicandis.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 100, fol. 168-170.

Carissimo in Christo filio nostro Augusto,
 Poloniae Regi Illustri.

BENEDICTUS PP. XIII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Vix humanis - (f. 299) simas officiisque plenas Maiestatis Tuae literas acceperamus, quae in ipsis Apostolatus nostri primordiis ad divinum cultum amplificandum, Ecclesiaeque rationes tuendas prolixae nobis opem tuae potestatis pollicebantur, cum prope abfuit ut de laetitia inde suscepta multum decerperet fiduciamque nostram deliceret molestissimus nuntius, qui ad au-

⁸ Leo Kiška (1714-1729).⁹ Benedictus XIII, electus 29-V-1724, coronatus 4-VI-1724.

res nostras accidit, moliri scilicet Regni Proceres, ut in proximis Generalibus Comitibus bona Ecclesiarum quarundam et Monasteriorum, quae a proximo superiori bello Serenissimi Czaris ditioni subsunt, Regiae isti Coronae addicantur, quo Maiestati Tuae tuisque in Regno Successoribus integrum liberumque sit, eadem laicis hominibus elargiri, atque Sanctuarii rationes per apertam iniuriam violari, ac sacris rebus vim inferri posse, Maiestate Tua Regnum moderante, nullo pacto adduci possumus, ut credamus. Quae enim detrimenta et pericula nomini, felicitati, Regnoque tuo non essent tibi iure metuenda, si in Laicorum usum commodumque cederet divino cultui consecrata possessio, nec proinde opportuna subsidia possent Episcopi (f. 300) Ovis sibi creditis comparare, nec monasteria religiosos viros alere, nec salus animarum per ministros idoneos procurari? Tuae quidem perspectissimae religioni ac pietati, carissime in Christo fili noster, satis intelligimus, nulla Nos addere oportere officii nostri incitamenta, cum in divino cultu praecipuum tuae prosperitatis praesidium colloces, pro paterno tamen studio, quo gloriam et felicitatem Regni tui prosequimur, facere non possumus, quin te ad hanc Regii patrocinii laudem nostris etiam vocibus excitemus. Te igitur etiam atque etiam obtestamur, ut quae controversia de Metropolitanis rutheni bonis et iuribus praecipue in Villas Grodek et Obarov ad Iudicium relationum, quod vocant, deferenda est, non ad Generalia Comititia reiciatur, in quibus publicae modo non privatae causae cognoscentur, sed in eodem Iudicio coram Maiestate Tuae definiatur. Ac dum regimini nostro fausta haec obsequii tui et observantiae filialis auspicia pollicemur Maiestati Tuae a Caelesti Rege perennem tranquillitatem (f. 301) adprecamur, et Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, etc., (die 30 Septembris 1724).

Simile, verbis tamen generalibus, Breve datur Archiepiscopo Gnesnensi (fol. 170rv), Episcopo Cracoviensi (fol. 170v-171), nec non universis Archiepiscopis et Episcopis Regni Poloniae (171-172), Supremo Regni Poloniae Cancellario (172v), et Palatino Cracoviae (172v-173).

664.

Romae, 15 . XII . 1725

Regi Poloniae Episcopus Pincensis, Theophilus Godebskyj, eiusque Eparchia commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 101, fol. 98-99.

Carissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

BENEDICTUS PP. XIII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Pastorali sollicitudine vehementer angebatur Venerabilis frater Theophilus, Episcopus Pinski¹⁰, quod creditam sibi Dioecesim, Schismatis labe infectam, propter obiectas temporum difficultates expurgare non potest. Nuper

¹⁰ Theophilus Godebskyj (1720-1730), Episcopus Pincensis et Turoviensis.

vero praecipuis impedimentis, Deo volente, sublatis (f. 166) spem maximam ingressus est fore, ut Maiestate Tua opitulante, catholica ibi religio illibata florescat, nec suis conatibus quidquam occurset, si episcopalibus studiis curisque patrocinium Regiae potestatis accommodes. Quod sane officium tuo nomine dignissimum cum a te divinus honor et ipsa a Deo tradita Regni auctoritas postulet, nostris etiam paternis votis in tanta Orthodoxae Religionis necessitate deprecemur. Quamcunque igitur potes opem, potes autem plurimam, ut alacri libentique animo ad divinum cultum reparandum conferas, te, carissime in Christo fili noster, etiam atque etiam obsecramus. Quoniam autem satis intelligis, tuas potissimum rationes in sacrosanctae religionis causa contineri, in qua nimirum collocare debes omnem Regni, domus, rerumque tuarum felicitatem facile nobis pollicemur, nulla esse defutura optatis nostris eximiae tuae pietatis testimonia studiique erga Nos (f. 167) tui, atque in hanc Sanctam Sedem observantiae filialis argumenta; quibus ne Maiestas Tua ullam desiderat Apostolicae nostrae benevolentiae vicem, diligenter curabimus, ac tibi, carissime in Christo fili noster, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum., die 15 Decembris 1725, etc.

665.

Romae, 11 . VII . 1726

Indulgentia plenaria pro visitantibus ecclesias Monachorum Basilianorum.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2739, fol. 323.

BENEDICTUS PP. XIII. Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris, pia charitate intenti omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis ac Sacra Communionem refectis, qui aliquam ex ecclesiis Monachorum Ordinis Sancti Basilii Magni tam in Lithuania quam in Russia consistentibus in Sanctorum Nicolai et Onuphrii festis diebus a primis vespere usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint quo die praedictorum id egerint plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem ut etc. pro impetratione etc. nullae sint. Atque praesentium transumptis etc. ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum etc., die XI Julii 1726, An. 3.

666.

Romae, 25 . X . 1726

Episcopis Luceoriensi et Polocensi commendatur fundatio Instituti Clericorum vitam communem profitentium.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 101, fol. 319-320.

Venerabili fratri Episcopo Luceoriensi et Brestensi¹¹.
Venerabili fratri Episcopo Polocensi¹².

BENEDICTUS PP. XIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Dignissimam tuo ordine tuaque pastoralis sollicitudine operam reputamus, si ad propagandum institutum Clericorum in communi viventium auctoritatis et zeli vires intendas. Neque vero tibi gratius (f. 320) quidquam esse potest, quam ea curare et provehere, quae ad ecclesiasticae disciplinae praesidium comparata esse intelligis. Te proinde, Venerabilis frater, vehementer hortamur, ut ad laudabile illud atque ab hac Sancta Sede probatum clericalis vitae genus tuendum et amplificandum, tam in tua ista Ecclesia, quam in universa Dioecesi eam sedulitatem adhibeas, quam in rebus ad divinum cultum animarumque salutem pertinentibus eximia cum laude impendere non praetermittis. Ad divini siquidem honoris et disciplinae incrementum spectant, tam instituti illius rationes, quam nostrae huius commendationis officia, quibus dum Fraternitatem Tuam alacri animo obsecundaturam confidimus, tibi, Venerabilis frater. Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum, etc., 25 Octobris 1726, etc.

Textus idem ac pro Archiepiscopo Gnesnensi, mutatis mutandis.

667.

Romae, 15 . IX . 1727

Conceditur indulgentia diebus festis titularium ecclesiarum Basilianarum lucranda.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2740, fol. 188rv.

BENEDICTUS PP. XIII. Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem etc. (*ut supra sub data II . VII . 1726*) ...qui aliquam ex ecclesiis Monachorum Ordinis Sancti Basilii Magni in Lithuania, Russia, et Polonia existentibus, die festo titulari earundem ecclesiarum respective a primis vesperis etc. plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

¹¹ Episcopus Luceoriensis Josephus Vyhovskyj (1716-1730).

¹² Archiepiscopus Polocensis tunc temporis erat Florianus Hrebnyckyj (1720-1762). Fortasse agitur etiam de Episcopo Plocensi, Ritus Latini, qui anno 1726 nominabatur Andreas Stanislaus Zaluski (1722-1736).

Insuper iisdem Christifidelibus vere pariter poenitentibus et confessis ac Sacra Communione refectis aliquam ex ecclesiis huiusmodi die festo Visitationis Beatae Mariae Virginis Immaculatae, ac die prima mensis Octobris, ut supra, visitantibus, et ibidem orantibus, quo die praedictorum id egerint septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis alias quomodo libet debitis poenitentis in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus ad septennium tantum valituris.

Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae (f. 188v) sint, utque praesentium transumptis seu exemplis, etiam impressis manu alicuius Notarii etc. ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 15 Septembris 1727, An. 4.

668.

Romae, 29 . IV . 1728

Seminarium Leopoliense Armenorum et Ruthenorum commendatur Principi Jacobo fovendum et protegendum.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 102, fol. 191v-192v.

Dilectissimo in Christo filio nostro Jacobo Ludovico¹³,
Principi Regio Poloniae.

BENEDICTUS PP. XIII. Dilectissime in Christo fili noster, salutem etc.

Tam prona studiosaque voluntate ad pietatis opera incumbere gestis, ut nihil tibi gratius facere posse videamur, quam ut opportunas laudatissimae alacritati occasiones suggeramus. Porro cum Leopoli in Pontificio Collegio¹⁴ sub institutione Clericorum Regularium delecta iuventus non solum Armenorum, sed Ruthenorum etiam unitorum bonis moribus, literis doctrinisque et ecclesiastica praesertim disciplina in suo quaeque ritu diligenter (f. 192) erudiatur, magno cum utriusque Nationis emolumento, sed Ruthenae potissimum, quae frequentissimas Dioeceses complexa piis doctisque Parochis opus habet, quorum vigilantia solertiaque in catholica unitate ab omni pravae doctrinae et vicinorum Schismaticorum contagione immunis conservetur. Postquam, nobis urgentibus, Provinciale Concilium Ruthenum celebratum est anno 1720, quod anno deinde 1724 nostra auctoritate confirmavimus¹⁵, nihil haec Sancta Sedes curavit impensius, quam ut nova in eodem Collegio loca

¹³ Fortasse agitur de Jacobo Sobieski, filio Regis Joannis Sobieski (+ 1696), quam familiam regiam in Polonia substituit familia saxonica (Augustus II et III (1697-1763). Nam filius legitimus Augusti II erat Augustus, postea Rex Poloniae III (1733-1763).

¹⁴ Pontificium Collegium Leopoliense Armenorum fundatum a PP. Teatinis iam an. circiter 1664-1665, opera P. Cl. Galano. Cfr. GR PETROWICZ, *L'unione degli Armeni di Polonia con la Santa Sede* (1626-1686), Romae 1950, p. 163 etc. Postea primo decennio saec. XVIII transformatum et ampliatum etiam ad usum Alumnorum ruthenorum. Documenta abundantissima extant in hoc negotio in Archivo S. C. de Prop. Fide (1700-1720).

¹⁵ Cfr. supra sub data 19-VII-1724.

Alumnorum instituerentur. Quod quidem ruthenis Episcopis obsecundantibus, et Venerabilibus fratribus negotiis Propagandae Fidei praepositis subsidia erogare pergentibus, prospero successu provectum opportuna pro ecclesiasticis necessitatibus incrementa habiturum, Domino adspirante, confidimus. Ad hoc igitur saluberrimum opus, tua religione et (f. 192v) caritate dignissimum, tua ad amplificandam Dei gloriam, tibi que demerendam uberiores a Coelesti Rege mercedem intenta studia fidenter advocamus, te maiorem in modum hortantes et rogantes, ut spiritualia Nationis illius pericula commiseratus, ad eiusdem Collegii firmitatem et augmentum opem ferre non dedigneris. Nihil certe praestare poteris Deo gratius, catholicae religioni utilius atque ad veram solidamque tui nominis gloriam illustrius, quo nimirum Regio generi et paternae charitati tuisque eximiis virtutibus non respondebis modo, sed religiosae quoque laudis cumulum adiiicies, nostramque voluntatem arcitius obstringes, qua tibi, dilectissime in Christo fili noster, Apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam elargimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 29 Aprilis, Pontificatus Nostri Anno quarto.

669.

Romae, I . V . 1728

Hortatur Rex Poloniae, ut curet Episcopatum Mohiloviensem, a Schismatico occupatum, Archiepiscopatu Polocensi restitui.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 102, fol. 192v-193v.

Carissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

BENEDICTUS PP. XIII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Diuturnos gemitus quibus haec Sancta Sedes illata religioni damna in Dioecesi Mohiloviensi comploravit, ad Maiestatem Tuam paterna fiducia deferimus, ut pro dignissimo, quo flagras Ecclesiasticae Unitatis studio, animarum periculis, rei que orthodoxae opem brachii tui Regiaeque pietatis impendas. **Violatur enim** antiquis et exploratissimis iuribus Archiepiscopatus Polocensis, cui Mohiloviensis Episcopatus ad annum usque 1698 unitus fuerat, Schismaticus quidam, Serapion Potchowski¹⁶, Moschorum fretus officiis, regium privilegium extorsit concessionis antedicti Episcopatus assumptoque perperam titulo Episcopi totius Albae Russiae universam Dioecesim illam invasit, et Parochis unitis seu vita functis, seu per vim expulsis, Schismaticos subrogavit et intrusit. Neque vero (f. 193) Polocensis pro tempore Archiepiscopus Ecclesiae suae rationibus defuit. Nam ipso instante pristina Archiepiscoporum Polocensium privilegia anno 1699 confirmata sunt, et quae manaverant

¹⁶ Agitur de aliquo Episcopo Mohiloviensi, minus noto, Podchovskyj (1697-1704). Post eius obitum ei successit Sylvester Czetvertynskyj (1708-1727). Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 491-493.

pro Schismatico Serapione revocata. Subortis tamen bellorum dissidiis, et favente turbatorum temporum conditione, quamquam Unitis reclamantibus, novus Serapioni e vivis sublato schismaticus successor datus est¹⁷, qui eamdem Dioecesim usque ad mensem Februarium currentis anni, quo decessit, occupavit. His igitur urgentibus sacrosanctae religionis calamitatibus et periculis, Maiestatem Tuam poscimus et rogamus, ut laudatissimum zelum, quem hactenus pro Dei honore adhibuit, in hac potissimum rei catholicae necessitate probare pergat, Regioque diplomate, privilegiis Antecessorum suorum inhaerente Episcopatum Mohiloviensem cum sua Dioecesi restituat iurisdictioni Archiepiscopi Polocensis eiusque Successorum, cum praesertim unus ille Episcopatus in tota Polonia (f. 193v) supersit Schismate infectus, qui sub Archiepiscopi uniti regimine ad Unionem cum hac Sancta Romana Ecclesia facile adduci poterit. Interea dignos tua pietate iustitiaque fructus nostrae sollicitudinis expectantes, Maiestati Tuae Apostolicam benedictionem amatissime impertimur.

Datum Romae, etc., die prima Maii 1728, etc.

670.

Romae, 16 . XII . 1728

Prohibetur Basilianis sibi dignitates ecclesiasticas sine permisso Superiorum procurare.

ASV, *Acta Consistorialia*, vol. an. 1751, fol. 210rv.
Bullarium Romanum, vol. 23, p. 758, nr. 250.

BENEDICTUS PP. XIII. Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut dilectus filius modernus Procurator Generalis¹⁸ Ordinis S. Basilii M. tam suo quam eiusdem Ordinis nomine nobis nuper exponi fecit iuxta consuetudinem hactenus servatam in Ecclesia et ritu graeco unito, ad Archiepiscopatus, Episcopatus Religiosi Basiliani assumantur, saepe vero contingat quod aliqui praedictas dignitates per commendationes Magnatum, non sine praefati Ordinis perturbatione, sibi procurant, dictus Procurator Generalis qua ambitiosis via pracludatur opportune in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri plurimum desideret. Nos eiusdem Procuratoris Generalis votis, quantum cum Domino possumus, benigne annuere volentes, eumque a quibusvis etc. supplicationibus eius et praedicti Ordinis nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ad officia et dignitates Monachos omnes memorati Ordinis, qui sine expresso Superioris Generalis seu Proto Archimandritae pro tempore existentis, et memorati Ordinis consensu sibi Archiepiscopatus, Episcopatus, Archimandrias aut quas-cumque alias dignitates procurarint, eo ipso ad illas inhabiles autoritate

¹⁷ Sylvester Czetvertynskyj (1708-1727). Ipse ad Aulam Petropolitanam saepe saepius recurrebat, ante et post obitum Petri I (1725), interventusque eiusdem Aulae in hoc negotio provocabat. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 481-492.

¹⁸ Hoc anno Procurator Generalis erat P. Patricius Zyravskyj (1726-1729). Cfr. *Catalogus OSBM*, an. 1949, p. 112.

Apostolica tenore praesentium declaramus. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis ad quos spectat et pro tempore quomodolibet spectabit inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscunque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si super his secus etc. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac quatenus etc. contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XVI Decembris MDCCXXXVIII, Pont. Nostri Anno quinto.

Pro D.no Cardinali Oliviero Archiepiscopus Emessenus.

671.

Romae, 21 . I . 1729

Deputatio Administratoris Ecclesiae Metropolitanae Kioviensis in persona Athanasii Szeptycky, Ep. Leopoliensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3131, fol. 2.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 102, fol. 333v-334.

Venerabili fratri Camillo Archiepiscopo etc. nostro et
Apostolicae Sedis Nuntio in Regno Poloniae¹⁹.

BENEDICTUS PP. XIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Quae ad Ecclesiarum istarum utilitatem a nobis conferuntur Apostolicae sollicitudinis et pastoralis charitatis officia, nulla debent cunctatione retardari. Vacante igitur Metropolitana Ruthenorum unitorum dignitate²⁰, ne quid interea iura ipsius aut ecclesiasticae disciplinae rationes salusque animarum detrimenti capiant, tibi, Venerabilis frater, iniungimus et mandamus, ut nostro atque huius Sanctae Sedis nomine et autoritate, vacantis eius dignitatis ex integro Venerabilem fratrem Athanasium Szeptycki²¹, Episcopum ruthenum Leopoliensem, deputes, et constituas Administratorem, tam in spiritualibus quam in temporalibus, donec novus Metropolita fuerit electus, et a Sancta Sede confirmatus. Tibi autem, Venerabilis frater, una cum meritis strenuae operae ac vigilantiae laudibus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc., 21 Ianuarii 1729.

¹⁹ Camillus Merlino, Nuntius Varsaviensis (1728-1738).

²⁰ Post obitum Leonis Kiška (1714-1729).

²¹ Athanasius Szeptycky, Episcopus Leopoliensis (1715-1746) ab anno vero 1729 Metropolita Kioviensis (1729-1746).

672.

Romae, 17 . VIII . 1729

Provisio Ecclesiae Metropolitanae Kioviensis in persona Episcopi Leopoliensis Athanasii Szeptyckyj.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Rutheni*, vol. 5, f. 240.

BENEDICTUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Athanasio Szeptycki²² Kiovien. et Halicien. Archiepiscopo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis, quem Pastor illa caelestis etc.

Postmodum vero Kiovien. et Halicien. Ecclesiis Ritus Graeci invicem perpetuo canonice unitis, quibus bonae memoriae Georgius Winniski²³, ultimus illarum Archiepiscopus dum viveret praesidebat per obitum dicti Georgii Archiepiscopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, Pastoris solatio destitutis, nos vacatione huiusmodi fide dignis relationibus intellecta ad provisionem earundem Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum celerem et felicem in qua nullus praeter nos hac vice se intromittere potuit sive potest etc., habuimus diligentem, demum ad te nuper Leopoliem, et Camenecem. Episcopum pro quo charissimus in Christo filius noster Augustus, Poloniae Rex Illustris, nobis ad hoc per suas patentes literas supplicavit ac quem Venerabiles etiam fratres nostri Episcopi praedicti Ritus Graeci, Sanctae Romanae Ecclesiae uniti, in Metropolitam de more elegerunt, quique fidem catholicam iuxta articulos iampridem a Sede Apostolica propositos expresse professus fuisti, consideratis grandium virtutum donis etc., teque illis in Archiepiscopum praeficimus et Pastorem, curam, regimen et administrationem dictarum Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum etc., tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo liberamque tibi ad Kiovien. et Halicien. Ecclesias huiusmodi transeundi licentiam tribuendo spe fiduciaque conceptis quod dextera Domini tibi assistente propitia praedictae Kiovien. et Halicien. Ecclesiae sub tuo felici regimine regentur utiliter etc., consequi merearis.

Nec non Venerabilibus fratribus nostris Suffraganeis ac dilectis filiis Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum etc. inviolabiliter observari.

Rogamus quoque et hortamur attente Augustum Regem praedictum quatenus te et praedictas Kiovien. et Halicien. Ecclesias habens pro nostra et dictae Sedis reverentia propensius commendatos etc. actio gratiarum.

Volumus autem quod tu antequam possessionem Kiovien. et Halien. ...solutum iuramentum in manibus alicuius catholici Antistitis gratiam etc. et in partibus commorantis iuxta formam praesentibus adnotatam etc. destinare procures.

Et insuper, ut statum tuum iuxta personalis dignitatis exigentiam decentius perferre valeas, Motu proprio etc. assecutus fueris, una cum eisdem

²² Cfr. supra, notam praecedentem.

²³ Error scriptoris, quia revera agitur de Metropolita Leone Kiška (1714-1729), et non de Georgio Vynnyckyj (1710-1713).

Kiovien. et Halicien. Ecclesiis, quandiu illis praefueris praedictas Leopoliem. et Camenecen. Ecclesias in administrationem retinere libere et licite valeas etc. Non obstantibus constitutionibus etc. quibuscumque.

Nec non tibi facultatem consecrandi etc. in assistentia duorum Archimandritarum vel duorum Episcoporum aut et duorum praesbyterorum Latini Ritus in ecclesiastica tamen dignitate constitutorum eadem Apostolica auctoritate concedimus et impertimur.

Praeterea etiam volumus...

Quodque tu Seminarium instituas Montemque Pietatis erigi cures conscientiam tuam desuper onerando.

Forma autem iuramenti, quod praestabis, haec est: Ego Athanasius Szeptycki, Kiovien. et Halicien. Archiepiscopus ab hac hora in antea fidelis et obediens etc. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo vigesimo nono, sextodecimo Kalendas Septembris, Pontificatus Nostri Anno sexto.

673.

Romae, 10 . I . 1730

Commendatio Archiepiscopi Polocensis ex Urbe proficiscentis et negotiorum eius Eparchieae.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 103, fol. 143v-144v.

Carissimo in Christo filio nostro Augusto, Poloniae Regi Illustri.
Archiepiscopum Polocensem ab Urbe proficiscentem Regio
patrocinio commendat.

BENEDICTUS PP. XIII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Ad (f. 144) Metropolitim sibi creditam ex hac Alma Urbe revertentem Venerabilem fratrem Florianum²⁴ Archiepiscopum Polocensem ruthenum nostris apud Maiestatem Tuam officiis libenter prosequimur, quae pastoralibus eius studiis ac virtutibus debita, minime dubitamus, quin Regiae tuae pietati accidant plane gratissima. Maiestatem igitur Tuam vehementer poscimus et rogamus, ut eidem Venerabili fratri pro illius Ecclesiae ac Dioecesis rationibus opem tua auctoritate accommodes; nec ille pro amplificando Dei cultu deesse sibi unquam sentiat a regali patrocinio opportuna subsidia. Age autem cum prae caeteris postulent Mohiloviensis Ecclesiae spirituales necessitates²⁵, nihil nostrae sollicitudini gratius, tuoque nomine ac virtute dignius feceris, quam si adversus Schismaticorum conatus pastoralis providentiae eius-

²⁴ Florianus Hrebnyekyj, Archiepiscopus Polocensis (1720-1762), dein Metropolitani Kioviensis (1748-1762) Hoc anno Romae commemoratur in negotio litis cum PP. Societatis Jesu Polocensibus.

²⁵ Post obitum Sylvestri Czetvertynskyj (+1727), ultimi Episcopi Mihiloviensis non uniti, eius Successor, Arsenius Berlo (1727-1734), approbationem Regis sibi procurare contendebat. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 492.

dem Venerabilis fratris, ubicumque res postulaverit, praesto esse eiusque sacerdotalibus curis obsecundare non praetermittas; (f. 144) potissimum vero, ut vacantibus, aut tempore procedente vacaturis Parochialibus ecclesiis, catholicos beneque moratos Parochos, pro schismaticis, aut perperam ordinatis, praeficiat. Hanc operam tuendae orthodoxae religioni, et Ovi-
bus Christi salutarem a filiali tua erga Nos et hanc Sanctam Sedem observantia implorantes, tibi, carissime in Christo fili noster, Apostolicam benedictionem, perennis tuae felicitatis voto coniunctam, amantissime impertimur.

Datum Romae etc., die 10 Ianuarii 1730, etc.

674.

Romae, 13 . I . 1730

Indulgentia plenaria pro ecclesia Vilmensi Basilianorum.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2743, fol. 442.

BENEDICTUS PP. XIII. Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem etc. (*ut infra sub die 21 . I . 1730*) ...refectis, qui expositioni Sanctissimi Sacramenti de licentia Ordinarii in ecclesia SS.mae Trinitatis²⁶ monachorum Ordinis Sancti Basilii Magni loci Vilmensis, Kioviensis dioecesis, singulis primis Dominicis cuiuslibet mensis faciendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint, et ibi pro christianorum Principum concordia preces effuderint, qua Dominica praefatarum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christi fidelium quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare possint, misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione etc. nullae sint.

Datum Romae apud S. Petrum, die 13 Ianuarii 1730, An. 6.

²⁶ Monasterium Vilmense penes ecclesiam SS. Trinitatis initia sua habet iam saec. XV. Sub finem tamen saec. XVI vita monastica fere extincta erat. Sed laboribus S. Josaphat Kuncewycz et Josephi Velamin Rutzkyj (Metropolitae Kioviensis an. 1614-1637), caput devenit instaurationis vitae monasticae in hoc territorio et tota Provincia Ecclesiastica Kioviensi. Inde promanans monastica Congregatio nomen habet *SS.mae Trinitatis Vilmensis*, donec anno 1743 in Ordine S. Basilii Magni Ruthenorum simul cum alia Provincia Protectionis B. V. Mariae coaluit. Prout provincia lithuana tamen hunc titulum retinuit. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 126 etc. R. HOLOWACKYJ, *De Seminario Vilmensi SS. Trinitatis ann. 1601-1621*, Romae 1950 (Dissert), ubi optimas dat adnotationes de hac periodo et primordiis activitatis huius monasterii initio saec. XVII.

675.

Romae, 13 . I . 1730

Similis indulgentia pro ecclesia Minscensi Basilianorum.

IBIDEM.

BENEDICTUS PP. XIII. etc. refectis, qui expositioni SS.mi Sacramenti de licentia Ordinarii in ecclesia Sancti Spiritus monachorum Ordinis Sancti Basilii Magni loci Minscensis²⁷, Kioviensis dioecesis, singulis primis Dominicis cuiuslibet mensis etc. (Reliqua ut in praecedenti).

Datum Romae ut supra.

676.

Romae, 13 . I . 1730

Similis indulgentia plenaria pro ecclesia Borunensi.

IBIDEM, fol. 442rv.

BENEDICTUS PP. XIII. etc. refectis, qui expositioni SS.mi Sacramenti de licentia Ordinarii in ecclesia sub titulo Protectionis Beatae M. Virginis monachorum Ordinis Sancti Basilii loci Borunensis, Kioviensis dioecesis, singulis primis Dominicis cuiuslibet mensis per aliquod temporis spatium etc. (Reliqua ut in prima).

Datum ut supra.

677.

Romae, 13 . I . 1730

Similis indulgentia pro ecclesia Zyrovicensi.

IBIDEM, fol. 442v.

BENEDICTUS PP. XIII. Universis etc. refectis, qui expositioni Sanctissimi Sacramenti de licentia Ordinarii in ecclesia sub titulo Assumptionis B.M. Virginis Immaculatae monachorum Sancti Basilii Magni loci Zyrovicensis²⁸, Kioviensis dioecesis, singulis primis Dominicis etc. (Reliqua ut in prima).

Datum ut supra.

²⁷ Monasterium Minscense cum ecclesia tit. S. Spiritus, momentum speciale habuit temporibus Metropolitae Josephi Velamin Rutzkyj (1614-1637), ubi ipse saepe residebat. Ibi etiam Seminarium erigere studebat primaque iecit fundamenta. Monasterium Minscense usque ad saec. XIX perduravit.

²⁸ Monasterium Zyrovicense cum ecclesia Assumptionis B. V. Mariae cum imagine miraculosa usque ad hodierna tempora claruit. Ab anno 1839 in manibus non Unitorum permanet. Centrum vitae religiosae, et meta peregrinationum.

678.

Romae, 13 . I . 1730

Eadem indulgentia plenaria pro omnibus ecclesiis dioecesis Polocensis conceditur, supplicante eiusdem dioecesis Archiepiscopo Romae commorante.

IBIDEM, fol. 448.

BENEDICTUS PP. XIII. Universis etc. reffectis, qui expositioni SS.mi Sacramenti de licentia Ordinarii in cathedrali Polocensi aliisque tam saecularibus quam regularibus ecclesiis, Polocensis dioecesis, ab eodem Ordinario designandis singulis primis Dominicis cuiuslibet mensis faciendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint etc. Praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem, ut si etc. nullae sint.

Datum Romae apud S. Petrum, die 13 Januarii 1730, An. 6.

679.

Romae, 21 . I . 1730

Ecclesiae cathedrali Polocensi et Vitebscensi conceditur indulgentia die festo titulari lucranda.

ASV, Archivio dei Brevi Apostolici, vol. 2743, fol. 174rv.

BENEDICTUS PP. XIII. Universis Christifidelibus praesentes litteras inspecturis salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem etc. (*prout sub data 11 . VII . 1726*) ...qui cathedralem Polocensem ac omnes et singulas tam saeculares quam regulares parochiales ecclesias Polocensis dioecesis die festo dedicationis earundem respective ecclesiarum, dummodo tamen sint consecratae, et persistat consecratio, a primis vesperis etc. plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus.

Insuper iisdem Christifidelibus vere pariter poenitentibus et confessis, ac Sacra Communionem reffectis, qui in quinque aliis anni festis diebus ab Ordinario respective designandis aliquam ex dictis ecclesiis, ut supra, visitaverint, et oraverint, quo die huiusmodi id egerint, centum annos de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis poenitentiis in forma Ecclesiae consueta relaxamus, quas indulgentiam et penitentiarum relaxationem etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate coniunctae ab hac migraverint, per modum suffragii applicari posse (f. 174v) indulgemus. Praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione etc. nullae sint.

Datum Romae apud S. Petrum, die 21 Januarii 1730, An. 6.

680.

Romae, 21 . I . 1730

*Indulgentia pro ecclesia Basilianorum in oppido Uszacz, dioecesis Polocensis.*ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2743, fol. 180.

BENEDICTUS PP. XIII. Universis Christifidelibus etc. salutem etc.

Ad augendam fidelium religionem etc. qui ecclesiam sub titulo Protectionis B.M. Virginis Monachorum Ordinis Sancti Basilii loci Uszacensis, Polocensis dioecesis, die festo dedicationis eiusdem ecclesiae, dummodo tamen sit consecrata etc. plenariam omnium peccatorum indulgentiam etc., concedimus. Insuper eisdem Christifidelibus etc (*ut pro cathedrali Polocensi, die 21 . I . 1730*)... centum annis de iniunctis eis seu alias quomodolibet debitis penitentiis in forma etc. etiam animabus Christifidelium etc. Praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem ut si pro impetratione etc. nullae sint.

Datum Romae apud S. Petrum, die 21 Januarii 1730, An. 6.

681.

Romae, 21 . I . 1730

*Idem pro ecclesia Sirocinensi OSBM.*ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2743, fol. 180rv.

BENEDICTUS PP. XIII. Universis etc. relectis, qui ecclesiam sub titulo Nativitatis B.M. Virginis Immaculatae monachorum Ordinis Sancti Basilii loci Sirocinensis, Polocen. dioecesis, die festo dedicationis eiusdem ecclesiae, dummodo tamen sit consecrata, et persistat consecratio, a primis etc. (Reliqua ut in praecedenti).

Datum ut supra.

682.

Romae, 21 . I . 1730

Indulgentia pro ecclesia Vilnensi OSBM.

IBID.

BENEDICTUS PP. XIII. Universis etc. relectis, qui ecclesiam sub titulo SS.mae Trinitatis Monachorum Ordinis S. Basilii Magni loci Vilnensis Kioviensis dioecesis, die festo dedicationis eiusdem, dummodo tamen sit consecrata etc. a primis (Reliqua ut in prima).

Datum ut in prima.

683.

Romae, 21 . I . 1730

Pro ecclesia Minscensi Basilianorum.

IBID.

BENEDICTUS PP. XIII. Universis etc. relectis, qui ecclesiam sub titulo Sancti Spiritus monachorum Ordinis Sancti Basilii Magni loci Minscensis, Kioviensis dioecesis, die festo dedicationis eiusdem ecclesiae, dummodo etc. a primis etc. (Reliqua ut in prima).

Datum ut in prima.

684.

Romae, 21 . I . 1730

Indulgentia pro ecclesia Zyrovicensi Basilianorum.

IBIDEM.

BENEDICTUS PP. XIII. Universis etc. relectis, qui ecclesiam sub titulo Assumptionis B.M. Virginis Immaculatae monachorum Ordinis Sancti Basilii Magni loci Zyrovicensis, Kioviensis dioecesis, die festo dedicationis eiusdem ecclesiae, dummodo etc. a primis etc. (Reliqua ut in prima).

Datum ut in prima.

685.

Romae, 21 . I . 1730

Eadem indulgentia pro ecclesia Borunensi.

IBIDEM.

BENEDICTUS PP. XIII. Universis etc. relectis, qui ecclesiam sub titulo Protectionis B.M. Virginis monachorum Ordinis Sancti Basilii Magni loci Borunensis, Kioviensis dioecesis, die festo dedicationis eiusdem ecclesiae, dummodo etc. a primis etc.

Datum ut in prima.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

CLEMENS PP. XII
(12.16.VII.1730 — 6.II.1740)

florentinus
(Laurentius Corsini)

DOCUMENTA CLEMENTIS PP. XII

686.

Romae, 5 . I . 1731

Grates aguntur Metropolitanae Kioviensi pro litteris gratulatoriis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 104, fol. 47v-48.

Venerabili fratri Athanasio,
Archiepiscopo Chioviensi et Haliciensi²⁹.

CLEMENS PP. XII. Venerabilis frater, salutem etc.

Qui pro officio susceptam de nostra electione laetitiam testaris pari erga hanc Sanctam Sedem Nosque ipsos observantia coniunctam, minime dubitamus, quin fuis etiam ad Deum precibus, idoneas arduo ministerio vires nobis implores³⁰. Quo sane filialis pietatis studio praeclaris tuis generis et virtutis dotibus apprime digno, nihil esse potest benignitati nostrae iucundius. Vicem autem studiosae voluntatis Fraternitati Tuae reddere cupientes occasiones praestolamur memoris gratique animi tibi amplius declarandi, cuius interea pignus Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuae peramanter (f. 48v) impertimur.

Datum ut supra, die 5 Ianuarii 1731, etc.

687.

Romae, 23 . IV . 1732

Revocatio facultatis Episcopo Camenecensi olim datae ritu, Ecclesiae Latinae Clericis orientalibus Ordines Sacros conferre.

APF, *Scritture riferite nei Congressi: Moscovia, Polonia, Rutheni*, vol. 5, fol. 452rv.

Venerabili fratri Camillo, Archiepiscopo Joniensi³¹.

CLEMENS PP. XII. Venerabilis frater, salutem etc.

Facultatem ad certum tempus obtinuerat a Benedicto XIII, fel. rec. Prae-

²⁹ Athanasius Szeptychyj (1729-1746); Episcopus Leopoliensis et Camenecensis iam ab an. 1715.

³⁰ Clemens XII electus die 12-VII-1730, et die 16 eiusdem mensis coronatus.

³¹ Camillus Merlino, Nuntius Varsaviensis (1728-1738).

decessore nostro, Venerabilis frater Osius³², Episcopus latinus Camenecensis, ut latino ritu Graecos, Armenosque Clericos ordinaret. Quam Nos facultatem ad aliarum Ecclesiarum, Ruthenae praesertim, detrimentum redundare perspicientes, revocandam duximus, at tenore praesentium etiam revocamus.

Tibi autem, Venerabilis frater, iniungimus et mandamus, ut iudicium hoc providentiae nostrae tam eidem Venerabili fratri Osio, quam Venerabili itidem fratri Athanasio³³, Metropolitanae totius Russiae, Camenecensi Ruthenorum Episcopo significes, quo ille quidem ab exercitatione et usu eius facultatis in posterum absteineat, hic vero necessitatibus Ecclesiae, et ritus sui remedium a nobis adhibitum esse (f. 452v) intelligat. Ac Fraternalitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, die 23 Aprilis 1732, etc. etc.

688.

Romae, 18 . V . 1735

Simeon Olšavskyj nominatur Vicarius Apostolicus Munkacsiensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2855, fol. 31.

Dilecto filio Simeoni Olsawski³⁴,
Praesbytero Ritus Graeci.

CLEMENS PP. XII. Dilecte fili, salutem etc.

Pro nostro pastoralis officii munere etc.³⁵ respiciunt. Itaque de tuis fide etc. pro Graecis in ditione Munchaciana aliisque locis acquisitis in Hungaria commorantibus Vicarium Apostolicum cum iurisdictione etc. facimus, constituimus et deputamus. salva tamen etc. Mandantes propterea omnibus etc. observari. Non obstantibus Apostolicis etc. innovatis. Quibus omnibus etc. derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 18 Maii 1735, An. 5.

689.

Romae, 20 . V . 1735

Provisio Ecclesiae Pellensis in persona Simeonis Olšavskyj, postea nominati Administratoris Apostolici Munkacsiensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2855, fol. 25-26.

Dilecto filio Simeoni Olsawski, Praesbytero Ritus Graeci,
Electo Pellensi.

³² Stanislaus III Hozyjusz (1722-1733), dein Posnanensis (1733-1738).

³³ Athanasius Szeptyckyj, Metropolita Kioviensis (129-1746), simul Episcopus Leopoliensis et Camenecensis (1715-1746).

³⁴ Simeon Olšavskyj, Episcopus Munkacsiensis (1733-1737). Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 1032.

³⁵ Cfr. supra sub data. 5. IX. 1689.

CLEMENS PP. XII. Dilecte fili, salutem etc.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum, quo Ecclesiarum omnium regimini etc. gubernare. Cum itaque Ecclesia Pellensis, quae in partibus infidelium consistit etc. Nos ad felicem etc. habuimus diligentem, demum ad te, Praesbyterum catholicum Ritus Graeci ex legitimo matrimonio procreatum, et in aetate legitima constitutum, cuique nuper Vicarii Apostolici Munchaciensis in Hungaria munus auctoritate Apostolica demandavimus, et cui apud nos de vitae munditia etc. fidelia testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, te a quibus etc. censentes, eidem Ecclesiae Pellensi de persona tua etc. auctoritate Apostolica providemus, teque illi in Episcopum praeficimus, et pastorem, curam etc. Iugum igitur Domini etc. Praeterea tibi, ut ad Ecclesiam Pellensem etc. indulgemus. Caeterum ad ea, quae in tuae commoditatis augmentum cedere possunt favorabiliter intendentes, tibi, ut ab aliquo quem malueris catholico Antistite Ritus Graeci³⁶ gratiam etc. assistentibus duobus vel tribus aliis catholicis Antistitibus eiusdem Ritus ...munus consecrationis Ritu Graeco praedicto recipere libere possis, ac eidem Antistiti, ut receptis ...professione fidei ...fidelitatis debitaie solito iuramento, munus praedictum Ritu Graeco huiusmodi tibi auctoritate nostra impendere licite valeat plenam et liberam harum serie auctoritate praedicta tribuimus facultatem. Volumus autem... quod si receptis... suspensi sitis eo ipso.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 20 Maii 1735, An. 5.

690.

Romae, 24 . V . 1735

Facultas datur Simeoni Olšavskvj recipiendi consecrationem ab uno tantum Episcopo, assistentibus duobus Praesbyteris.

IBID., fol. 27rv.

Dilecto filio Simeoni, Electo Pellensi³⁷.

CLEMENS PP. XII. Dilecte fili, salutem etc.

Personam tuam nobis, et Apostolicae Sedi devotam etc. cedere possunt. Cum itaque Nos nuper tibi Vicariatus Apostolici munus pro Graecis in dioecesi Munkaciensi commorantibus demandavimus³⁸, et Ecclesiae Pellensi in partibus infidelium consistenti . . . auctoritate Apostolica providerimus, teque illi in Episcopum . . . et sicut pro parte tua nobis exinde **expositum** fuit, tot Episcopi Ritus Graeci in illis partibus insimul convenire nequeant ...Nos commoditati tuae etc. censentes, supplicationibus etc. inclinati, tibi ut a quocumque malueris catholico Antistite eiusdem Ritus Graeci gratiam etc. accitis etc. duobus Praesbyteris in dignitate ecclesiastica constitutis praedicti Ri-

³⁶ Consecratus in Episcopum Pellensem anno 1735 a Metropolita Kioviensi Athanasio Szeptyckyj (1729-1746). Obiit Olšavskvj anno 1737, die 24 Decembris.

³⁷ Cfr. supra sub data 20.V.1735.

³⁸ Cfr. supra sub data 18.V.1735.

tus Graeci similes gratiam etc. munus consecrationis praedictum recipere ipsique etc. impendere, servata alias nostrarum super eodem munere impedendo concessarum litterarum forma, et dispositione libere etc. indulgemus. Non obstantibus quoad ea quae praesentibus sunt contraria praedictis nostris litteris ac Apostolicis etc. ordinationibus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 24 Maii 1735, An. 5.

691.

Romae, 17 . I . 1738

Patrocinium et subsidium Regis Poloniae exposcitur pro Seminario Leopoliensi ad summam miseriam et ruinam redacto.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 107, fol. 28-30v.

Carissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

CLEMENS PP. XII. Carissime etc.

Cum Maiestati Tuae quidpiam agendum proponitur, quod ad Sanctissimae nostrae Fidei tutelam profuturum sit, Nos utique non fugit, rem (f. 28v) exhiberi pietati tuae quam maxime consentaneam; eoque te vocari, quo tua sponte vel non invitatus accurreres. Hac freti egregia indole animi tui, fidenter implorandam statuimus Regiam opem iam prope labenti Pontificio Armenorum, Ruthenorumque unitorum Collegio, quod vetustissimum Leopoli in suburbiis erectum³⁹, ea laborat inopia, ut nequeat amplius tot Alumnos, praesertim ruthenos, alere ac retinere, quot grex ille amplissimus longe lateque dispersus ad sui praesidium, implendaque Parochorum munera opus habet. Nec imminuto solum patrimonio ad egestatem redigitur, verum etiam prope Domo caret, dum quae modo incolitur ruinam minatur non sine ingenti Alumnorum metu ac periculo; alia vero salubriori loco iamdum inchoata, cum nihil ad sumptum suppetat deserta iacet, (f. 29) nec unde absolvatur spes adest.

Dolemus utique praeter modum hac tanta opportunissimi Collegii aerumna, et nobis ante oculos obversantur non minus, quae inde obvenerint ei genti subsidia ad verae cultum religionis, quam quae modo magna ex parte deficerent, et magis magisque in dies defutura videantur. Auget praeterea dolorem nostrum ea cogitatio, quod ab hac Sac. Congregatione ad Propagandam Fidem instituta nihil pecuniae exprimi liceat, nimis exhausta, ac fere consumpta, pro tot ubique terrarum alendis Missionariis, aliisque disciplinae suae operibus obeundis. Unus ipse maerori nostro solatium videris afferre posse, si alicunde Collegii paupertatem sublevare, ac stabili munificoque proventu eius patrimonium firmare ac recreare, aedes vero temporaria liberalitate ad culmen perducere (f. 20v) inducas animum, prorsus autem supremo patrocinio tuo fulciendum assumas. Id ut tibi agendum constitutas, Maiestatem Tuam

³⁹ Cfr. supra nota 14. Cfr. etiam GR. PETROWICZ, *op. cit.*, 163 sq.

summis precibus obtestamur, rati spem nostram, in tua insigni pietate collocatam, non falsam fore.

Si quidem reputamus Maiestatis Tuae non semel eximiis argumentis probatum animum vere munificum, nec ignarum quicquid in legitimo Dei cultu celebrando amplificandoque insumitur, foenori dari, et regias opes numquam melius occupari, quam in subiectis populis excolendis ad religionem. Et nunc non de aliis agitur, quam de Armenis, Ruthenisque tuo, et Reipublicae obnoxii imperio, quibus non aliter, ac liberalitate tua subveniri potest, et quorum sempiternam salutem, intestinis Schismaticorum insidiis expositam, huiusmodi praesidio (f. 30) munire necesse habetur.

Ruthenorum praecipue, quibus Parochi a Leopoliensi Collegio suppeditantur, et unde qui eos rerum divinarum scientiam doceant, unice prodeunt. Opus igitur aggredito tot tuis populis perutile, nobis acceptissimum, tibi gloriosum. Ipsi posterique eorum Maiestati Tuae servatam illic referent rectam fidem, debitamque supremam huic Sedi obedientiam, quam utramque nunc maxime retinere student; et hoc insigni beneficio admoniti nomen tuum immortalitati commendabunt. Nobis utique pro supremi Pastoris in tantam Ovium partem sollicitudine id ita pericucundum accidit, ut hic paternae erga te flagrantissimae charitati nostrae, si accrescere posset, cumulum ne dubites accesorum, ac Maiestati Tuae, carissime in Christo fili noster, Apostolicam (f. 30v) benedictionem amantissime impertimur.

Datum, etc., die 17 Junarii 1738, etc.

692.

Romae, 28 . VII . 1738

Metropolitae novus Nuntius Apostolicus commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 107 fol. 145v-146.

Venerabili fratri Athanasio, Archiepiscopo rutheno⁴⁰.

CLEMENS PP. XII. Venerabili frater, salutem etc.

Obsecundamus (f. 146) pontificiae caritatis ingenio, cum eius aliquod argumentum damus Fraternitati Tuae, cui novimus nihil esse antiquius, ac debitam nobis et supremam Sedi obedientiam sedulo amantissimeque praestare. Nullam proinde huiusce nostrae aperiendae tibi voluntatis occasionem praetermittentes, mandavimus Venerabili fratri Fabritio⁴¹, Archiepiscopo Patrarum, ut compertum exploratumque tibi reddat, nunquam nobis defore voluntatem aliquem tibi mutuae benevolentiae fructum referendi. Illi generis claritate, suaque virtute, et obitis ministeriis commendato, nostri et Apostolicae Sedis ordinarii Nuntii munus istuc commisimus, quo nomine plane confidimus omnem abs te percepturum opem ad nostra et Catholicae Religionis curanda ne-

⁴⁰ Athanasio Szeptyckyj, (1729-1746).

⁴¹ Fabritius Sarbelloni, Nuntius Varsaviensis (1738-1746).

gotia, haud ignari obsequii erga Nos tui, erga rem sacram studii ac pietatis, quorum merito Apostolicam benedictionem tibi (f. 146v), Venerabilis frater, peramanter impertimur.

Datum Romae, etc., die ut supra, etc.

693.

Romae, 11 . IX . 1738

Gabriel Blažovskij nominatur Vicarius Apostolicus Munkacsiensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2927, fol. 26.

Dilecto filio Georgio Gabrieli Blasouszki⁴², Monacho
expresse professo Ordinis Sancti Basilii Magni, Electo Agnesi.

CLEMENS PP. XII. Dilecte fili, salutem etc.

Pro nostro pastoralis officii munere etc. (*prout die 18 . V . 1735*).

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, die 11 Septembris 1738, An. 9.

694.

Romae, 12 . IX . 1738

Provisio Ecclesiae Agnensis in partibus in persona Gabrielis Blažovskij, Vicarii Apostolici Munkacsiensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 2927, fol. 6rv, 9.

Dilecto filio Georgio Gabrieli Blasowszki, Monacho expresse professo
Ordinis Sancti Basilii Magni.

CLEMENS PP. XII. Dilecte fili, salutem etc.

Apostolatus officium etc. gubernare⁴³. Cum itaque Ecclesia Agnensis in partibus infidelium consistit, certo, quem etiamsi exinde etc. destituta remanserit, Nos ad felicem eiusdem Ecclesiae provisionem etc. demum ad te, **Monachum** expresse professum Ordinis Sancti Basilii Magni Ritus Graeci, ex legitimo matrimonio procreatum, et in aetate legitima constitutum, et cui apud Nos de vitae munditia etc. pensatis, te a quibusvis etc. censentes etc.

⁴² Gabriel Blažovskij, Episcopus Munkacsiensis (1738-1742), tit. Ep. Agnensis. Nominatus 11.V.1738, confirmatus 11-12.IX.1738, et dein consecratus die 22.XII.1738 a Metropolitana Kioviensi et Episcopo Leopoliensi, Athanasio Szeptyckij. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, vol. II, p. 1032-33. Obiit anno 1742, die 20 Decembris, in monasterio Maloberezne.

⁴³ Cfr. supra sub data 20. V. 1735, vel occasione aliarum provisionum sedium titularium.

teque illi in Episcopum praefecimus, et pastorem, curam etc. indulgemus. Caeterum ad ea, quae in tuae commoditatis etc. tibi, ut ab aliquo quam malueris catholico Antistite Ritus Graeci, gratiam et communionem dictae Sedis Apostolicae habentem, accitis et in hoc sibi assistentibus duobus praesbyteris eiusdem Ritus, aut etiam Latini, loco duorum Episcoporum, similes gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis Ritu Graeco praedicto recipere libere possis, ac eidem Antistiti ut receptis prius etc. Voluimus autem, et praedicta auctoritate statuimus etc. suspensi sitis eo ipso.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XII Septembris 1738, An. 9.





Ex insigni contemporaneo (1746)
Romae

BENEDICTUS PP. XIV

(17.22.VIII.1740 — 3.V.1758)

bononiensis

(Prosperus Lambertini)

DOCUMENTA BENEDICTI PP. XIV

695.

Romae, 16 . IX . 1740

Rex Poloniae hortatur, ut in proximis Regni Comitibus excessus Schismaticorum punire conetur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 109, fol. 39-40.

Carissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

BENEDICTUS PP. XIV. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Splendet adeo Maiestas Tua studio pietatis ac religionis, ut cum ad huius tutelam Regia auctoritate imploranda nobis occurrit, materiam amplificandae tuae gloriae propagandaeque tuae laudis suppeditare videamur. Iamdiu fortasse a Maiestate Tua auditum fuit de quodam Berlo⁴⁴, Pseudo Episcopo rutheno, qui falso Antistitis nomine Mohiloviensem Dioecesim furtim ingressus, eam non parum infecerat errorum pravitate ac schismatis labe. Sed a cl. mem. inclyto Rege Augusto, patre Maiestatis Tuae⁴⁵, vi diectus poenas retulit impietatis suae. (f. 39v) Et sane plurimum laborandum fuit Venerabili fratri Floriano Hrebnycki⁴⁶, Poloski Archiepiscopo, ut illinc, Metropolitanae iure, invalescentem luem dispelleret, restitueretque gregi pristinam catholicae fidei sanitatem. Non tamen quievit inimicus homo, sed iterum superseminavit zizaniam, immisso quodam altero schismatico Episcopo Wolczanskio⁴⁷, qui messem Evangelici Agricolae corrumpere ac vitiare annititur, facile succrescente per incultos agros malo haeresis gramine. Quin eo furoris processit, ut eius instinctu mactaverit gens depravata mitissimum notissimumque Sacerdotem Emilianum Kilmontovik, dum in vicum Sedovicensem iret, templum illic pollutum sacris iterum caeremoniis initiaturus. Haec ubi ad proxima Regni Comitibus delata fuerint persuasum utique nobis est, Maiestatem Tuam auctoritate et sententia praeituram, ut vindicata optimi Sacerdotis nece, pulsoque Pseudo Episcopo publice pateat, aemulum

⁴⁴ Arsenius Berlo (1727-1734) Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 492.

⁴⁵ Agitur de Frederico Augusto II, Rege Poloniae (1697-1733). Ei successit filius Augustus III de Saxonia (1733-1763).

⁴⁶ Florianus Hrebnykyj, Archiepiscopus Polocensis, Episcopus Vitebscensis, Mstislaviensis vel Mohiloviensis (1720-1762). Ei iure territorium hoc pertinebat. Unde ipse praesertim movere debuit omnem lapidem, ut iura sibi debita conservaret.

⁴⁷ Iosephus Volcanskyj, Episcopus non unitus Mohiloviensis vel Albae Russiae (1734-1744). Ei successit an. 1744 Hieronymus Volcanskyj. Cfr. PELESZ, *op. cit.*, vol. II, p. 492.

te paternae pietatis, bene sanctissimae Dei religioni per Polonorum (f. 40) ditionem consultum velle. Quod ita eventurum, pro certo plane reputamus experti, quo tuus flagrantissimus verae fidei amor, ubi difficilius erat, ad eam protegendam potuerit. Non tamen desistimus pro nostra pastoralis sollicitudine te orare atque obtestari, ut in rem tanti momenti sedulam navare operam velis. Praesertim cum in religionis negotio et apud imperitum vulgus nimium timenda sint initia rerum novarum. Interim Maiestati Tuae, carissime in Christo fili noster, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, etc., die 16 Septembris 1740, etc.

696.

Romae, 16 . IX . 1740

De eodem negotio litterae dantur Cardinali Poloniae, Joanni Lipski.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 109, fol. 40-41v.

Dilecto filio nostro Joanni Alexandro,
S. R. E. Presbytero Card. Lipski⁴⁸.

BENEDICTUS PP. XIV. Dilecte fili noster, salutem etc.

Etsi tua te satis (f. 40v) admoneat dignitas qua praecipue ad sanctissimae nostrae religionis tutelam exornaris, et quamquam pro certi habeamus, isthuc te dare operam diligenter, Apostolici tamen Ministerii nostri esse duximus, currenti, ut aiunt, stimulos addere, atque hortando praecire virtutem solertiamque tuam, ut in proximis Regni Comitibus, Mohiloviensis Dioecesis negotium commode, e rectaque iustitia conficiatur. Nequit inexploratum tibi esse, illinc superioribus annis pulsum fugatumque fuisse Berlum, quemdam Pseudo Episcopum ruthenum, a quo in incautum gregem non parum invectum fuerat haereticae doctrinae; istamque postmodum sedulo studio ab ea gente propulsasse Venerabilem fratrem Florianum Hrebnicki, Polocensem Archiepiscopum, qui Metropolitae iure ad eundem perpurgandum gregem omnes contendit pastoralis industriae nervos non sine felici eventu. Verum deinceps iterum patuit schismatici alterius Antistitis Wolczanskii (f. 41) insidiis, unde perversorum dogmatum venenum perpetuo scatet in miseros seductosque cives; et huic perfidiae alterum per id locorum accessit indignum facinus. Wolczanskio siquidem instigante, vulneribus confectus cedit mitissimus Sacerdos Emilianus Kilmontoviz, dum iret ad vicum Sedovicensem, pollutum ibi templum Sacris agendis restitutus. Haec ad proxima Comitia vestra delatum iri intelleximus, nec dubitamus, quin Polonorum pietas ad sarcienda vulnera religionis, illata nuper a Schismatico illo errorum per Mohiloviensem tractum propagatore, ad eundemque severiori

⁴⁸ Joannes Alexander Lipski, Ep. Cracoviensis. Nat. 1690. Anno 1731 nominatus Ep. Luceoriensis, anno vero 1732 translatus ad Sedem Cracoviensem. Anno 1737 creatus Cardinalis S.R.E. Anno 1738 nom. Archiepiscopus Gnesnensis, sed iam an. 1739 ei renuntiavit. Obiit an. 1746. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 17, p. 120.

exemplo, utpote alterius depulsione satis admonitum, puniendum insurgat, acerbamque innocui Sacerdotis mortem fortiter ulciscatur. Nihilo secius etiam atque etiam a te petimus, ut ope, consilio, auctoritate tua viam sternas ad haec ipsa decernenda. Nihil nobis gratius agere poteris, quodque magis luculenter tuum bene de sanctissima (f. 41v) religione, de nobisque merendi studium palam facturum sit. Utque alacrius in rem insistas, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili noster, peramanter impertimur.

Datum Romae, etc., die 16 Septembris 1740, etc.

697.

Romae, 17 . III . 1742

Conceditur altare privilegiatum S. Basilii Magni in ecclesiis eiusdem Ordinis erectis et erigendis perpetuis futuris temporibus.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici: Altaria privilegiata*, vol. 27, fol. 251-252.

BENEDICTUS PP. XIV. Ad perpetuam etc.

Omnium saluti etc., perduci valeant. Volentes igitur omnes et singulas ecclesias tam erectas quam inposterum erigendas Monachorum Ordinis Sancti Basilii Magni, et qualibet ex dictis ecclesiis altare sub invocatione eiusdem Sancti Basilii erectum, seu erigendum reperiatur, hoc spirituali dono illustrare, auctoritate nobis a Domino tradita, ac de omnipotentis Dei misericordia et Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius auctoritate confisi, supplicationibus dilecti filii moderni Procuratoris Generalis dicti Ordinis nobis, etc. inclinati, ut quandocumque sacerdos aliquis saecularis vel cuiusvis Ordinis. Congregationis et Instituti regularis sacrosanctum Missae sacrificium pro anima cuiuscumque Christifidelis, quae Deo in caritate coniuncta ab hac luce migraverit, ad praefatum Sancti Basilii Magni altare celebrabit, anima ipsa de thesauro Ecclesiae per modum suffragii indulgentiam consequatur, ita ut eiusdem Domini nostri Jesu Christi, ac Beatissimae Virginis Mariae Sanctorumque omnium sibi suffragantibus a purgatorii poenis liberetur, concedimus, et indulgemus. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus perpetuis temporibus valituris.

Volumus autem ut praesentium etc. impressis manu et sigillo Procuratoris Generalis pro tempore existentis Ordinis praedicti munitis eadem etc. ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 17 Martii 1742, An. 2.

698.

Romae, 27 . V . 1742

Laudatur Metropolita pro eius opera in uniendis Monachis Basilianis nec non hortatur, ut ulterius ad hoc opus manum suam daret.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 109 fol. 351v-353v.

DE MARTINIS R., *op. cit.* vol. III, p. 512-513, nr. 139 (sub an. 1752).

Venerabili fratri Athanasio⁴⁹, Kioviae Archiepiscopo,
totius Russiae Metropolitano.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Opinionem, quam iampridem habuimus de Fraternitatis Tuae eximio cultu catholicae religionis exhibitaeque Romanae Sedi omnium Ecclesiarum matri ac magistrae obedientia, confirmarunt obsequentissimae tuae literae VI Kal. Octobris Leopoli datae. In iis enim gratissima documenta accepimus penitus addicti nobis veraeque religiosi animi tui, ac te sedulo curare, ut Rutheni Episcopi tecum et cum supremo Ecclesiae Antistite ad sui gregis salutem coniungantur. Hinc enimvero non mediocrem a nobis laudem retulisti plurimamque benevolentiam. Et illinc praeterea nostram tibi gratiam conciliasti, quod ad fovendam monasticam disciplinam, quae facilius domestica vigilantia retinetur, omni cesseris iure quo in Basilianorum tuae dioecesis monasteria utebaris, illudque transtuleris in eorumdem primarium praesidem, atque exemplo praeieris ceteris tuae communionis Episcopis. Id sumopere nobis placuit. Putamus enim ita splendidius florere eorumdem monachorum apud vos Ordinem, unde sperare licet, eos diligentius excultos utiliore daturis operam revocandae vestrae genti ad verum Christi Domini ovile, mortiferoque schismati penitus abolendo. Quocirca et Nos adiecimus praecipuam curam ad Ordinem ipsum firmiter constabiliendum.

Cum autem certum compertumque habeamus in id maxime conferre posse, si dispersa in varias societates ruthena huiusmodi monachorum monasteria in unum coetum redigantur, de consilio Venn. fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, qui munus gerunt Propagandae Fidei statuimus, Basilianos omnes, quoquot in Russiae coenobiis degunt, in unam congregari familiam sub nomine Sanctissimae Trinitatis Unitorum istamque ab uno Generali Praefecto seu Protoarchimandrita gubernari; reservato tamen tibi ac reliquis tibi coniunctis Episcopis iure, quod Apostolicae constitutiones ac Tridentina Synodus, cui pariter maiores vestri fidem suam astrinxerunt, Ordi-

⁴⁹ Athanasius Szeptyckyj, Metropolita Kioviensis (1729-1746) et Episcopus Leopoliensis et Camenecensis (1715-1746). Erat praesertim eius eparchiale territorium quod cum Congregatione Lithuana SS. Trinitatis coniungi debuit in unam solam Congregationem monasticam, secundum decreta Synodi Zamostianae (1720). Proinde bona depositio Episcopi Leopoliensis erat maximi momenti.

Epistula haec erronee ab auctore R. DE MARTINIS, *op. cit.*, posita est sub anno 1752. Nam ex ipso textu colligitur scriptam fuisse anno 1742, ante Capitulum Basilianorum Berstense I, quod locum habuit anno 1743, diebus 27-V — 12-6. Cfr. *Catalogus OSBM*, an. 1949, p. 108. M. M. WOJNAR, *De regimine Basilianorum*, vol. I, p. 89, n. 5.

nariis permittunt in suae dioecesis Regulares, scilicet exemptos. Erit modo tuae in Nos perspectae observantiae obedientiaeque curare, ut ex huiusmodi nostra providentia omnis in Russia monasticus Ordo in unum collectus quotidie magis efflorescat, catholicamque veritatem suos inter cives prolatare ac tueri annitatur, simul autem ut apud Suffraganeos Antistites eadem sedulo cura sit. Id abs te confidentius postulamus, quo comperimus te vestigiis inhaerere decessoris tui Archiepiscopi Valentiani, bene idcirco meriti de vestris civibus. Cum autem eorundem monachorum comitia brevi⁵⁰ cogenda sint iisque ipse praesidere debeas, facile tibi erit urgere collectos ibi coenobiorum praesides ut, quam ipsis praescripsimus normam suae moderandae reipublicae, apprime teneant, et easque Ruthenorum sempiternae salutis consulant. Idque nobis argumento erit eo prorsus cum Romana Sede consentire. Interim Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem, pignus propensae ad tua commoda voluntatis nostrae, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXVII Maii MDCCXLII, Pontificatus Nostri Anno II.

699.

Romae, 27 . XI . 1742

Hortatur Hierarchia unita ne se opponat Basilianorum unitorum in unam Congregationem unioni.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 110, fol. 41v-44.

Bullarium Benedicti XIV, vol. I, p. 247-249, nr. 60.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. III, p. 85.

Venerabilibus fratribus

Athanasio Kioviae Archiepiscopo totius Russiae Metropolitano
ac

Theodoro Luceoriae
Feliciano Chelmensi
Hieronymo Premisliae
et Gregorio Pinscensi
Episcopis ruthenis⁵¹.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabiles fratres, salutem etc.

Etsi dubitare non possumus Fraternitates vestras diligentem daturas operam, ut debita reverentia, et nulla mora Decretis pareatur, quae de consilio Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Propagandae Fidei negotiis praesidentium, nuper edidimus pro colligendis in unum corpus sub uno Capite unaque iurisdictione ruthenis Monachis Basilianis⁵². Cum ta-

⁵⁰ In Berest, anno 1743. Cfr. notam 49.

⁵¹ Nomina Episcoporum: Athanasius Szeptyckyj, Metropolita Kioviensis, (1729-1746), Episcopus Leopoliensis et Camenecensis (1715-1746), Theodorus Rudnyckyj, Episcopus Luceoriensis (1713-1751), Felicianus Philippus Wołodkowycz, Episcopus Chelmensis (1731-1758), Hieronymus Ustryckyj, Episcopus Peremysliensis (1715-1746), Georgius Bulhak, Episcopus Pinscensis (1730-1769).

⁵² Cfr. *Bullae et Brevia...*, P. 1, p. 74, de data 18.V.1742.

men (f. 42) e literis communi vestro nomine ad Nos datis perceperimus, modeste vos subvereri, ne in iis quidpiam incommodum vestris consuetudinibus, et privilegiis, sancitum fuerit, vos pro singulari nostra erga vestram Nationem benevolentia censuimus admonendos, eadem Decreta id solum spectare, ut ipsi Monachi in unum Caetum coalescentes, atque ita facilius monastica disciplina instituti ad suam salutem incumbant, et ad firmiter obstringendos Apostolicae Sedi popularium animos. Quae sane Decreta eo etiam in veneratione esse debent, quo inhaerent perpetuo Romanae Cathedrae proposito redigendi unum Ordinem cunctos ruthenos Basilianos Monachos, eosque subiiciendi uni supremo Praesidi, qui e propinquo servari iubeat domesticas leges, caveatque, ne ulla ex parte religiosa disciplina detrimentum faciat. Quocirca Unitorum, ut vocant, Ordini sub Sanctissimae (f. 42v) Trinitatis nomine militantium data fuit olim facultas condendi idoneas huic consilio leges, a Pontifice Maximo confirmandas, eiusque auctoritate robur habituras⁵³. Quod pariter vestra Zamoscensis Synodus luculenter sibi proposuit⁵⁴, testata, in unum congreganda esse Corpus quotquot monasteria ad verum Christi Ovile tum redierant aut reditura forent, quae in Schismate nulli omnium maximo rectori cohaerebant. Id autem nemo non videt facilius obtineri, si quicquid est ruthenorum Basilianorum sodalium totius Russiae Protho-Archimandritae obediat, eiusque imperata faciat. Nec dubitari potest hanc fuisse eiusdem Zamoscensis Concilii mentem, siquidem Metropolitana Leo Kiska, qui permittente Romana Sede Synodum ipsam congregavit, vix ea finem acceperat, scilicet quadragesimo post die, cum aliis suae gentis Episcopis sedulo postulavit, ut (f. 43) cunctae Basilianae Familiae supremus Praefectus alternatim eligeretur ex Lithuanis, et Voliniensibus Monachis, dato documento ita sensisse de uno constituendo Praeside Zamoscensium Patrum Constitutionem, qua in hunc sensum accepta Synodum confirmavit Apostolica Sedes, cuius est de vero synodali sensu iudicare.

Quod autem attinet ad vestras modeste exhibitas querelas, iisdem nostris Decretis imminutum iri episcopalem iurisdictionem, Monachis ab ipsa exemptis, satis erit ad eas sedandas, ut in memoriam revocatis, id antea a vobis concessum sponte fuisse, et in oecumenica Tridentina Synodo expresse comprobatum confirmatumque, quam suluberrimam Synodum libenter a vestro Zamoscensi Conventu nulla exceptione venerabunde acceptam ex eiusque placitis plura saepius a vobis sancita fuisse, profecto non ignoratis. Nec vobis in mentem veniat (f. 43v) reputare, quicquam ibi vestris ruthenis ritibus adversari, quos et quoscunque alios laudabiliter institutos, ubique servandos existimaverunt sapientissimi illi Patres, rati ex incorruptarum caeremoniarum diversitate Catholicae Ecclesiae decus accedere. Et a nobis quam maxime alienum est ab huiusmodi sententia vel minimum discedere.

Igitur cum nihil vobis timendum sit, ne nostris pronunciatis Decretis probatae ab hac Sanctissima Sede consuetudines vestrae vulnus aliquod acceperint, cum vos ipsi sponte decreveritis, Monachos sui esse iuris, cum iidem illos optaverint in unum coire Ordinem, conspicati, hoc pacto melius consuli

⁵³ Sub Urbano VIII, die 20.VIII.1631. Cifr. supra in nostra collectione.

⁵⁴ Cfr. *Synodus...*, ed. an. 1838, p. 133-136, sess. III. tit. 11. Cfr. M. M. WOJNAR. *De Regimine Basilianorum Ruthenorum a Metropolita Josepho Velamin Rutzkyj instauratorum*. Romae 1949, p. 76-80.

monasticae disciplinae ac Ruthenorum utilitati, quid est, quod Apostolicam benignitatem ad praesidium vestrum invocetis! Hanc autem ad opportunitatem usum servare poteritis, et quam non (f. 44) semel experti estis, nunquam vobis defuturam existimare, praesertim si ad ipsam conciliandam eximium studium adhibueritis, ut nihil impedimento sit saepius nuncupatis Decretis nostris debita obedientia exequendis. Quod ut commodius fieri queat, permisimus Nuntio isthic nostro⁵⁵ tempus idoneum designare ad cogendum Monachorum Conventum⁵⁶, ut ibi maturo consilio norma constituatur, qua negotium istud ad exitum perducatur.

Inter Fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, etc., die 27 Novembris 1742, etc.

700.

Romae, 5 . IX . 1743

Provisio Ecclesiae Rossensis in persona Michaelis Olsavskyj, Vicarii Apostolici Munkaciensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3056, fol. 9-10.

Dilecto filio Michaeli Olsauszky⁵⁷, Monacho expresse professo
Ordinis Sancti Basilii Magni, Electo Rossensi.

BENEDICTUS PP. XIV. Dilecte fili, salutem etc.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis ex alto commissum etc. (*prout 20 . V . 1735*) et feliciter gubernare. Cum itaque Ecclesia Rossensis, quae in partibus infidelium consitit etc. Nos felicem eiusdem Ecclesiae provisionem etc. demum ad te, qui Monachus expresse professus Ordinis Sancti Basilii Magni, et in sacro praesbyteratus ordine constitutus, ac ex legitimo matrimonio procreatus existis, et in aetate legitima reperiris, et alias munus Vicarii in spiritalibus generalis Vicariorum Apostolicorum Munkaciensium, auctoritate Apostolica deputatorum exercuisti, et cui apud Nos de vitae munditia etc. perhibentur, direximus oculos nostae mentis ... te a quibusvis etc. censentes, eidem Ecclesiae Rossensi de persona tua etc. auctoritate Apostolica

⁵⁵ Fabritius Sorbelloni (1738-1746).

⁵⁶ Capitulum Generale revera coadunatum fuit anno 1743, mense Maio - Junio. Cfr. *Catalogus OSBM*, an. 1949, p. 108.

⁵⁷ Michael Manuel Olsavskyj, Episcopus Munkaciensis, tit. Rossensis. Tempore Praedecessorum suorum Vicarius Generalis, et post mortem ultimi, G. Blažovskij, nominatus Vicarius Gen. ab Ep. Agriensi. Vix, professa vita monastica, electus in Episcopum, nominatus et confirmatus a S. Sede cum tit. Rossensis in partibus infidelium. Claruit cura ecclesiarum exaedificandarum, promotione monachorum et monasteriorum, nec non educatione Cleri. Item fundamenta iecit creationi Sedis residentialis Munkaciensis, quae tantummodo post eius mortem locum habuit (1771). Obiit 5.XI.1767 in Munkačevu. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 1033-1034. Cfr. *Acta Visitationum monasteriorum transcarpaticorum OSBM*, coll. R. P. H. KINACH OSBM, in *Analecta OSBM*, ser. I, II, 1-2, p. 105; III, 3-4, p. 432, nec non A. HODYNKA, *Epistolarum commercium episcopi M. M. Olsavskyj cum hegumenis OSBM*, Ibid., VI, 1-2, p. 223, et separatim.

providemus, teque illi in Episcopum praeficimus, et pastorem, curam etc. consequi merearis. Praeterea tibi, ut ad Ecclesiam Rossensem . . . indulgemus. Caeterum ad ea, quae in tuae commoditatis augmentum etc. (*ut supra die 20 . V . 1735.*) Volumus autem... quod si non receptis etc. suspensio sitis eo ipso.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 5 Septembris 1743, An. 4.

701.

Romae, 6 . IX . 1743

Michaeli Olšavskyj conceditur licentia suscipiendi munus consecrationis ab uno tantum Episcopo cum assistentia duorum praesbyterorum Ritus Graeci.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3056, fol. 27rv.

Dilecto filio Michaeli Olsauszky, Monacho expresse professo
Ordinis Sancti Basilii Magni, Electo Rossensi⁵⁸.

BENEDICTUS PP. XIV. Dilecte fili, salutem etc.

Personam tuam nobis et Apostolicae Sedi devotam etc. (*prout sub die 24 . V . 1735*)...

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 5 Septembris 1743 An. 4.

702.

Romae, 6 . IX . 1743

Michael Olšavskyj, Episcopus tit. Rossensis, nominatur Vicarius Apostolicus Munkacsiensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3056, fol. 11.

Dilecto filio Michaeli Olsauszky, Monacho expresse professo
Ordinis Sancti Basilii Magni, Electo Rossensi⁵⁹.

BENEDICTUS PP. XIV. Dilecte fili, salutem etc.

Pro nostri pastoralis officii munere etc. (*prout 18 . V . 1735*).

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, 6 Septembris 1743, An. 4.

⁵⁸ Cfr., notam praecedentem.

⁵⁹ Cfr., notam 57.

703.

Romae, 10 . IV . 1744

Hortatur Rex Augustus ne permittat iniuriam facere Clero populoque unito, praesertim a Iudaeis, in bonis Nobilium polonorum.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 110, fol. 298-300v.

Carissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

BENEDICTUS PP. XIV. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Magnis incommodis, quibus ruthenus catholicus (f. 299) Clerus per Poloniam Lithuaniamque constituatur, commoti sumus, plurimaque affecti miseratione erga quassatam illam Dominici gregis partem, quae nobis fortasse maiori curae esse debet, quod videtur non parum neglectui habere, quodque odio religionis divexata, egregie tamen iuratum Deo, et Apostolicae Sedis servat fidem. Siquidem Clerus ipse ad Nos detulit, se, et Parochos praesertim, nullae suae dignitatis sacrique ministerii habita ratione contra ecclesiasticae immunitatis iura vetustamque consuetudinem ab Dynastis, in quorum ditione degit, et agrorum aliorumque operum conductoribus, plerumque Iudaeis, quorum isthic quotidie magis accrescit muneris, exagitari, pessundari, nullo metu, nulla verecundia⁶⁰. Haec ignara Maiestate Tua et Regni Proceribus fieri, ex insigni tua pietate, eorumque religione non modo coniecturam facimus, sed certum exploratumque habemus. Quocirca dubitare non possumus, quin acerbissime comperturus sis, illos Deo sacros homines obiiici tot aerumnis, atque (f. 299) execranda Schismaticorum suae Nationis, Iudaeorum protervitati, cumulari luctu atque iniuriis. Simul autem reputamus Maiestatem Tuam afflictis eorum rebus promptum remedium praestaturum. Et omnium quidem validissimum praestabis, si in proximo Regni Conventu decernendum curabis, ut eidem Clero sua asserentur iura et immunitates communi legatorum suffragio, eaque severis legibus comprimatur licentia, qua modo illos in desperationem adducit effrenata potentiorum iniquitas, praesertim Iudaeorum, quos tantum posse in Catholico Regno ingenti nobis admirationi est, nec vobis utique decorum nisi coerceantur. Tanta nobis inest Maiestatis Tuae, et Poloniae pietatis opinio, ut pro certo habeamus, te auctore, cuncta in ipso Conventu sancitum iri, unde fidissima Regi suo, ac Reipublicae Ruthena Gens experiatur, si aequo cum ceteris iure vivere posse, non oppressa intolerabili iugo, non proculcata a Iudaeis, qui ceterum meritae servituti nati sunt, non derisa a suis Schismaticis. (f. 300) qui de cognata cum Moschis superstitione, unde sibi praesidium adest, gloriantur.

Haec Maiestati Tuae satis superque esse duximus, ut quo eximio excellis studio protegendi subditos tibi populos maxime vero calamitosos, omnem regiam adhibeas sollicitudinem, auctoritatem ad Russiae Clerum orthodoxum

⁶⁰ Ex hac oppressione populi excrevit postea motus popularis s. d. « hajdamaky », qui annis 1766-69 insurrectionem contra oppressionem socialem fecerunt, quae tamen in campum religiosum et ecclesiasticum excrevit.

in tanto ipsius discrimine sublevandum; addimus tamen (quod religiosissimo animo tuo validissimi momenti erit) si ille dignitatem, existimationemque, iura sua tueri nequeat, ipse quidem debilitabitur, et prope delebitur spes ad verum Christi Ovile traducendi tribules suos, Schismate infectos, conspiciatos cum vel in Catholico Regno ludibrio esse. Quin etiam difficiliter retinebunt apud se greges suos, si sentiant isti melius in Polonia Schismaticis suis, quam sibi esse. Quocirca pro munere Apostolatus nostri et pro paterna erga concussum illum Clerum Ruthenamque Nationem caritate etiam atque etiam te oramus atque obtestamur, ut huic periculo occurras, et Clerum ipsum singulari tua (f. 300v) clementia extollendum opitulandumque suscipias, atque istum tot reliquis tuis in Sanctissimam Religionem meritis titulum adiiicias.

Interim, carissime in Christo fili noster, Maiestati Tuae Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae, etc., die 10 Aprilis 1744, etc.

704.

Romae, 11 . V . 1744

Decretalis Benedicti Papae XIV confirmans Capitulum Generale Dubnense Basilianorum, in quo omnia monasteria Provinciae ecclesiasticae Kioviensis in unam Congregationem convenerunt.

Bullae et Brevia..., II, Pocajoviae, 1767, p. 1-60.

Bullarium Benedicti XIV, vol. I, 377-385, nr. 98.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. III, p. 143-151, n. 48.

Venerabili fratri Athanasio Szeptycki, Archiepiscopo Metropolitano totius Russiae, necnon dilectis filiis Proto Archimandritae, Archimandritis, Abbatibus, et Monachis Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis frater, et dilecti filii, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Inter plures⁶¹ iucunditatis fructus a nobis abunde perceptos, dum illustrium aliquot Praedecessorum nostrorum morem resumpsimus, qui Congregationem S. R. E. Cardinalium, negotiis Propagandae Fidei praepositorum, coram se ipsis identitatem convocare consueverunt, non mediocre profecto gaudium animo cepimus, dum negotia Nationis Ruthenae, atque Ordinis S. Basilii eiusdem Nationis una cum Ven. fratribus nostris praedictam Congregationem constituentibus tractavimus, atque discussimus.

Et quidem praeclara Nationis Ruthenae merita nobis comperta sunt ex sacris historiis, in quibus relatum invenimus, usque de Anno MCXLVI Praelatos Concilium Kijoviae habuisse, quo se opponerent schismati per Mi-

⁶¹ Constitutione hac unio monasteriorum totius provinciae ecclesiasticae Kioviensis in unam Congregationem monasticam confirmatur. Multa ad mentem S. Sedis remissa hic auctoritate pontificia stabiluntur, alia vero ad tempora opportuniore transponuntur. In historia Ordinis Basiliani constitutio haec maximè est momenti. Cfr. M. M. WOJNAR, *op. cit.*, *passim*, praesertim p. 87.

chaelem Cerularium Patriarcham Constantinopolitanum excitato⁶², deinde aliquos eiusdem Nationis Metropolitae Apostolicae Sedi obedientiam praestitisse, quam pariter universa gens per suos Legatos Innocentio Papae IV in Concilio generali Lugdunensi primo professa fuit⁶³. Illustrem porro Isidorum⁶⁴ S.R.E. Cardinalem ruthenum in Concilio Florentino plurimum adlaborasse pro Sancta Unione inter Occidentalem et Orientalem Ecclesiam stabi- lienda. Denique Michaellem III, Kijoviensem Metropolitanum⁶⁵ consentienti- bus reliquis Episcopis ruthenis, in Civitate Brestiae Concilium coegisse⁶⁶, in quo publica iterum Nationis Ruthenae cum Sede Apostolica Unio decreta fuit, ad eamque perficiendam duo Episcopi⁶⁷, missi fuerunt ad fel. record. Clementem Papam VIII, Praedecessorem nostrum, cui datum fuit praedic- tam Nationem ad Ecclesiae Romanae communionem recipere, eiusque Unio- nem per literas Apostolicas confirmare⁶⁸.

Eximiis hisce totius Nationis promeritis iungenda sunt ea, quae peculia- ria sunt Ordinis Monachorum S. Basilii, quorum spectabilis caetus est apud ipsam Ruthenorum Nationem, quemque potissimum concernunt ea, quae in Congregationibus coram nobis habitis agitata, et constituta fuerunt. Hypatius nimirum Metropolitanus⁶⁹, unus ex Legatis ad Clementem Papam VIII missis, cum intelligeret nullum aptius medium ad Sanctam Unionem fovendam et pro- pagandam, quam si Monachos Basilianos, quorum unicus apud Ruthenos est Monasticus Ordo, sibi coniungeret, insigne ipsorum Monasterium acquisivit sub invocatione Sanctissimae Trinitatis Vilnae constitutum, atque in eo col- lectos iuvenes Monachos erudiri curavit⁷⁰. Huius vero Successor, Joseph Ve- laminius⁷¹, pluribus eiusdem Ordinis monasteriis, quae antea segretata dege- bant, ad Unionem redactis, unam ex eis Monachorum Congregationem effor-

⁶² Synodus haec convocata erat a principe Izjaslao II, qui, pulso metropolita Graeco Michaelle, Episcopos adunare iussit ad novum Metropolitanum eligendum. Electus est Cle- mens. s. d. Smolatyč, qui reliquiis ex capite S. Clementis, Papae, institutus est Metropolitanus Kioviensis, inconsulto Patriarcha Constantinopolitano. Cfr. Chronicas et bibliographiam, ex gr. S. TOMAŠIVSKYJ, *Vstup do istoriji cerkvy na Ucajini in Analecta OSBM*, ser. I, vol. IV, 1-2, p. 1sq.

⁶³ Agitur de Petro Archiepiscopo, qui in Concilio Lugdunensi I partem habuit et de periculo tartarorum primam fecit relationem. Diversis vestitus paramentis cum Pontifice etiam in Divinis Officiis concelebrabat. Cfr. S. TOMAŠIVSKYJ, *Praecursor Isidori, sive de Petro, Aceri filio, metropolita Rutheno hucusque fere ignoto (1241-1245)*, in *Analecta OSBM*, ser. I, vol. II, 3-4, p. 221; nec non eiusdem auctoris posteriores elucidationes, ibi- dem, III, 1-2, p. 171 (*Nobilis an Hegumenus?*), II, 3-4, p. 441 (*Quisnam fuit Archiepisco- pus Petrus an. 1245?*) etc.

⁶⁴ Cfr. nostram collectionem temporibus Eugenii PP. IV.

⁶⁵ Agitur de Unione s.d. Berestensi an. 1595-6, temporibus Metropolitanae Michaelis Ragoza (1588-1599). Cfr. documenta Clementis PP. VIII, annis 1595-1596.

⁶⁶ Anno 1590, modus et tempus nec non conditiones Unionis discutiebantur. Dein in Synodo item Berestensi an. 1596 Unio proclamata fuit solemniter.

⁶⁷ Hypatius Potij, Episcopus Volodimiriensis et Berestensis (1591-1613), et Cyrillus Terleckyj, Episcopus Luceoriensis et Ostrogiensis (— 1607).

⁶⁸ Constitutio *Magnus Dominus* de data 23.XII.1595 Cfr. supra in nostra collectione.

⁶⁹ Metropolitanus Kioviensis ab anno 1600 ad 1613.

⁷⁰ Cfr. R. HOŁOWACKYJ, *De Seminario Vilnensi SS. Trinitatis*, Romae 1950 (Dissert.).

⁷¹ Josephus Velamin Rutskyj, Metropolitanus Kioviensis ab anno 1613-1637. Cfr. supra, documenta et adnotationes illius periodi.

mavit⁷², quam de nomine supradicti monasterii Congregationem Sanctissimae Trinitatis Unitorum nuncupavit. Cumque bene nosset huiusmodi Unionem seu Congregationem minime canonicam esse, aut haberi posse absque auctoritate et beneplacito Sedis Apostolicae, ad hanc ipsam debitum habuit recursum, atque opportunam ab ea obtinuit approbationem de Anno 1624, sub Pontificatu fel. rec. Urbani Papae VIII, cum praecedenti Anno 1623 magnus ille Archiepiscopus Polocensis Josaphat, Monachus S. Basilii, quem idem Urbanus Anno 1643 Beatorum numero adscripsit⁷³, gloriosum pertulisset martyrium, sibi a Schismaticis in odium Catholicae Fidei, et Unitatis illatum.

Monasteriorum Unione, ut praefertur, in unicam Congregationem sic constituta, et cohaerenter ad obtentam Apostolicam confirmationem⁷⁴, praedicta omnia monasteria sub unius Proto Archimandritae directione et regimine unita fuerunt. Sed quamvis ad eam Congregationem firmiter stabilendam et ampliandam opportuna deinceps concessa quoque fuerit facultas uniendi ipsi alia monasteria, quae se ad eandem adiungere optassent, nonnulla tamen eiusdem Ordinis monasteria in Dioecesibus Uladimirensi, Luceoriensi, Chelmensi, Leopoliensi, et Premisliensi adhuc reliqua erant, quae et omnino separata ab ea Congregatione, et singula seorsim sine ulla unione vivebant. Quamobrem Anno 1720, de mandato recol. memor. Clementis Papae XI. coacta in Civitate Zamosciae Synodo nationali Ruthena, praesidente in ea Hieronimo Archiepiscopo Edessae, tunc in Regno Poloniae Sedis Apostolicae Nuntio, deindeque S.R.E. Cardinali Grimaldo nuncupato, in eadem decretum fuit⁷⁵, praedicta quoque monasteria in unam Congregationem unire debere, eaque de re habendum esse post certum tempus Capitulum generale sub praesidentia Metropolitanum, et cum assistentia Proto Archimandritae Congregationis Sanctissimae Trinitatis, in quo omnia ordinarentur et constituerentur, quae ad deliberatam Unionem pertinerent, cum factis compertum haberetur ecclesiasticae disciplinae summopere profuturum, si omnia monasteria, quae Superioribus Generalibus non subsunt, neque Visitatores ordinarios habent, in unum Corpus, seu in unam Congregationem redigerentur.

Ad normam huius conciliaris resolutionis, quam ab Innocentio Papa XIII confirmatam fuisse dici potest, dum is, praevio consilio tum Congregationis S.R.E. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, cui Nos tunc a Secretis operam dabamus, tum alterius Propagandae Fidei negotiis praeposita, Synodum Zamoscianam approbavit, id quod deinde Benedictus Papa XIII per suas Literas speciales in forma Brevis pariter fecit⁷⁶, coactum fuit Anno 1739 in Civitate Leopoli Capitulum Generale, praesidente Archiepiscopo Metropolitano, et adstante praedicto Congregationis Sanctissimae Trinitatis Proto Archimandrita, ac monasteriorum unio peracta fuit, et totus Ordo S. Basilii Ruthenorum distinctus remansit in binas Congregationes; cum praeter veterem Congregationem Provinciae Lithuaniae, Sanctissimae

⁷² Anno 1617 in Capitulo Novhorodovicensi. Cfr. *Catalogus OSBM*, an. 1949, p. 107; M.M. WOJNAR, *op. cit.*, *passim*.

⁷³ Cfr. Breve de data 16.V.1643: *In Sede Principis*.

⁷⁴ De data 20.VIII.1631.

⁷⁵ Sess. III, tit. II.

⁷⁶ De data 12.V.1724.

Trinitatis nuncupatam, nova haec efformata fuerit Provincia Russiae, seu Poloniae, sub invocatione Patrocinii Beatissimae Virginis.

Delata ad Nos gestarum serie, atque habita coram nobis Congregatione Ven. fratrum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum, sub die 1 Maii 1742, facile coniecimus, non levis momenti dissensionem inter veterem et novam Congregationem oriri posse, nisi opportunis remediis eisdem occurrerentur; cum ea iam quaestio excitata esset, utrum scilicet nova Congregatio Polonica proprio et distincto Proto Archimandritae subesse deberet, an vero alteri Congregationi Lithuniae unienda, et illius Proto Archimandritae, tamquam Superiori Generali totius Ordinis Basiliani, subiicienda esset. Proindeque ad tollendam omnem controversiam resolutum fuit, quod ex omnibus utriusque Provinciae monasteriis unica efformaretur Congregatio, et cogeretur Capitulum Generale pro electione novi totius Ordinis Proto Archimandritae. Huic vero Capitulo praesidet Metropolitanus Russiae, eidemque interesset Nuntius Apostolicus, vel per se, vel si ipse non posset, per alium ab ipso substituendum, aliaeque plura constituta fuerunt, quae legi possunt in Decretis sub praedicta die emanatis⁷⁷. Atque inter caetera supradicto Apostolicae Sedis in Regno Poloniae Nuntio commendatum fuit⁷⁸, ut inter duas praefatas Provincias alternativam pro electione Proto Archimandritae constitui curaret, cuius alternativae initium a Provincia Lithuanica desumeretur. Cumque praedictus Nuntius convocationem Capituli Generalis indixit in Civitate Dubnensi de mense Maio Anno 1743, Metropolitanus Russiae in eo praesidente, atque interveniente Episcopo Zenopolitano, ab ipso Nuntio subdelegato, in eodem Capitulo, favente Deo, constabilita fuit unica Congregatio, ex duabus praefatis Provinciis composita, sub regimine unius Proto Archimandritae: supradicta etiam alternativa proposita et stabilita fuit, et secundum eam electus fuit Proto Archimandrita⁷⁹, atque is ex Lithuaniae Provincia; electi pariter fuerunt Officiales inferiores, Consultores nimirum, et Secretarii, aequali numero tam ex una, quam ex alia Provincia, aliaeque plures Constitutiones et Resolutiones emanarunt pro felici regimine huius novae Congregationis ex duabus Provinciis compositae.

Cum autem pro supradictorum omnium firmitate nostrum, ut par erat, Apostolicum beneplacitum reservatum fuerit. Nos vero cum consilio Ven. fratrum nostrorum negotiis Propagandae Fidei praepositorum nobis procedendum esse censuerimus convocatis eisdem coram nobis die trigesima mensis Martii currentis Anni 1744, omnibus in eadem Congregatione perpensis, quae ad praedictum Capitulum Generale Dubni habitum, ad unionem duarum Congregationum, ad constitutam inter eas alternativam, atque electionem Proto Archimandritae totius Ordinis ibi peractam pertinerent, libenti prorsus animo adducti simus, ut approbaremus, quemadmodum per praesentes nostras Apostolicas literas approbamus et confirmamus, tam Capitulum Generale, quam unionem, alternativam, atque electionem Proto Archimandritae, aliorumque Officialium in eodem Capitulo decretas, et respective peractas; quae omnia utilitatem ipsius Ordinis S. Basilii, quem paterne cha-

⁷⁷ Cfr. M.M. WOJNAR, *op. cit.*, p. 82.

⁷⁸ Fabritius Sabelloni (1738-1746).

⁷⁹ Myhunevÿ Polycarpus (1743-1747).

ritatis affectu prosequimur, salubriter expedire iudicamus, atque adeo iudicamus.

Ab approbatione Capituli Generalis, nec non unionis, electionis, alternativae, aliorumque praemissorum, gradum facimus ad nonnullas resolutiones, quas praedicto Capitulo propositas utraque provincia unanimiter iudicio nostro remisit.

Prima occurrit ea, quae pertinet ad titulum Congregationis ex duabus Provinciis compositae, cum Provincia Lithuaniae pro conservatione tituli *SS. Trinitatis Unitorum*, Provincia vero Poloniae pro nova denominatione *Divinae Providentiae*, suum respective desiderium significaverint. Nos vero considerantes, Provinciam Lithuaniae suum iam pridem obtinere titulum *Sanctissimae Trinitatis*, sicut Poloniae alium habet *Protectionis Beatissimae Virginis*, duplicis autem generis ab eisdem Provinciis exerceri posse, alios nimirum universo Ordini communes, alios vero proprios singularum Provinciarum, opportune decernendum iudicamus, quod actus communes expediantur sub titulo *Ordinis Sancti Basilii Magni Ruthenorum*. In actibus vero peculiaribus Provinciae Lithuaniae addatur titulus: *Sanctissimae Trinitatis Unitorum*, atque in iis, qui proprii sint Provinciae Poloniae, adiungatur alius: *Protectionis Beatissimae Virginis Mariae*; et ita utrique Provinciae suus praecedens titulus conservetur.

Altera ex eo ortum habet, quod Provincia Lithuaniae Monasterium Lublinense cessit Provinciae Poloniae cum aliquibus conditionibus, et signanter cum ea, quod huiusmodi cessio, seu dimissio, eatenus valere debeat, quousque a Sancta Sede decidatur, utrum alia duodecim Monasteria, quae intra fines Provinciae Poloniae constituta esse dicuntur, et quorum possessio est apud Provinciam Lithuaniae, praedictae Provinciae Poloniae debeant assignari. Verum in praesenti rerum statu Nos nil aliud respondere possumus, praeterquam supradictam cessionem Monasterii Lublinensis a nobis approbari. Circa reliqua vero, ultiores opportune facti informationes a vobis exhibendae erunt, ut super aliorum duodecim monasteriorum pertinentia iudicium nostrum efformare possimus. Equidem in cumulo scripturarum, quae nobis communicatae fuerunt, de eorum possessione apud Provinciam Lithuaniae minime dubitatur. Illud quoque asseritur, nonnulla ex iis fundata fuisse pro Lithuanis. Haec nimirum facta dilucidanda sunt, recognoscendae foundationes, explicandae causae, propter quas Provincia Poloniae eorum cessionem nunc sibi deberi contendit; quae omnia, si libet, intra breve tempus, et absque magna impensa perfici possunt; concordatum scilicet factum coram nostro Nuntio apud Poloniae Regnum residente, vel coram illius Auditore, seu alio Ministro ab eodem deputando ad hoc, ut deinde ad Nos remittatur veridica relatio tum facti, tum etiam rationum omnium, quae coram ipso utrinque deducuntur; quibus peractis, minime cunctabimur opportunam resolutionem proferre.

Tertia concernit Hospitium Procuratoris Generalis ipsius Ordinis, qui in hac Urbe residere debet⁸⁰, nec non Alumnatus, quibus ipsi Rutheni in plu-

⁸⁰ Domus et ecclesia SS. Sergii et Bacchi. Cfr. Breve quo ecclesia haec Basilianis monachis concessa fuit. De data 8.II.1641.

ribus Collegiis fruuntur⁸¹. Illud porro constat, Urbanum Papam VIII de Anno 1641, instante ipsa Congregatione de Propaganda Fide, concessisse Monachis ruthenis ecclesiam Sanctorum Sergii et Bacchi⁸², nec non Antonium Cardinalem Barberinum Sancti Honuphrii nuncupatum⁸³, ipsius Urbani fratrem, aream contiguam pro Hospitio fundato comparasse, ibique aedes extruxisse pro Procuratore Generali, cuius etiam substentationi annuum Legatum a se relictum attribuit⁸⁴. Neque dubium est, quin primaeva supradictae ecclesiae concessio, sicut etiam Hospitium, atque Legatum, ad solos spectavit Monachos Basilianos ruthenos, qui de tempore in Congregationem Sanctissimae Trinitatis Unitorum coaluerant. Cum vero nuper etiam monasteria Poloniae in unum corpus unita fuerint, deindeque ex toto Ordine S. Basilii Ruthenorum unica Congregatio fuit efformata, quae ex duabus Provinciis, Lithuana, et Polona, componitur, cumque iuxta leges alternativae inter ipsas constitutae, Procurator Generalis modo ex Provincia Lithuana, modo vero ex Provincia Polona eligi debeat, aequitatis ratio postulat, ut in praedicto Hospitio resideat Procurator Generalis etiam tunc, cum ex Provincia Polona assumetur, quandoquidem Procurator Generalis, sive ex Lithuana, sive ex Polona Provincia electus sit, semper est Procurator Generalis totius Ordinis et Congregationis ex utrisque Provinciis compositae. Quia vero eisdem aedificiis in eum statum, in quo nunc sunt, redigendis, tum plures sumptus erogati fuerunt, tum etiam multum aeris alieni contractum, quod adhuc exsolvendum remanet, Nos id, quod expensum fuit, ab eo quod in posterum solvendum erit omnino distinguimus, et nullam quidem expensi rationem habendam esse iudicamus, vel quia id ex piorum largitionibus collectum extitit, vel quia domicilium illud partim inhabitatum, partim etiam locatum fuit a Procuratore ibi commorante, qui semper hucusque fuit ex Provincia Lithuana; quod autem reliquum est aeris alieni, postquam exacte liquidatum fuerit, id pro medietate ab una ex dictis Provinciis, pro alia vero medietate ab altera solvendum esse decernimus. Quo vero ad Alumnatus, cum duo ex ipsis constituti sint in Collegio Urbano de Propaganda Fide, duo autem in Collegio Graeco de Urbe ab Urbano Papa VIII concessi, alii vero in aliis Collegiis extra Urbem assignati reperiantur, statuimus, quod huiusmodi Alumnatus ad utramque Provinciam spectare deinceps censeantur, atque inter earundem Alumnos aequaliter dividantur.

Quarta ex eo originem duxit, quod Abbates utriusque Provinciae renunciarunt proprio iuri passivo, quod habeant in electione Proto Archimandritae, id quod locum dedit huiusmodi resolutioni; quod nimirum in Proto Archimandritam eligi deberet simplex Monachus professus nullo canonico defectu notatus, et viam aperuit remittendi arbitrio nostro, atque huius Apostolicae Sedis iudicio, utrum id, quod in praesenti actum fuit, semper deinceps servari debeat; quod idem est ac exquirere, an semper in posterum sim-

⁸¹ Collegium Graecorum de Urbe, de Propaganda Fide, vel Urbanianum; extra Urbem vero in Collegio Pragensi, Viennensi, Olomuncensi, Graetzensi, Brunsbergensi, Viliensi etc.

⁸² Die 8.II.1641.

⁸³ Antonius Barberinus, senior, frater Pontificis Urbani VIII. Ex Ordine Cappucinarum, Cardinalis S. Onuphrii. Obiit anno 1646.

⁸⁴ Legata erant scuta 100.

plex Monachus eligendus sit in Proto Archimandritam, vel potius aliquis etiam ex Abbatibus ad eandem dignitatem eligi possit. Nos autem plurimum commendamus religiosam animorum moderationem, cuius illustre specimen Abbates hac occasione praebuerunt. Opportunum quoque censemus pro ipsius Ordinis utilitate, non alium eiusdem regimini praesidere, quam qui veram ipsius observationem professus sit, cum sciamus, ab eo potissimum recte imperari, qui bene obediri didicerit. Verum, cum non adhuc satis liqueat id, de quo inferius verba faciemus, an scilicet Abbates a iurisdictione Proto Archimandritae exempti esse, et Metropolitano immediate subesse debeant, nondum pariter super hac quaestione sententiam proferri iudicamus. Siquidem ex unius articuli decisione alterius praeiudicium exoritur. Ubi enim Abbates immediatae Metropolitanis iurisdictioni subiiciantur, aequum est, ut excludatur a dignitate Proto Archimandritae; ubi vero iidem iurisdictioni Proto Archimandritae subesse iubeantur, nimis profecto durum videretur, eosdem in perpetuum ab omni iure passivo, quod ad eam dignitatem habere possent, excludere; cum praesertim in praecedentibus Decretis reperiamus exclusos fuisse ab huiusmodi munere non quidem Abbates, sed Episcopos, et Metropolitanum.

Hic igitur occasio se offert disserendi de eo, quod paulo ante innuimus: an scilicet Abbates Metropolitano, vel potius Proto Archimandritae immediate subiecti esse debeant. In vestris porro Congressibus invenimus propositum, et statutum fuisse, quod Proto Archimandrita omnia monasteria vel per se, vel per alium visitare debeat; sed ubi monasteria abbatialia sint, iurisdictionem non exerceat, nisi in personis Monachorum, numquam vero in ipsos Abbates, qui subiecti esse debent Metropolitano; ita ut, si aliquis Abbas in sui monasterii regimine gravamen aliquod vel monasterio vel Monachis intulisse, reperiatur, onus sit Proto Archimandritae omnia referre ad Metropolitanum. An vero praecedentia Abbatibus computata supra ipsum Proto Archimandritam vel contra, id iudicio Apostolicae Sedis specialiter a vobis reservatum conspiciamus.

Duplex itaque, ut videtis, decidenda proponitur quaestio, altera scilicet circa immediatam Abbatum subiectionem vel Proto Archimandritae, vel Metropolitano; altera circa eorundem Abbatum praecedentiam supra Proto Archimandritam. Ducto igitur initio ab ea, quae minorem difficultatem involvit, decernimus, quod in omnibus actibus monasticis Proto Archimandrita praecedat Abbates, cum minime ferendum sit in huiusmodi actibus monasticis Religiosus ipsi Religionis suae Capiti anteire; extra vero actus monasticos, solitum servari praecipimus; ita ut, si extra praedictos actus usus invaluit, quod Abbas praecedat Proto Archimandritam, in posterum etiam ad Abbatem praecedentia pertineat; si vero de praeterito obtinuit, quod Proto Archimandrita Abbatem praecedat, id ipsum deinceps servetur. Nec enim absonum vobis videri debet, quod unus alterum praecedat in aliquibus circumstantiis, in aliis vero idem alteri praecedentiam concedat. Id enim ante oculos nostros passim factitari conspiciamus. Siquidem inter Canonicos Basilicarum Urbis quum aliqui sint episcopali et archiepiscopali dignitate insigniti, hi quidem reliquos omnes canonicos precedunt; Vicarius autem praesentans personam Cardinalis Archipraesbyteri, qui Basilicae Caput est,

quamvis idem simplex Praelatus sit absque ordine episcopali, tamen in Choro, et in omnibus actibus capitularibus, praedictus Canonicus Episcopum praecedit; extra Chorum vero, et extra actus capitulares infra eosdem incedit, et sedet. In Collegio pariter Advocatorum Consistorialium aliquis nonnumquam reperitur episcopali gradu praefulgens: sedet hic in actibus collegialibus supra reliquos omnes Advocatos, non vero supra Decanum, quamvis hic plerumque simplex Clericus existat; quia nimirum is est totius Collegii Caput; qui tamen extra Collegium, et extra actus collegiales Episcopo, Consistorialis Aulae Advocato in omnibus decedit.

Ad aliam propositam quaestionem nunc redeuntes, quae circa immediatam in Abbates iurisdictionem, vel Proto Archimandritae, vel Metropolitana adiudicandam versatur, memores vos esse putamus, in Congregatione apud Nos habita die prima Maii anni 1742, iurisdictionem Metropolitanam supra Monachos admissam fuisse, verumtamen restrictam ad terminos Constitutionum Apostolicarum, et Sacri Concilii Tridentini, ubi iura Metropolitanam in Monachos exemptos praefiniuntur, ex quo dubio consequitur: Abbates, non quidem Metropolitanam, sed Proto Archimandritae immediatae subesse debere. Visum est enim, rectum gubernandae Religionis ordinem minime subsistere posse, ubi Abbates a Metropolitanam, non autem a Proto Archimandrita immediate penderet; quum nec imaginaria, nec admodum rara existimari debeat occasio, qua Abbas in sui monasterii regimine alicui vel pluribus Monachis gravamen intulisse dicatur, vel etiam re ipsa intulerit. Quod quidem gravamen facile et celeriter emendari poterit, si illius cognitio ad Proto Archimandritam deferatur; non ita vero, ubi controversiae in monasteriis exortae Metropolitanam iudicio et sententiae reserventur. Inspecis praeterea Ecclesiae Occidentalis Canonibus, eisdem minime consentaneum cognovimus exercitium iurisdictionis Metropolitanae in ea monachorum monasteria, quae in Dioecesibus Episcoporum Suffraganeorum sita reperiuntur; quandoquidem monasteria, quae non habent privilegium exemptionis, et immediatae subiectionis Sedi Apostolicae, non quidem Metropolitanam, sed Episcoporum localium iurisdictioni subesse iubentur. Sacrum vero Tridentinum Concilium adeo sollicitum fuit, ne Metropolitanam iurisdictionem exercerent in Suffraganeorum Dioecesibus, ut praeter peculiaris ipsorum Dioecesis visitationem, non aliter Episcoporum Conprovincialium Ecclesias Cathedrales atque Dioeceses ab ipsis visitari permiserit, quam ubi id a Concilio Provinciali eisdem mandatum fuerit.

Neque omisa fuit accurata in Orientalis Ecclesiae leges disquisitio, et quamvis, iuxta earundem praescriptum, agnoverimus monasteria et Monachos Episcopo subesse debere, Patriarchae autem competere ius Stauropegii, nimirum fingendae Crucis in monasteriorum fundatione, ex quo sequebatur, ut monasterium, licet extra ipsorum peculiarem Dioecesim, in alicuius Episcopi Suffraganei finibus situm esset, ipsi tamen Patriarchae immediate subiectum, atque ab Episcoporum localium iurisdictione omnino exemptum remaneret. Attamen huiusmodi Stauropegii ius, quod Patriarchis, ut supra, concessum fuit, nunquam ad Metropolitanos extensum fuisse cognovimus; quinimo sicubi tale quidpiam ab his attentatum fuit, id veluti alieni iuris usurpationem habitum fuisse conspeximus. Illud vero potissimum Nos

movit, quod animadvertimus supradictam Synodum Zamosciae habitam studiose quidem curasse, ut monasteria Ordinis S. Basili Provinciae Poloniae in unam Congregationem convenirent; de Proto Archimandrita autem decrevisse, ut illi subesset, cui eundem subiici debere Apostolica Sedes iudicasset. Atque eadem, ubi de visitatione monasteriorum, deque pluribus aliis ad disciplinam pertinentibus Decreta edidit, omnia reduxit ad Sacri Concilii Tridentini praescriptum.

Haec nimirum in causa fuerunt, cur alias a nobis ius Metropolitanum redactum fuerit ad terminos Apostolicarum Constitutionum Ecclesiae Occidentalis, et Sacri Concilii Tridentini. Verum cum deinde oblata nobis inspexerimus Decreta quaedam Congregationis de Propaganda Fide, et quaedam literas Urbani Papae VIII, Praedecessoris nostri, in quibus Metropolitanus iura tam in Monachos, quam in Abbates intacta reservantur; cumque plura nobis allegata fuerint Acta, tum Synodorum, tum Capitulorum, in quibus praedicta iura Metropolitanus admittuntur, resolutionem quoque Congregationis Concilii legerimus in Causa Kijoviensi: *Iuris visitandi*, proposita die 22 Augusti, et resoluta die 12 Septembris Anni 1739, necnon documenta in eadem Causa exhibita, secundum quae comprobatum et admissum fuit ius Metropolitanus Russiae, qui per suos Delegatos visitari iusserrat, quin etiam condemnaverat Abbatem cuiusdam monasterii extra propriam Dioecesim constituti, utpote quod vel in Dioecesi Luceoriensi vel Uladimiriensi situm erat. Idcirco Nos in re tam gravi, quaeque ad Metropolitanum attinet non minus dignitate, quam virtutibus insignem, caute, et ad certissimam iustitiae normam procedere volentes, non adhuc proinde huiusmodi quaestionem, utrum scilicet Abbates debeant vel Metropolitanus, vel Proto Archimandrita immediate subesse, per definitivam resolutionem decidere posse censemus; quod tamen a nobis, nulla interiecta mora, praestabitur statim ac vel ipsi invenierimus, vel nobis aliunde firmiora in utramvis partem decidendi fundamenta suppeditata fuerint. Interim vero decernimus, ut in monasteriis abbatialibus Proto Archimandrita omne ius habeat in bona monasterii, atque in personas Monachorum; Metropolitanus autem interiori monasteriorum regimini nullatenus se ingerat, quoniam advertimus, Metropolitanum ipsum usque de Anno 1686 interius omne Religionis gubernium eidem Religioni et Proto Archimandrita reliquisse, reservatis sibi aliis, rebus quas propriae ordinariae iurisdictioni competere asseruit. Inter haec autem, dum Metropolitanus rationum momenta, quae ab ipso sunt, atque Abbates similiter ea, quae ipsorum intentioni favere possunt, maiori qua poterunt celeritate nobis indicare curabunt, statuimus, ut Metropolitanus in illius iuris, quod in Abbatum personas obtinet, possessione perseveret.

Ad reliqua nunc percurrenda, quae a vobis in Congressibus vestris disposita, nobisque exhibita fuerunt, animum nostrum intendimus. Et quidem cum a vobis statutum fuerit, ut Proto Archimandrita post electionem suam iuramentum obedientiae praestare debeat in manibus Metropolitanus, tum suo, tum totius Religionis nomine, tamque erga S. Sedem, quam erga ipsum Metropolitanum, secundum omnia iura, constitutiones, et Decreta a S. Sede Apostolica lata, post huiusmodi verba haec alia per vos addenda praecipimus, nempe: Ut iuxta praescripta in literis SS. Domini Nostri etc. quibus

idem Proto Archimandrita et Religio manifeste obligetur ad observantiam et executionem eorum omnium, quae in hisce nostris literis continentur.

Vita functo Proto Archimandrita, decrevistis, quod primus Consultor Generalis ex ea provincia eligendus, ex qua erat defunctus Proto Archimandrita, reget cum scitu Metropolitanis Religionem; deindeque ea subiungitis, quae intimationem futuri Capituli Generalis pro Successoris electione concernunt.

Loco itaque praemissarum vocum: reget cum scitu Metropolitanis Religionem, alias hasce substituetis: reget Religionem, certiorato prius de obitu Proto Archimandritae Metropolitanis, eique servato debito honore et reverentia.

Illud vero pro recta monasteriorum utriusque Provinciae Lithuanicae, et Polonicae disciplina sapienter constituistis: ut Orientalis Ecclesiae usus, consuetudines, exercitia, ieiunia, ritus, et caeremoniae in eisdem observentur. Quod quidem statutum summopere commendamus, perpendentes, quod olim, quum ad Kijoviensem Metropolim evectus fuisset de anno 1613 supra citatur Joseph Velaminus, Nobilis Lithuanus, in hoc Collegio Graeco de Urbe educatus, institit coram fel. record. Paulo Papa V, Praedecessore nostro, atque obtinuit declarari per Apostolicas literas in forma Brevis datas die 10 Aprilis 1615 nullatenus Ruthenis ad communionem Sanctae Sedis nuper adiunctis impositam esse legem, ut abdicatis propriis ritibus, Ecclesiae Latinae ritus amplecterentur. Cum autem Nos, elapso proxime anno 1743 sub die 24 Decembris, Epistolam Encyclicam dederimus ad Patriarcham Antiochenum Graecorum Melchitarum, caeterosque Episcopos catholicos illius Ritus⁸⁵ eidem Patriarchae subiectos, in qua plura disponuntur circa abstinentias et ieiunia, aliasque consuetudines Orientalis Ecclesiae; volumus ut istius quoque mentionem faciatis, et praedicto Decreto huiusmodi verba addatis: iuxta Epistolam Decretalem SS. Domini Nostri etc. quae fuit a nobis, ut supra, conscripta adiecta poena privationis vocis activae et passivae ipso facto incurrenda, non solum ab iis, qui Ecclesiae Orientalis usus, consuetudines, ieiunia, ritus, et caeremonias transgrediantur, sed etiam ab ipsorum Superioribus, qui dispensationem ab eorum observantia, etiam in casibus particularibus, absque iusta et urgente causa concedere audeant.

Inter Officiales Religionis, quod ad Procuratorem Generalem attinet, optime in vestris Constitutionibus decrevistis, ut alternis vicibus ex Lithuanica, et Polonica Provincia eligi deberet. Sed ut ea dispositio magis perspicua reddatur, et nullam in executione difficultatem involvat, in eam, quae sequitur formam., redigenda erit: Procurator Generalis in posterum eligatur in Capitulo Generali, et in eius electione servetur alternativa, ita ut quoties Proto Archimandrita est ex Provincia Lithuaniae, Procurator Generalis sit Monachus professus Provinciae Poloniae, et e contra. Cum autem in vestro Capitulo Generali, in quo Proto Archimandritam eligistis ex Provincia Lithuanica, minime electum fuisse viderimus Procuratorem Generalem, Nos porro addimus, quod, pro currenti quadriennio, Proto Archimandrita cum Consultoribus Generalibus eligat in Procuratorem Generalem Monachum professum Provinciae Poloniae.

⁸⁵ *Demandatum caelitus*; Cfr. textum in DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. III, p. 124-130.

Visitationem monasteriorum utriusque Provinciae minime a vobis neglectam fuisse cognoscimus, quam eadem respective ipsarum Provincialibus demandata fuerit. Quoad vero Proto Archimandritam statuistis, ut is visitare nequeat, nisi ubi aliquod monasterium per Visitationem a Provinciali peractam gravamen aliquod pertulisse dicatur; quo casu etiam decrevistis, ut idem Proto Archimandrita per se ipsum nequeat visitare, sed per aliquem Consultorem, aut Sacretarium suum, sive per alium Visitatorem a se delegandum. Quae quidem lex Proto Archimandritae dicta, ut numquam per se ipsum monasteria visitare valeat, sed etiam in praedictis casibus per alium visitare teneantur, nimium profecto videtur illius dignitati praeiudicium inferre. Proindeque supradictam resolutionem ita corrigetis; ut, ubi in casibus supra expressis Visitationi Proto Archimandritae locus sit, possit idem sive per se, sive per alium visitare.

In eisdem demum Constitutionibus capitulariter, a vobis sancitis, quorum suffragiis tum Proto Archimandrita, tum etiam Provinciales, Consultores, et Sacretarii eligi debent. Verum nisi in huiusmodi electionibus numerus eorum, qui suffragium ferre debent, statuatur, ut totidem sint ex Provincia Lithuanica, quot erunt ex alia Provincia Polonica, sive, uno verbo, nisi inter utriusque Provinciae Vocales aequalitas constituatur, numquam recte subsistere poterit alternativa in electione Proto Archimandritae, aliorumque inferiorum Officialium a vobis instituta. Quapropter super huiusmodi Votantium numero ita decernimus: ut Capitulis Generalibus, quando agitur de electione Proto Archimandritae, suffragium ferre debeant, praeter Metropolitanum Capitulo Praesidentem, Consultores, Sacretarii Generales, Provinciales, atque alii quadraginta Monachi ex una, totidemque ex alia provincia designati et electi, iidemque omnes vocem activam habeant, ubi agitur de Officialium inferiorum electione, addito eisdem Proto Archimandritae, qui iam electus fuerit, suffragio.

Quia vero delectus eorum, quos ex utraque Provincia assumi conveniat, in tanta rerum et locorum distantia, nequaquam recte haberi, seu definiri posse videtur, idcirco mandamus Ven. fratri Episcopo Zenopolitano, de cuius zelo et prudentia plurimum in Domino confidimus, ut una cum Proto Archimandrita, Provincialibus, et Consultoribus tam Generalibus, quam Provincialibus agat, atque expendat, qua potissimum via ad huiusmodi Vocalium electionem procedi possit designatamque quantocius agendi rationem ad Congregationem de Propaganda Fide examinandam atque approbandam remittat.

Huic autem epistolae nostrae finem imponere nullo modo possumus, quin debitis laudibus prosequamur Ven. fratrem Athanasium hodiernum Russiae Metropolitanum, cuius eximia virtus, atque ardens Religionis Catholicae studium, sinceraque devotio erga Apostolicam Sedem, et saepe alias, et in harum quoque rerum tractatione luculenter emicuerunt. Hinc est ut nulli melius, quam ipsi, demandari posse iudicemus gravioris momenti negotium, quod hic subiungimus. Plura nempe monasteria in Provincia Poloniae esse novimus ad eam paupertatem redacta, ut vix duos aut tres Monachos alere possint. In huiusmodi rerum statu, Canonicae Leges praecipunt plurimum monasteriorum unionem faciendam esse, donec in singulis monasteriis decem vel saltem octo Monachi commode congregari valeant. Ad multa igitur hucus-

que peracta hoc etiam addat Metropolitanus, (cui Nos id ipsum demandamus, omnesque facultates ad hoc necessarias et opportunas impertimur) ut simul cum Proto-Archimandrita, et Consultoribus Generalibus, necnon Provinciali Poloniae, eiusdemque Provinciae Consultorio, ad huiusmodi tenuiorum monasteriorum unionem peregendam incumbat. Quod sane proficuum opus ipsius cura, ut confidimus, recte perficiendum, ubi ad Apostolicam Sedem ipsius relatio deferetur, nostra auctoritate comprobare et confirmare non dubitabimus.

Electionem quidem Proto Archimandritae in supra memorato Capitulo iam sequutam⁶⁸ ab utraque Provincia acceptatam fuisse non sine voluptate cognovimus. Verumtamen aliam fuisse vidimus formam, qua Monachi provinciae Luthuaniae ipsam acceptarunt, ab ea, qua usi sunt Monachi Provinciae Poloniae. Siquidem illi absolutam obedientiam et subiectionem Proto Archimandritae iurarunt, hi vero huiusmodi conditionem apposuerunt: Si dictus Electus cum expositis ad approbandum Sanctae Sedi Apostolicae Constitutionibus approbabitur, neque munus suum exerceat in Provincia Polona, non promulgata a Sancta Sede Apostolica approbatione.

Et sane Apostolicae Sedis dignitati convenientius fortasse a nobis rescribi potuisset, suspendendo approbationem Capituli, et promptam ante omnia exigendo Provinciae Poloniae obedientiam, eique omnino similem, quam Provincia Lithuaniae electo Proto Archimandritae praestiterat. Verum quum illud nobis minime suadere possimus, cunctationem huiusmodi originem ducere ex defectu debitaе observantiae erga Sanctam hanc Sedem, in qua colenda et observanda insignes semper se praebuerunt Poloniae Nationis Alumni, libenti animo adducti sumus, ut intentionem saltem eorum, qui ita se gesserunt, excusatione dignam nobiscum reputaremus, omnique morositate seposita totius rei disquisitionem aggressi sumus, Congregationes convocavimus, easdemque coram nobis haberi voluimus, minimeque obstantibus reliquis negotiis et perturbationibus, quibus plus aequo undique obruimur, animum ad scribendum appulimus, omnesque nobis in hac epistola resolutiones exposuimus, quas cum praedictae Congregationis consilio maxime opportunas et necessarias esse iudicavimus. Ex quarum resolutionum tenore quum omnes tergiversandi causae sublatae sint, minime dubitamus, quin Provincia Poloniae id ipsum sequatur, quod iam Lithuana Provincia peregit. Quod si eadem in suscepta obediendi repugnantia perseveraret, non sine magno profecto animi nostri dolore ad ea nobis deveniendum esset acriora iuris remedia, quae ab ecclesiasticis quidem legibus contra inobedientes districte constituta sunt, sed quae numquam a nobis adhibenda esse speramus, contra religiosos viros adeo conspicui Ordinis sectatores, aut contra Nationem, quam tanto pietatis studio diligimus, ob praeclara ipsius erga Apostolicam Sedem promerita, quorum ut recentiora omittamus exempla, iam usque a temporibus nostrorum Clementis III, Innocentii IV, Gregori XI eximia et interitura monumenta extiterunt.

Congregationis de Propaganda Fide Praefectus est Ven. frater noster Vincentius S.R.E. Cardinalis Petra Episcopus Praenestinus, cuius adeo illustre nomen ubique est ob multa et proficua opera ab eo conscripta, et publicis

⁶⁸ In persona Polycarpi Myhunevyč (1743-1747).

typis vulgata. Horum vero negotiorum Relator apud ipsam Congregationem est Ven. itidem frater noster Petrus Aloyius S.R.E. Cardinalis Carafa, Episcopus Albanensis, qui summa diligentia, ac sedulo studio atque labore eorum seriem tam scripto quam voce digessit, atque explanavit. Haec vobis comperta esse volumus, ut intelligeretis, quam bene rebus vestris consultum sit per huiusmodi laudabilium fratrum nostrorum industriam atque peritiam; quorum profecto operam in iis, quae agenda remanent, neque defecturam neque cessaturam esse vobis asserere non dubitamus; ut quum pro reliquis pendente censuram adhuc definitionibus opportuna a vobis documenta pro animi nostri instructione transmissa fuerint, iidem statim nobiscum agere praetermissuri non sint, ut tanti ponderis operi suprema demum manus imponatur. Nos interim vobis, quos paternae dilectionis affectu complectimur, Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, die XI Mai MDCCXLIV, Pontificatus Nostri Anno IV.

705.

Romae, 9 . IX . 1744

Pro monachis monasterii Niskinicensis in Dioecesi Volodimiriensi confirmantur quaedam permutationes in clausulis foundationis.

ASV, *Archivio del Brevi Apostolici*, vol. 3079, fol. 1-2, 9.

BENEDICTUS PP. XIV. Ad futuram etc.

Inclutum Monachorum Ordinem a Sancto Basilio Magno in Oriente prius institutum veluti omnium principem semper habitum, ad cuius fere instar priores monasticae regularisque disciplina in Occidente fundatores suos quodammodo Ordines accomodare studuerunt, etsi propter haereses et Schismata variis vicibus et iacturis obnoxium atque etiam distractum, semper tamen Apostolica haec Sancta Sedes assiduis suae charitatis providentiae auctoritatisque studiis ubicumque opportune esse dedit occasio fovere, complecti, ac tutari non desistit. Quoniam autem, sicut accepimus, alias tunc in humanis agens Adamus de Brusilow Kysiel⁸⁷, primum Generalis praefectus arcis, deinde Palatinus Kioviae, per publicum instrumentum die XV mensis Septembris⁸⁸ monasterium Kysiel-Niskienicense a familia sua et feudo ita dictum, et de eiusdem familiae iurepatronatus in oppido Niskienicensi, in Palatinatu et Dioecesi Vladimiriensi, pro Monachis ruthenis dicti Ordinis tunc temporis Schismaticis fundavit, cui sane monasterio ecclesiam etiam sub invocatione Patrocinii B. Mariae Virginis a fundamentis excitatam adiunxit, nec non tam monasterium quam ecclesiam alveariis, pomariis, hortis, fenilibus, stagno,

⁸⁷ Adamus Kysil. Nobilis ucrainus. Ex familia eiusdem nominis perantiqua. Adamus filius Gregorii, primum Subcamerarius Cernyhovens, dein Castellanus Braclaviensis, et Kioviensis. Demum Palatinus Kioviensis. Temporibus belli an. 1648-1651 mediator inter ucrainos et polonos. Obiit an. 1653.

⁸⁸ Anno 1646.

molendinis, decimis aliisque pecuniarum summis dotavit, donavitque, huiusmodi vero *fundationem donationemque* sive *dotationem* per duo etiam publica instrumenta sive acta, alterum quidem die XV mensis Septembris anno MDCXLVI, alterum vero die prima mensis Iunii anno MDCLVIII confecta ratas habuit, confirmavitque nec non iisdem monachis iniunxit pariter onus duas quotidie in perpetuum Missas iuxta suam quoad vixisset intentionem, post suum (f. lv) vero obitum in Suffragium pro sua suorumque successorum animabus Praeterea cum ipse Adamus tunc temporibus Schismaticus esset (quamvis deinde, ut asseritur, orthodoxae religionis unionem a Schismate amplexus in Catholicae Ecclesiae gremio viam universae carnis ingressus fuit) expresse declaravit monasterium huiusmodi tamquam filium alterius monasterii Peczarensis nuncupati in ipsa civitate Kiovia siti⁸⁹, eidem subiectum esse, et ab eodem tamquam matre sua dependere debere, ex eo praesertim, quod eo tempore civitas Kiovia ad Rempublicam Polonam spectabat. Ab exordio currentis saeculi monachi dicti monasterii Kysiel-Niskienicensis ad unionem Catholicae Romanae Ecclesiae, execrato Schismate, atque etiam praedictum Ordinem Sancti Basilii Magni Ruthenorum provinciae Polonae complecti sese monasteriumque eorum Proto Archimandritae Congregationis Sancti Basilii Magni Ruthenorum Provinciarum Lithuaniae et Russiae, a nobis ipsi die prima mensis Maii proxime praeteriti currentis anni de novo auctoritate Apostolica confirmatae, subiicere.

Quoniam autem pro parte dilectorum filiorum Hieronymi Oziemkiewicz⁹⁰ aliorumque monachorum dicti monasterii Kysiel-Niskienicensis nobis expositum fuit, etsi ipsi et monasterium praedictum sub dictae Congregationis Provinciarum Lithuaniae et Russiae Proto Archimandrita subiaceant, nihilominus filiato, ac dependentia monasterii huiusmodi a monasterio Peczarensi, cuius monachi adhuc in Schismate permanent, ipsis exponentibus valde perniciose existit, et non sine orthodoxorum offensione et scandalo reputari, haberique possit, ac proinde exponentes praedicti praevia *fundationis donationisque* a praedicto Adamo factae confirmatione, filiationem ac dependentiam eorum monasterii huiusmodi a monasterii Peczarensis subiectione per Nos (f. 2) eximere plurimum desiderant. Nobis propterea humiliter supplicari fecerunt, ut sibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsos exponentes specialibus etc. volentes, et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium... praepositorum, qui relationes ac vota Venerabilium fratrum Fabricii⁹¹ Archiepiscopi Patracensis, nostri et Apostolicae Sedis apud charissimum in Christo filium nostrum Federicum Augustum, Poloniae Regem Il-

⁸⁹ Monasterium vel sic d. «Laura» Kioviensis inde a medietate saec. XI centrum vitae religiosae et monasticae totius Ucrainae, immo totius Europae Orientalis. Initium hāuit in grottis naturalibus loci, postea superstructuris aucta, exaedificata, ornata, plurimā habuit fundationes, et parva monasteria sibi aggregata. Unum eorum erat in Niskienice, *fundationis Adami Kysil*.

⁹⁰ Hieronymus Oziemkevyc̄, nunc Superior monasterii, postea Procurator Negotiorum Ecclesiae unitae in Urbe (1757-1760). Cfr. *Catalogus OSBM*, an. 1949, p. 113.

⁹¹ Fabritius Sarbelloni, Nuntius Apostolicus Varsaviensis (1738-1746).

lustrem. Nuncii, et Francisci⁹² Episcopi Luceoriensis ad eosdem Cardinales transmissa attenderunt, consilio, erectionem, foundationem, et dotationem huiusmodi ab eodem Adamo, ut praefertur, factas cum omnibus et singulis in supradictis instrumentis contentis auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti etc. et sanamus. Nec non monasterium Kysiel-Niskienicense huiusmodi eiusque monachos praesentes et futuros, ac ipsius et illorum bona tam mobilia quam immobilia, ac semoventia, ac praesertim alvearia... summas ac quaecumque alia monasterio et monachis praedictis a memorato Adamo quomodolibet una cum ecclesia eidem monasterio annexa alias donata, impertita, et assignata, ab omni et quacumque filiatione, subiectione, et dependentia, sive in spiritualibus sive in temporalibus a dicto monasterio Peczarensi omnino, donec et quousque idem monasterium Peczarensis in Schismate (f. 2v) persistat, et non aliter, auctoritate et tenore praedictis eximimus, et liberamus, ac exemptum et exemptos esse declaramus, ac sub nostra et Apostolicae Sedis ac Congregationis praedictae Cardinalium immediata subiectione et protectione reponimus, et recipimus, eisdemque monachis praesentibus ac pro tempore existentibus, onus celebrandi quotidie duas Missas iuxta foundationem a predicto Adamo factam auctoritate et tenore praesenti iniungimus, et imponimus.

Ac insuper omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus, et confessis, ac Sacra Communionem refectis, qui ecclesiam monasterii huiusmodi sub invocatione Patrocinii Beatae Mariae Virginis, die prima Octobris, a primis etc. plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam, et remissionem misericorditer in Domino in perpetuum concedimus et indulgemus. Decernentes easdem praesentes litteras firmas etc., attentari. Non obstantibus etc. innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores etc. derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 9 Septembris 1744, An. 5.

706.

Romae, 19 . IX . 1744

Pontifex Regi Poloniae Ruthenorum catholicorum causam enixe commendat, et ut Monachorum imperatrici obsistat postulat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 111, fol. 75v-77.

THEINER, *op. cit.*, vol. IV, pars I, p. 129-130, nr. 59.

Carissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

BENEDICTUS PP. XIV. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Exagitare non cessant Rutheni schismatici populares suos, qui ad verum Christi Domini ovile reduces, eiurato Schismate, cum visibili Ecclesiae Ca-

⁹² Franciscus II Kobielski. Episcopus Luceoriensis (1739-1755).

pite se coniunxerunt. Nam et superiori anno literis Moschi apud Maiestatem Tuam Oratoris querelas cum Venerabili fratre Archiepiscopo Gnesnensi, Regni Primate interposuerunt, se pluribus per Poloniam et Lithuaniam templis ac monasteriis in Catholicorum possessionem traductis destitutos fuisse, in eaque restituti postularunt.

Comperimus Archiepiscopum non sine summa laude inhonestae ac falsae querimoniae restitisse, apertisque documentis demonstrasse, ius illos bonum non petere. Et cum plures iam siluerint menses, videbantur de re non amplius loquuturi. Nunc vero increbescit rumor, ipsos pertinaciter ac sedulo curaturos, ut Moscorum dominatricem religionis similitudine permoveant ad expugnandam in proximis Regni Comitibus Reipublicae voluntatem, ut Catholicos ruthenos iisdem templis ac monasteriis privari permittat. Vix utique reputari potest, huiusmodi inverecundum postulatum in religiosissimae polonae gentis conventu prolatum iri, te praesente ac fastidiose audituro, apertissimam iniustitiam publica auctoritate comprobendam exquiri. Attamen cum in re tanti momenti, et unde coniunctis nobiscum Ruthenis extrema pernicies oriretur, omnia praecavere paterna sollicitudo Nos admoneat, Maiestatem Tuam incredibili studio rogamus vehementerque obsecramus, ut omnes intendas nervos consilii atque auctoritatis, ne in iisdem Comitibus ulla fiat iniuria Ruthenis nostrae communionis, sed sua retineant templa, monasteria, iura, maneatque vestrae gentis gloria, qua semper egregia claruit, aequae illam pro rerum sacrarum tutela invictam stetisse adversus hostium conatus, ac penitus neglexisse expressa subdolis precibus officia. In hac nostra sollicitudine id nobis solatio est, quod scimus Maiestatem Tuam pro arca Dei custodienda strenue semper pugnasse, nec unquam nisi victorem e pugna descensisse.

Qua dum sumus nunc pariter in expectatione, carissime in Christo fili noster, Apostolicam benedictionem tibi amantissime impertimur.

Datum Romae etc., die 19 Septembris 1744, Pontificatus Nostri Anno quinto.

707.

Romae, 19 . IX . 1744

Cardinali Poloniae, ut iniustis postulationibus Impetratricis Moschoviae sese strenue in Comitibus Regni opponat.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 111, fol. 77-78.

Dilecto filio nostro Jo. Alexandro, S. R. E. Presbytero Cardinali Lipski⁹³.

BENEDICTUS PP. XIV Dilecte fili noster, salutem etc.

Non ut incendamus insitam animo tuo pietatem ad opem ferendam Ruthenis nobiscum sincera fide coniunctis, qui per Poloniam et Lithuaniam degunt, officia apud te nostra interponimus. Scimus enim supervacaneum esse stimulos addere sponte alacriterque tibi munus istud, amplissimo Roma-

⁹³ Cfr. supra nota, 48.

nae Ecclesiae Senatore dignum, obeunti; sed ut communicata tecum nostra solitudine negotium, quod tibi agendum proponimus, suo momento accuratissime expendas.

Anno proxime (f. 77) elapso Russiae Legatus apud Regem vestrum, datis ad Venerabilem fratrem Archiepiscopum Gnesnensem⁹⁴, Regni Primatem, literis postulavit, ut aliqua Schismaticis ruthenis templa ac monasteria tradantur, quae per Poloniam ac Lithuaniam ab Orthodoxis nobiscum sincera fide sociatis eiusdem Nationis possidentur.

Exhorruit Archiepiscopus, ut catholico Antistite dignum erat, ad iniustam postulationem, eaque respondit, quae Schismaticos a suscepto proposito aversisse reputabantur. Hinc autem non levis exurgit rumor, in proximis Regni Comitibus cum literis Russorum Dominatricis⁹⁵ affuturum praenunciatum Oratorem, quibus eblandiri studeat Legatorum suffragia, ut acerbissima isthaec inferatur plaga Catholicis ruthenis. Dubitare non possumus Sarmatas aequitatis ac verae fidei tenacissimos ad huiusmodi iniquum postulatam aures adhibituros et minus apud eos fore ius bonum, quod apertissime favet orthodoxis Ruthenis quam (f. 78) qualiacunque officia, expressa subdolis precibus, et communis superstitionis commendatione; attamen cum rei magnitudo sine aliqua solitudine esse nequeat, abs te maiorem in modum petimus, ut omnibus consilii, auctoritatis, necessitudinis nervis contendas atque enitaris, ne Ruthenis nostris quidquam rerum sacrarum de statu suo moveatur.

Erit amplissimae Tuae Dignitatis ad rem fortiter aggredi, tuaeque virtutis erit illam e sententia conficere. Qua quidem in re tantam a nobis gratiam inibis, quantum praecipuo animi studio percipimus, ita eiusdem Ruthenae Gentis bono consultum iri, damusque pignus Apostolicam benedictionem, quam tibi, dilecte fili noster, peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 19 Septembris 1744, etc.

708.

Romae, 19 . IX . 1744

Benedictus XIV Archiepiscopo Gnesnensi tutelam Ruthenorum catholicorum enixe commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 111, fol. 78-79v.

THEINER, *op. cit.*, vol. IV, pars I, p. 130, n. 59b.

Venerabili fratri Archiepiscopo Gnesnensi⁹⁶.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis frater, salutem etc.

Molestum accidisse Fraternitati Tuae intolerabile postulatam de transferendis ad schismaticos Ruthenos quibusdam in Lithuania Poloniaque templis ac monasteriis, quae modo ab eiusdem nationis Catholicis pacifice possi-

⁹⁴ Tunc temporis erat Christophorus Szembek (1739-1748).

⁹⁵ Elisabeth, Czarina Moscoviae, Rossiae (1741-1762), filia Petri instauratoris novi regni (1682-1725).

⁹⁶ Christophorus Szembek (1739-1748).

dentur; et ea te respondisse Moschorum oratori id inverecunde petenti, quae illum de tuo sacerdotali robore admonerent, non modo libenter percepimus, sed singulari laude prosequuti sumus, concepta inde spe, Schismaticos constantia tua deterritos ab huiusmodi urgendo proposito discessuros. Verum postquam plures tacuerunt menses, in suspiciem adducimur, vel potius comperimus Oratorem ipsum in proximis Regni Comitibus affuturum cum litteris, quibus Moschorum dominatrix eadem obtinere ab inclyto vestro conventu annisura sit. Magna hinc nobis rediit sollicitudo, ne illa quodpiam Ruthenis nostris iniuriosum extorqueat officiorum blandimento, quod iure impetrare non liceat. Vix istud reputare possumus de religiosissimo Sarmatarum coetu, cui praeest insigni pietate Rex, et ubi tantum ipse auctoritate et Primatus praerogativa excellis.

Agitur autem tanti momenti negotium, ut non timere sine aliquo timore non possumus. Quocirca oravimus carissimum in Christo filium nostrum Augustum Regem Illustrem, et a Fraternitate Tua extremo conatu petimus, ut omne vestrum studium obiiciatis subdolis hisce Schismaticorum artibus, et ne permittatis in Catholico adeo Regno nostrae gentis iura, hactenus feliciter asserta, in discrimen adduci. Erit profecto, ut fracta Schismaticorum pertinacia, cumulum addas parto iam tibi in huiusmodi negotio decori, quo plurimum benevolentiae nostrae, studii atque amoris erga Fraternitatem Tuam conciliabitur.

Apostolicam interim benedictionem tibi, Venerabilis frater, peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 19 Septembris 1744, Pontificatus Nostri Anno quinto.

Eodem modo Archiepiscopis et Episcopis Poloniae.

709.

Romae, 19 . IX . 1744

In eodem negotio hortatur etiam Archiepiscopus Polocensis, et ut auctoritatem et conamina sua Regi et Cardinali Poloniae coniungat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 111, fol. 79v-80v.

Venerabili fratri Archiepiscopo Plocensi⁹⁷.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis frater, salutem etc.

Magna Nos quoque sollicitat cura, ne in proximis Regni Comitibus quidpiam decernatur, unde aliqua per Poloniam ac Lithuaniam Ruthenorum templa ac monasteria a Catholicis eius Nationis, nobiscum coniunctis, in Schismaticos transferantur.

Quo timore Fraternitatem Tuam (f. 80) vehementer angere ex acceptis abs te literis intelleximus. Huic avertendo periculo, et ne Russorum Dominatricis officiis auferantur Legatorum suffragia, literas confestim dedimus ad caris-

⁹⁷ Florianus Hrebnyckij (1720-1762), ab anno 1748 etiam Metropolita Kioviensis cum retentione Sedium Polocensis et Vitebscensis perpetuo unitarum.

simum in Christo filium nostrum Augustum, Regem Illustrem⁹⁸, ad Cardinalem Lipski⁹⁹, et ad Regni Primatem, alterum hortantes, ut pro eximia sua religione Regiam auctoritatem obiciat iisdem Schismaticis iniqua postulanti- bus, neve permittat, se regnante, veram profitentibus fidem tantam iniuriam fieri; alteros admonentes praeclari sui erga tuendam religionem studii, quod expectamus ab ipsis impendi in re tanti ponderis non sedulo solum, sed solícite.

Adeo nobis pro paterna caritate, praecipuoque in fidelissimam eam gen- tem amore cordi est, sua ei templa, suaque monasteria inviolata servari adver- sus insidiosos populares suos.

Consuimus internae tranquillitati Basiliani Rutheni Ordinis, pro quo Apostolicam providentiam (f. 80v) imploras¹⁰⁰. Comperies enim ex Consti- tutione¹⁰¹, quam typis impressam hisce adiungi literis iussimus, Nos, immensa licet oppressos rerum mole, animum adiecissemus ad eiusdem Ordinis statuen- dam moderandamque disciplinam et in paragrapho altera: *Ex ea* — sermo- nem fieri de assignandis Poloniae ac Lithuaniae Provinciae quibusdam contro- versis Caenobiis.

Qua de re nondum iudicavimus. Prius enim expendere utriusque partis rationes necesse est, quas adhuc penitus exploratas non habemus, quamquam e prima, quae nobis se obtulit, ipsarum specie Polonos ius bonum fovere visum fuerit. Haec ad Fraternitatis Tuae literas, cui Apostolicam benedictio- nem, pignus non vulgaris benevolentiae erga te nostrae, peramanter impertimur.

Datum Romae, etc., die 19 Septembris 1744, etc.

710.

Romae, 26 . IX . 1744

Benedictus XIV Metropolitanae Kioviensi de concordia inter Episcopos ruthe- nos et Basilianos instaurata gratulatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. III, fol. 81rv.

THEINER A. *op. cit.*, vol. IV, pars I, p. 130-1, n. 60.

Venerabili fratri Archiepiscopo rutheno,
totius Russiae Metropolitano¹⁰².

⁹⁸ Augustum III (1733-1763); cfr. supra sub data 19.IX.1744. Agebatur in hoc nego- tio praesertim de postulationibus non Unitorum, praesertim Hieronymi Voléanskyj, ut eis in Eparchia Mohiloviensi restituerentur 5 monasteria, et 61 ecclesiae. Negotium hoc in Co- mitiis Regni tractari debuit, in quibus etiam Legatus Czarinae Moscoviae intervenire con- tendebat. Etiamsi in Comitibus res haec non discutebatur, a Senatu tamen instituta est Com- missio specialis ad inquirendum hac de re et referendum. Cfr. PELESZ J., *op. cit.*, II, p. 493-494.

⁹⁹ Cfr. supra notam 48.

¹⁰⁰ Constitutione *Inter plures* de data 11.V.1744. Cfr. supra.

¹⁰¹ *Inter plures*, 11.V.1744.

¹⁰² Athanasio Szeptycky (1729-1746).

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis frater, salutem etc.

Non minus imposito nobis Apostolico ministerio, quam animo et nativo desiderio nostro indulgentes omnem praecidimus cursum ortis iam, et in posterum fortasse orituris controversis inter Venerabiles fratres ruthenos Antistites ac dilectos filios Monachos Basilianos. Quod cum providentia nostra feliciter et sine utriusque partis querela evenerit, magnum exatlanti operis fructum percepisse visi sumus. Nunc tamen Fraternitas Tua cumulavit officiosissimis literis tentata obstrictum huiusmodi beneficio animum tuum collegarumque tuorum. Quod utique non parum valuit ad nostram erga vos, Nationemque vestram catholicae fidei tenacissimam paternam caritatem constabiliendam, cuius experimentum, si aliqua in re capere volueritis, gratissimum nobis accidet, damusque pignus Apostolicam benedictionem, quam tibi, Venerabilis frater, totique vestrae genti peramanter impertimur.

Datum Romae, etc., die 26 Septembris 1744, P. N. Anno quinto.

711.

Romae, 3 . XII . 1744

Commendatur Generali Ordinis Basiliani Procurator Ecclesiae Unitae de Urbe in patriam revertens.

ASV, Ep. ad Principes, vol. III, fol. 98rv.

Dilectio filio Polycarpo Michuniewicz¹⁰³, Proto Archimandritae Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum.

BENEDICTUS PP. XIV. Dilecte fili, salutem etc.

Quae regularis disciplinae et religiosae (f. 59v) pietatis cum pari tum in negotiis apud Sanctam Sedem prudenter agendis, tum in rebus orthodoxae religionis istic provehendis studio fere per quinquennium exemplo praebuit dilectus filius Caesareus Stebnowski¹⁰⁴, Monachus Ordinis tui expresse professus, Nos inducunt, ut istuc revertentem paterna caritate nostra comitemur.

Quamobrem illum tibi commendantes, a te poscimus, ut benigne excipias, atque etiam ita cum eo agas, ut non tam ipse, quam caeteri etiam intelligant, quam integros filialis erga Nos observantiae, et quam debitae erga Apostolicam hanc Sanctam Sedem obedientiae sensus geras. Vicissim vero ab ipso occipies, quam studiosa planeque paterna voluntate Nos te tuumque Ordinem prosequamur, cuius itidem pignus esse volumus Apostolicam benedictionem, quam tibi, dilecte fili, tuisque religiosis Alumnis peramanter impertimur.

Datum Romae, etc., die 3 Decembris 1744, etc.

¹⁰³ Protoarchimandrita Ordinis S. Basilii Ruthenorum, primus post unionem utriusque Provinciae (1743-1747).

¹⁰⁴ Caesarius Stebnowskyj, Procurator Negotiorum Ecclesiae Unitae in Urbe (1740-1744). Cfr. *Catalogus*, p. 112.

712.

Romae, 30 . XII . 1746

Benedictus XIV Metropolitanae Kioviensi, ut Nuntium Apostolicum de moribus Episcopi Chelmensis edoceat.

ASV, *Ep. ad. Principes*, vol. 112, fol. 59rv.

THEINER, *op. cit.*, vol. IV, pars I, p. 134, n. 66.

Venerabili fratri Josepho¹⁰⁵, Kioviae totius Russiae
Metropolitano rutheno.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis frater, salutem etc.

Apostolicae nostrae sollicitudini gravissimis negotiis et curis undique gentium in dies sese aggerentibus nihil potest accidere molestius, quam cum Venerabiles fratres Antistites, qui commissis sibi pastorum principis Jesu Christi ovibus verbo et exemplo praeire, et ad aeterna pascua ducere debent, eo, quo esse in omni loco tenentur, Christi bono odore et sanctitatis fama minime commendari, imo in honorum offensionem incurrere audimus.

Itaque non sine ingenti dolore excepimus literas Fraternitatis Tuae, quibus significas Venerabilem fratrem Episcopum Chelmensem¹⁰⁶ scandalosam et sacris canonibus adversantem ducere vitam, ac Fraternitatis Tuae et Venerabilis fratris Episcopi Luceoriensis¹⁰⁷ honorem detrahere. Ut autem salutaria Apostolicae providentiae et supremae auctoritatis nostra hac in parte remedia, uti par est, adhibeamus, in mandatis dedimus Venerabili fratri Alberico, Archiepiscopo Nicaeno¹⁰⁸, ordinario nostro et Apostolicae huius Sanctae Sedis in Polonia Nuntio, ut pro impertita sibi a nobis ordinaria potestate hisce quaecumque fuerint malis occurrat, neque sinat amplius augeri, atque ad Nos referat ea omnia, quae pontificiae auctoritatis nostrae ope indigere perspexerit.

Eapropter opus esse duximus, ut Fraternitas Tua eundem Apostolicum Nuntium de omnibus adoceas, ut ipse instructus opportune provideat.

Interim Fraternitatem Tua bono animo esse iubemus, ac tibi, Venerabilis frater, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae, etc., die 30 Decembris 1746, Pontificatus Nostri Anno septimo.

¹⁰⁵ Agitur, ut videtur adhuc de Metropolita Kioviensi Athanasio Szeptyckyj (1729-1746), qui hoc ipso anno obiit. Hic nomen Josephi, ut videtur, provenit ex inadvertentia scriptoris.

¹⁰⁶ Episcopus Chelmensis tunc tempore erat Philippus Wolodkowycz (1731-1758), postea Metropolita Kioviensis (1726-1778), et Ep. Volodomiriensis (1758-1778).

¹⁰⁷ Episcopus Luceoriensis tunc temporis erat Theodosius Theodorus Rudnyckyj (1731-1751).

¹⁰⁸ Albericus Archinto, Nuntius Varsaviensis (1746-1754).

713.

Romae, 21 . I . 1747

Datur facultas Nuntio Apostolico deputandi Floriarum Hrebnyckyj in Administratorem Metropoliae Kioviensis vacantis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3131, fol. 2.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia, Polonia, Rutheni*, vol. 7, fol. 157rv.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. III, p. 311-312, n. 87.

BENEDICTUS PP. XIV. Ven. frater, salutem, et Apostolicam benedictionem.

Quae ad Ecclesiarum istarum partium utilitatem conferre possunt Apostolicae sollicitudinis, et pastoralis charitatis officia nulla debent a nobis cunctatione retardari. Cum nominatio personae idoneae, quae, eveniente vacatione Metropolitanae Ecclesiae Ruthenorum, curam et administrationem dictae Ecclesiae gerat, ad nos et hanc Sanctam Sedem, iuxta Synodum Zamosciae anno 1720 habitam, legitime spectet, ne interea usque ad electionem novi Archiepiscopi iura ipsius Ecclesiae, aut ecclesiasticae disciplinae rationes, salusque animarum detrimenti capiant, Nos, praemissis quantum nobis ex alto conceditur, consulere cupientes, ac de Venerabilis fratris Floriani¹⁰⁹, Archiepiscopi rutheni Polocensis, fide, prudentia, charitate, vigilantia, et religionis zelo plurimum in Domino confisi, ipsumque Florianum Archiepiscopum a quibusvis excommunicationis, suspensi, interdicti, aliisque ecclesiasticis sententis, censuris, et poenis a iure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutum fore consentes, Fraternitati Tuae¹¹⁰ per praesentes committimus, et mandamus ut, eveniente vacatione Metropolitanae Ecclesiae Ruthenorum¹¹¹, eundem Florianum Archiepiscopum in administrationem Ecclesiae huiusmodi usque ad electionem, ac confirmationem novi Metropolitanae ab hac Sancta Sede faciendam auctoritate nostra Apostolica deputes et constituas, illique administrationem huiusmodi demandes tum in spiritualibus tum in temporalibus. Quibuscunque in contrarium facientis non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXI, Januari MDCCXLVII, Pontificatus Nostri Anno septimo.

D. Cardinalis Passioneus.

Nuncio Apostolico in Regno Poloniae.

¹⁰⁹ Floriani Hrebnyckyj, Metropolitae Kioviensis (1748-1762), nunc adhuc Archiepiscopi Polocensis ab anno 1720.

¹¹⁰ Nuntio Varsaviensi, Alberico Archinto.

¹¹¹ Post obitum Metropolitae Athanasii Szeptyckyj (+ 1746).

714.

Romae, 25 . II . 1747

Breve Benedicti Papae XIV, concedens indulgentiam plenariam omnibus Christifidelibus die festo titulari Ecclesiarum O.S.B.M. in Lithuania, Russia, et Polonia, nec non septem annorum, et totidem Quadragenarum die festo Visitationis B.V. Mariae Immaculatae, et festo Protectionis 1-a Octobris celebrari solito.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici* (deest volumen).
Bullae et Brevia..., II, Poczajowiae 1767, p. 61-62.

BENEDICTUS PP. XIV. Universis Christi fidelibus praesentes litteras inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem, et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia caritate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere paenitentibus et confessis ac Sacra Communione reffectis, qui aliquam ex ecclesiis Monachorum Ordinis S. Basilii M., Ritus Rutheni, in Lithuania, Russia, et Polonia existentibus die festo titulari earundem respective ecclesiarum a primis vespers usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. In super eisdem Christi fidelibus vere pariter paenitentibus et confessis, ac Sacra Communione reffectis aliquam ex ecclesiis huiusmodi die festo Visitationis B.V.M. Immaculatae, ac die prima Mensis Octobris, ut supra visitantibus, et ibidem orantibus, quo die praefatorum id egerint, septem annos, et totidem quadragenas de iniunctis eis, seu alias quomodolibet debitis paenitentibus in forma Ecclesiae consueta relaxamus. Praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem, ut, si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint; utque praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis, et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXV Februarii MDCCXLVII, Pontificatus Nostri Anno septimo.

Gratis pro Deo et Sacra. Pro Domino Cardinali Passioneo Joannes Korius, Substitutus.

715.

Romae, 4 . IV . 1748

Declaratio quod Rex Poloniae, cui rutheni Antistites pro electione novi Metropolitanis congregati personam ab ipsis electam proponere solent, non teneatur pro ea tantum persona proposita, sed pro quacumque alia, quam maluerit, preces Pontifici porrigere pro obtinenda confirmatione.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 113, fol. 265-266v.

DE MARTINIS, R., op. cit., vol III, p. 371-2, n. 98.

BENEDICTUS PP. XIV. Ad futuram rei memoriam.

Ad dissidia, si qua imposterum emergere possent, opportune praecavenda, et ad omnia, procul emanatis partium studiis, rite sancteque componenda supremas Apostolicae nostrae providentiae auctoritatisque partes libenter conferimus, ut ubique gentium, iustitia et pace sese vicem osculantibus, Catholica Fides et ecclesiastica disciplina magisque confirmentur, et augeantur. Quoniam autem Venerabiles fratres Antistites rutheni in florentissimo Poloniae Regno, sicut accepimus, in ea possessione reperiuntur, ut post (f. 266v) uniuscuiusque eiusdem Ritus Metropolitanis obitum in unum conveniant, et meritis et virtutibus singulorum accuratissime expensis, unum eorum, quem ad defuncti Metropolitanis vices obeundas magis idoneum in Domino existimaverint, proponendum et Illustri Poloniae Regi pro tempore existenti commendandum statuunt. Hinc est, quod Nos auctoritate Apostolica tenore praesentium declaramus huiusmodi electionem Metropolitanis ab ipsis Antistitibus fieri solitam esse puram sinceramque propositionem eidem Poloniae Regi pro tempore existenti faciendam de eo, quem iidem Antistites eligentes digniorem reputant; nec propterea (f. 266) laudatum quidem Regem ita obstringi ut supplices pro illo uno Regiae Maiestati proposito dumtaxat preces deferat ad Romanum Pontificem pro tempore pariter existentem, sed liberum esse eidem Regi, ut pro alio, quem ipse Rex digniorem iudicaverit, supplicationes Romano Pontifici, ut premittatur, porrigere possit et valeat. Decernentes hanc nostram declarationem semper firmam, validam et efficacem existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere Regique Poloniae pro tempore existenti in omnibus, et per omnia plenissime suffragari sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios, et delegatos, etiam causarum (f. 255v Palatii Apostolici Auditores, et S.R.E. Cardinales, et Apostolicae Sedis Nuntios iudicari, et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus, et Ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum die 4 Aprilis 1748, Pontificatus Nostri Anno octavo.

716.

Romae, 16 . XII . 1748

Provisio Ecclesiae Kioviensis in persona Floriani Hrebnyckyj, Archiepiscopi Polocensis, cum retentione eiusdem Archiepiscopatus.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3398, fol. 130-131.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi: Moscovia...*, vol. 7, fol. 348-351.

BENEDICTUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Floriano Hrebnycki Archiepiscopo nuper Polocen. et Mohilovien. Episcopo, in Archiepiscopum Kiovien, et Halicien. electo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis quem Pastor ille celestis et Episcopus animarum potestatis plenitudine sibi tradita Ecclesiis pretulit universis sollicitudo requirit etc. (*ut aliis vicibus*) contigerit attentari. Postmodum vero Kiovien. et Halicien. Ecclesiis Ritus Graeci invicem perpetuo canonice unitis quibus bo.mem. Athanasius Szeptichi ultimus illarum Archiepiscopus dum viveret presidebat, per obitum dicti Athanasii Archiepiscopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, Pastoris solatio destitutis, Nos vacatione huiusmodi fide dignis relationibus intellecta, ad provisionem earundem Kiovien. e Halicien. Ecclesiarum praedictarum celerem et felicem in qua nullus praeter nos hac vice intromittere potuit sive potest, reservatione et decreto obsistentibus suprascriptis, ne illae vacationis exponantur incommodis paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem quam de praeficiendo eisdem Ecclesiis Kiovien. et Halicien. personam utilem ac etiam fructuosam cum Venerabilibus fratribus nostris Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te nuper Archiepiscopum Polocen. et Episcopum Mohilovien. Ecclesiarum dicti Ritus invicem perpetuo canonice unitarum, quem Venerabiles etiam fratres nostri Episcopi praedicti Ritus Graeci Sanctae Romanae Ecclesiae uniti in Metropolitam de more elegerunt, quique fidem catholicam iuxta articulos iampridem a Sede Apostolica propositos expresse professus fuisti, consideratis grandium virtutum... quibus personam tuam illarum largitor Altissimus multipliciter insignivit et quod tu, qui eisdem Polocen. et Mohilovien. Ecclesiis haecenus laudabiliter praefuisti et pontificalia munia exercuisti, ordinationes habendo ac solemniter celebrando, praedictas Kiovien. et Halicien. Ecclesias scies, voles et poteris sulubrity regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis, Intendentes igitur tam Kiovien. et Halicien. Ecclesiis praedictis, quam illarum Gregi Dominico salubriter providere teque a quibusvis etc. censentes, iuxta Decretum in Congregatione eorundem fratrum nostrorum negociis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per nos approbatum a vinculo quo eisdem Polocen. et Mohilovien. Ecclesiis praedictis, quibus praees, teneris, de eorundem fratrum consilio et Apostolicae potestatis plenitudine etiam absolventes, ad Kiovien. et Halicien. Ecclesias praedictas de simili consilio Apostolica auctoritate transferimus, teque illis in Archiepiscopum praeficimus et Pastorem, curam regimen et administrationem dictarum Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo libe-

ramque tibi ad Kiovien. et Halicien. Ecclesias praedictas transeundi licentiam tribuendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dextera etc. sub tuo felici regimine regentur et prospere dirigentur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipiant incrementa.

Quocirca Fraternitati Tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus ad praedictas Kiovien. et Halicien. Ecclesias cum gratia nostrae benedictionis accedens curam ad administrationem praedictas sic exercere studeas solícite, fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus proveniat et tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur ipsaeque Kiovien. et Halicien. Ecclesiae Gubernatori provido et fructuoso Administratori gaudent se commissas, tuque praeter aeternae retributionis praemium nostram et dictae Sedis ben. et gratiam exinde uberius consequi merearis.

Nec non Venerabilibus fratribus nostris universis Suffraganeis etc. inviolabiliter observari.

Rogamus quoque et hortamur attente charissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem Illustrum, quatenus te et praedictas Kiovien. et Halicien. Ecclesias habens pro nostra et dictae Sedis reverentia propensius commendatos etc. actio gratiarum.

Volumus autem quod tu, antequam regimini et administrationi Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum praedictarum te in aliquo imisceas fidelitatis debitae solitum iuramentum in manibus alicuius catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis et in illis partibus commorantis, iuxta formam praesentibus adnotatam praestare ac formam iuramenti huiusmodi a te tunc prestiti nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras, tuo sigillo munitas, per proprium Nuncium quantocitius destinare procures. Nos enim eidem Antistiti per easdem praesentes committimus et mandamus, ut ipse a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine iuramentum huiusmodi iuxta eandem formam recipere curet.

Et insuper ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas, Motu proprio et ex certa scientia meraque liberalitate nostra tecum etiam postquam in vim translationis et praefectionis praedictarum pacificam possessionem seu quasi regiminis et administrationis praedictarum Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum et illarum respective Mensae Archiepiscopalis honorum seu maioris partis eorum assequutus fueris una cum eisdem Kiovien. et Halicien. Ecclesiis, quamdiu illis praefueris, praedictas Polocen. et Mohilovien. Ecclesias in administrationem nec non Archimandritatus Kiovo-Peczarensem et Hlebo-Borisensem quos, ut accepimus, obtines retinere libere et licite valeas. Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis nec non Kiovien. etc. attentari.

Volumus praeterea quod tu Ecclesiae Metropolitanae ac Domus Archiepiscopalis reparationibus pro viribus incumbas, conscientiam tuam super his onerando.

Forma autem iuramenti quod prestabis haec est: Ego Florianus Hrehni-chi. Electus Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae ac Domino Nostro Domino Benedicto PP. XIV suisque Successoribus canonice intrantibus; non ero in consilio aut consensu vel facto ut vitam perdant aut membrum, seu capiuntur mala captione, aut in eos violenter manus quomo-

dolibet ingerantur, seu iniuriae aliquae inferantur quovis quaesito colore. Consilium vero quod mihi credituri sunt per se aut Nuncios seu Litteras ad eorum **damnum**, me sciente nemini pandam. Papatum Romanum et Regalia Sancti Petri adiutor eis ero ad retinendum et defendendum contra omnem **hominem**. Legatum Apostolicae Sedis in eundo et redeundo honorifice tractabo et in suis necessitatibus adiuvo. Jura, honores, privilegia et auctoritatem Romanae Ecclesiae, Domini Nostri et Successorum praedictorum conservare, defendere, augere et promovere curabo; nec ero in consilio, facto vel tractatu, in quibus contra ipsum Dominum Nostrum vel eandem Romanam Ecclesiam aliqua sinistra vel prejudicialia personae, iuris, honoris, status et potestatis eorum machinentur, et si talia a quibuscumque procurari novero vel tractari, **impediam** hoc pro posse, et quantocitius potero commode significabo eidem Domino nostro vel alteri, per quem ad ipsius notitiam poterit pervenire. Regulas Sanctorum Patrum, Decreta, ordinationes, sententias, dispositiones, reservationes, provisiones et mandata Apostolica totis viribus observabo et faciam ab aliis observari. Haereticos, Schismaticos et Rebelles Domino nostro et Successoribus praedictis pro posse persequar et impugnabo. Vocatus ad Synodum veniam, nisi praepeditus fuero canonica praepeditione. Apostolorum limina singulis Quadriennis personaliter et per me ipsum visitabo et Domino nostro et Successoribus praedictis rationem reddam de toto meo pastoralis officio deque rebus omnibus ad Ecclesiarum mearum statum ad Cleri et populi disciplinam, animarum denique, quae meae fidei creditae sunt, salutem quovis modo pertinentibus et vicissim mandata Apostolica praedicta humiliter recipiam et quam diligentissime exequar. Quod si legitimo impedimento detentus fuero, praedicta omnia adimplebo per certum Nuncium ad hoc spirituale mandatum habentem de gremio Capituli mei aut alium in dignitate ecclesiastica constitutum seu alias personatum habentem, aut his mihi deficientibus per Diocesanum Sacerdotem. Clero deficiente omnino per aliquem alium Patrem saecularem vel regularem spectate probitatis et religionis de superscriptis omnibus plene instructum; de huiusmodi autem impedimento docebo per legitimas probationes ad Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem Proponentem in Congregationem Sacri Concilii Tridentini per superscriptum Nuncium transmittendas. Possessiones vero ad mensam meam pertinentes non vendam neque donabo neque impignorabo neque de novo infeudabo vel aliquo modo alienabo etiam cum consensu Capituli Ecclesiae meae, inconsulto Romano Pontifice et Constitutionem super prohibitione investituram honorum iurisdictionalium, de Anno Domini Millesimo sexcentesimo vigesimo quinto editam, servabo et si ad aliquam alienationem devenero, poenas in quadam super hoc edita Constitutione contentas eo ipso incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quadragesimo octavo, decimo septimo Kalen. Januarii, Pontificatus Nostri Anno nono.

717.

Romae, 14 . IV . 1749

Novo Metropolitae conceditur facultas, ut possit Episcopos suos ordinare, etiam cum assistentia duorum Episcoporum diversi Ritus, ex defectu Episcoporum Ritus Rutheni.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3183, fol. lrv.

Venerabili fratri Floriano Hrebnicki¹¹²,
 Archiepiscopo Kioviensi et Haliciensi, Metropolitae Ruthenorum.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis frater, salutem etc.

Exponi nobis nuper fecisti quod alias fel. rec. Clemens PP. VIII, Praedecessor noster, quasdam suas sub plumbo anno Incarnationis Dominicae MDXCV, VII Kal. Martii, expeditas literas inter cetera concessit et indulsit in perpetuum, ut pro tempore existens Archiepiscopus Metropolita Kioviensis et Haliciensis, evenientibus vacationibus Ecclesiarum seu Sedium episcopalium Ruthenae seu Russiae Nationis ab Archiepiscopatu huiusmodi dependentium eos, qui ad dictas Ecclesias electi seu nominati fuissent, auctoritate et nomine Sedis Apostolicae confirmaret, et institueret eisque munus consecrationis, duobus vel tribus aliis Episcopis catholicis eiusdem Nationis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus, assistentibus impendere valeret, et alias prout in dictis litteris, quarum tenorem etc. contineri.

Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, tot Episcopi in illis partibus, attenta inter se distantia, non sine gravi dispendio seu incommodo convenire queant, quod pro impendendo tuis Suffraganeis munere consecrationis iuxta Sacrorum Canonum dispositionem requiruntur, cupiasque propterea opportune tibi in praemissis a nobis provideri et ut infra indulgeri. Nos tuorum suffragare etc. teque a quibusvis etc. censentes, supplicationibus tuo nomine etc. inclinati (f. lv), Fraternitati Tuae, ut novos Episcopos eiusdem Ritus, accitis et in hoc tibi assistentibus loco Episcoporum ruthenorum duobus Episcopis vel duobus Archimandritis, vel duabus dignitatibus Latini Ritus, usu Mitrae et Baculi, ac gratiam et communionem Sedis praedictae habentibus, munus consecrationis huiusmodi servata in reliquis praedictarum Clementis Praedecessoris litterarum forma et dispositione, impendere, dictisque Episcopis, ut illud sic recipere libere et licite possitis, et valeatis, respective auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus quoad ea, quae praesentibus sunt contraria dictis Clementis Praedecessoris litteris nec non Apostolicis etc. ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 14 Aprilis 1749, An. 9.

¹¹² Cfr. documenta praecedentia de eius nominatione in Administratorem et Metropolitam Kioviensem.

718.

Romae, 25 . IV . 1750

Benedictus XIV Augusto Regi Poloniae Ruthenos catholicos in Comitibus Regni tuendos contra molitiones Schismaticorum commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 115, fol. 218-221v.
THEINER, *op. cit.*, vol. IV, pars. I, p. 137-8, nr. 72.

Carissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

BENEDICTUS PP. XIV. Carissime etc.

A commendatissima Maiestatis Tuae alacritate et virtute ad tuendas, provehendasque Catholicae Religionis rationes tot tamque praeclaris argumentis comprobata nobis certo pollicemur, fore, ut in diaeta inclytæ nationis Poloniae, quamprimum, te Rege ac praeside, habenda, non solum illam a quocumque discrimine ac detrimento sartam tectamque servare contendas, sed omne etiam auxilium Catholicis ruthenis adversus Ruthenos schismaticos conferre adnitaris. Verum de iis, quae ipsi Rutheni schismatici ab initio, et maxime ante ac post diaetam anno 1744 celebratam, et post deputationem commissariorum, tam episcopalis quam senatorii ordinis, pro expendendis utriusque partis momentis a Maiestate Tua praescriptam, incredibili ausu, subdolis artibus, editis postulatis et querelis moliri non destiterunt, apprimè certiores facere non possumus, quin pro suprema sacrosancti Apostolatus procuratione nobis iniuncta Regiam Maiestatis Tuae auctoritatem zelumque interpellemus.

Ac primum tibi prae caeteris magis compertum est, ad assiduas vexationes, quibus Schismatici Catholicos unitos incescebant, adiecissem etiam gravissima dominatricis Moschorum officia, per ipsius apud Maiestatem Tuam oratorem cum bon. men. Christophoro Antonio¹¹³, Gnesnae Archiepiscopo et Regni Primata interposita, ut plura scilicet per Poloniam ac Lithuaniam templa ac monasteria in Catholicorum possessionem traducta sibi restituerentur; sed ipsum Christophorum Antonium Archiepiscopum et Primatem sacerdotali pectore inhonestae et falsae quaerimoniae et petitioni restitisse, apertisque documentis demonstrasse, nullum ipsis amplius ius bonum stare, eorumque postulata tam audaci pervicacia exposita et iniusta ac religiosissimae Reipublicae iniuriosa esse.

Deinde vero, ut tantam Schismaticorum audaciam serio animadvertas, oportet, qui eo insolentiae devenerunt, ut, quamvis perspectum haberent Maiestatis Tuae flagrantissimum in catholicae fidei sustinendis augendisque incrementis studium ac zelum, tam impudentes tamen efflagitatus apud te,

¹¹³ Christophorus Szembek (1733-1748). Agitur de negotio, de quo supra sub data 19.IX.1744. Cfr. notam 98.

Catholicum Regem, de catholica religione benemereri pergentem interponere non dubitaverint.

Praeterea cum templa illa ac monasteria, quae Catholicam Unionem complexa sunt, discrimini, ut iterum in Schismaticorum possessionem cedant, obicienda esse reputamus, ingenti dolore afficimur, quod negotium huiusmodi a iudicio per Catholicos pronuntiando confici debeat.

Eapropter Maiestatem Tuam paternis vocibus rogamus et obtestamur, ut antedictam Commissariorum deputationem aut omnino revoces, aut ad executionem nunquam pervenire sinas, et elatos Schismaticorum animos Regia auctoritate tua refrenare contendas; atque insimul ad Omnipotentis Dei, per quem Reges regnant, causam animosius suscipiendam, et vehementiori ardore tutandam omnem operam zelumque tuum impendas, ea spe fretus nunquam fore, ut honorum omnium Largitor Deus, ad cuius honorem et gloriam incumbes, et Maiestatem Tuam et florentissimam Rempublicam eapropter perturbari permittat.

Porro non est, ut Maiestas Tua, cui compertissima sunt, ob oculos exponamus, quae et quanta Schismatici post praescriptam Commissariorum deputationem Catholicis attulerint praeiudicia ac detrimenta, quas turbas et tragoedias tam Mohiloviae quam Wilnae tanta vi ac furore excitarint, ut ne ipsi quidem supremi ministri tribunalium Regni potuerint componere et coercere. Id autem inde procul dubio ortum ducit, quod iidem Schismatici nullum post statutam Commissariorum deputationem iudicium, cui parere debeant, nisi ipsam deputationem revereri opinentur. Hinc Maiestatem Tuam pro singulari patientia plane intelligere non ambigimus, opportunam saepedictis Schismaticis, si memorata deputatio tantisper adhuc firma permanserit, occasionem commodumque fore impune vexandi opprimendique Catholicos ruthenos, atque iis quidem, qui infirmiores sunt, Schismatis sui venena propinandi, eos vero, qui divini Numinis instinctu ad Catholicae Ecclesiae sinum confugere meditantur, ab eisdem amplexu distrahendi.

Caeterum, carissime in Christo fili noster, non possumus satis aptis verbis explicare, quanta sollicitudine, quanta molestia, quanta caritate afficimur; sed, postquam supremo pastorum principi Jesu Christo, cuius vices immerentes gerimus, enixis precibus et obsecrationibus negotium huiusmodi gravissimum commendamus, in spectatissima Maiestatis Tuae religione, fide ac zelo fiduciam nostram collocantes acquiescere et levare sentimus.

Age igitur, carissime in Christo fili noster, et caeteris insignibus pro catholica fide gestis tuis illustriora referre contende, dum Nos divini praesidii auspice Apostolicam benedictionem cum uberrima coelestium munerum copia coniunctam Maiestati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae etc., die 25 Aprilis 1750, Pontificatus Nostri Anno decimo.

719.

Romae, 25 . IV . 1750

*Simili modo commendantur etiam Episcopo Plocensi.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 115, fol. 222-223v.Venerabili fratri Antonio Sebastiano, Episcopo Plocensi¹¹⁴.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis frater salutem etc.

Quae et quanta Rutheni schismatici intulerint praeiudicia ac detrimenta Catholicis ruthenis post Unionem ac praesertim post deputationem Commissariorum pro expendendis utriusque partis rationum momentis a carissimo in Christo filio nostro Augusto, Poloniae Rege Illustri, rescriptam, Fraternalitati Tuae prae ceteris compertissimum est. Quamobrem optimum esse ab omnibus bonis existimatur, ut deputatio huiusmodi in Dieta quamprimum habenda omnino revocetur, quemadmodum exoptamus, et Fraternalitatem Tuam maxime rogamus, ut omnem operam studiumque adhibeas, ne amplius illa cogatur, sed penitus oblitteretur. Fraternalitas enim Tua, cui munus Praesidentis eiusdem Deputationis demandatum fuit, quantum hoc in negotio possit, non oportet ut pluribus expliceretur. Ita tua igitur, Venerabilis frater, auctoritate et pastoralis zelo plurimum confidimus, ac prosperum successum a sacerdotali tua constantia et sapientia nobis certo pollicemur.

Quod si autem adversa rerum conditio nostris votis non responderit, atque deputationem antedictam celebrari coegerit, cum Fraternalitas Tua primas in illa partes agat, in solertia ac virtute tua rem omnem inclinatam recumbere laetamur. Itaque tuum erit, ut nihil, quod aut in eorundem Catholicorum ruthenorum praeiudicium et detrimentum cedere possit, aut Schismaticis commodum exagitandi Catholicos praebat, ab aliis Commissariis penitus peragatur. Id a te requirit et efflagitat episcopalis dignitas tua, id debitum obligaturumque tuendae causae Dei officium, id ipsa tua in florentissima Republica auctoritas. Bono animo esto admittere, Venerabilis frater, ut Dei causam zelo patrociniisque tuo suscipias alacriter, et feliciter perficias. Supremum namque Pastorum Principem haud passurum esse, ne dubites, ut templa illa et monasteria, in quibus verus sibi cultus exhibetur, iterum in Schismaticorum potestatem redigantur; ac tibi persuadeas maiora sacerdotalibus laboribus tuis praemia redditorum. Nos interim ad caelestis praesidii Apostolicam benedictionem Fraternalitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae etc., 25 Aprilis 1750, Pontificatus Nostri Anno decimo.

¹¹⁴ Antonius Sebastianus Dembowski (1737-1751) dein Cuiaviensis. Nominatus erat anno 1744 Praesidens Commissionis senatorialis ad investigandas postulationes non Unitorum. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 493-4.

720.

Romae, 25 . IV . 1750

A Benedicto PP. XIV Archiepiscopis et Episcopis Poloniae res Ecclesiae Ruthenae eiusque defensio contra Schismaticos commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 115, fol. 223v-226.

THEINER, *op. cit.* vol. IV, pars I, p. 138-9, nr. 72b.

Venerabilibus fratribus Adamo Archiepiscopo Gnesnensi¹¹⁵,
caeterisque Regni Poloniae Archiepiscopis et Episcopis.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabiles fratres, salutem etc.

Christophorus Antonius¹¹⁶ ho.mem. dum in humanis ageret Archiepiscopus Gnesnensis et Regni Poloniae Primas, quo caritatis zelo, qua sapientiae vi, qua sacerdotalis pectoris fortitudine audacia Schismaticorum Ruthenorum postulata praesumptaque iura impetere, retundere ac frangere studuerit, vobis prae caeteris, Venerabiles fratres, ecclesiarum Poloniae illustra decora et ornamenta, quorum fere omnes cum illo coniunctis animis ac studiis decertavere, manifestum esse laetamur. Futurum enim in Domino confidimus, ut et illius praeclarum exemplum et vestra probata virtus maiori in praesentia unicuique vestrum sit incitamento, ut adversus insolentes eorundem Schismaticorum conatus, quos in diaeta quamprimum celebranda audacius parari fama est, omne pastoralis constantiae et auctoritatis vestrae robur opponere adnitamini.

Hoc nimirum a spectata virtute vestra requirit catholicae fidei ardor, hoc episcopalis dignitatis et characteris debitum, hoc ipsa orthodoxae nationis gloria. Etsi autem probe sciamus nullis Fraternitates vestras egere stimulis, ut ad Omnipotentis Dei causam pro viribus tuendam alacres promptique consurgatis, suprema tamen Catholicae Ecclesiae procuratio, tenuitati nostrae demandata, et Christi pastorum principis, cuius vices in terris plane immerentes gerimus, caritas urget Nos, ne quascumque possumus iniuncti sacrosancti Apostolatus ministerii partes hac in re gravissima deseruisse arguamur.

Contendite itaque, Venerabiles fratres, ut templa et monasteria iamdiu in Catholicorum ruthenorum possessionem vindicata, in quibus Catholicae Religionis cultus viget et resplendet, iterum in Schismaticorum potestatem non reducantur. Satagite opem, operam, consilium auxiliumque vestrum Catholicis unitis conferre, ne a Schismaticis, qui post deputationem Commissariorum ordinis episcopalis et senatorii rescriptam audaces in dies evadunt, tot artibus, tot turbis, tot tragoediis pertubentur. Quod ut facili negotio per vos, quorum dignitas et auctoritas in ipsa Diaeta plurimi sit, habetur, ac valet, praestetur in primis opus est, ut illa deputatio aut omnino revocetur, aut saltem nunquam executioni mandetur; deinde vero eorundem Catholicorum ruthenorum rationes non tam in memorata Diaeta, quam omni tempore fovere ac provehere pergatis. Nec vobis difficile futurum esse certi sumus, ut insitam Polonae Nationi catholicam pietatem ea, qua inter omnes excel-

¹¹⁵ Adamus Komorowski (1748-1759).

¹¹⁶ Christophorus Antonius Szembek (1738-1748).

litis, sapientia et potestate excitetis ad huiusmodi negotium amplius pro votis profuturam.

Agite, Venerabiles fratres, ut nostris Apostolicis vocibus, monitis et obtestationibus acquiescentes, omnia ad maiorem divini honoris cultum, catholicae religionis decus et incrementum, vestrae gloriae commendationem, ac nostrae sollicitudinis levamen et solatium cedant, ut reposita in coelis legitime certantibus praemia vobis largiatur remunerator et iustus Deus. Interim coelestis praesidii auspiciem esse cupimus Apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam vobis impertimur.

Datum Romae etc., die 25 Aprilis 1750, Pontificatus Nostri Anno Decimo.

721.

Romae, 25 . IV . 1750

Idem negotium defensionis Unionis inculcatur etiam Metropolitanae Kioviensi, et simul modus ostenditur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 115, fol. 226v-229.

Venerabili fratri Floriano¹¹⁷, Archiepiscopo rutheno,
totius Russiae Metropolitanano.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis frater, salutem etc.

Fraternitatis Tuae litteras die 25 Mensis Octobris Anno proximo elapso ad Nos datas excepimus, atque insimul non sine gravi cordis nostri molestia intelleximus, tibi a Regiis Ministris iniunctum fuisse ut postulatis praesumptisque iuribus, quae Rutheni schismatici ediderant, statim responsionem pareres; sed veritus ne in gravissimo huiusmodi negotio parum feliciter tibi succederet, Apostolicum a nobis patrocinium implorare. Nos autem, qui pro suprema sacrosancti Apostolatus nostri procuracione nolumus a te praesertim pontificiae caritatis partes desiderari, haud morati sumus iusta et necessaria apud carissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, officia adhibere. Nec sane omisimus Venerabiles fratres Poloniae Antistites, ac potissimum Gnesnae¹¹⁸ Archiepiscopum, Regni Primatem, et maxime Episcopum Plocensem¹¹⁹, cui Praesidentis munus in deputatione Commissariorum demandatum fuerat, paternis vocibus et obtestationibus admonere, ut pro sua quisque auctoritate, et pastorali zelo adniterentur, ne illum vel minimum Catholicae Fidei rationes subirent praeiudicium vel detrimentum. Apostolicae huic nostrae sollicitudini, ac providentiae tuam etiam operam viresque ut imprimis impendas oportet, ac proinde vehementer rogamus et hortamur Fraternitatem Tuam, ut alacri constantique animo suscipias patrocinium et tutamen Catholicorum Ruthenorum unitorum, atque eorum praesertim tem-

¹¹⁷ Florianus Hrebnyckyj (1748-1762).

¹¹⁸ Cfr. documenta praecedentia, eiusdem diei. Archiepiscopus Gnesnensis — Adamus Komorowski (1748-1759).

¹¹⁹ Cfr. supra. Agitur de Antonio Sebastiano Dembowski.

plorum, monasteriorumque, quorum intra Metropolim tuam existentium praecipue cura ac vigilantia pastoralis ad Fratritatem Tuam spectat.

Itaque nulla propectae aetatis tuae, nulla languorum tuorum, nulla itineris, nulla incommodorum habita ratione ad Sanctam dumtaxat Unionem tuendam oculos animumque tuum quidem adverte, et gravissimum, in quo negotia Ruthenorum Catholicorum reperiuntur, discrimen considera, et quantum ad illud avertendum propulsandumque praesentia autoritasque tua valeat, cogita; deinde vero ad Regiam Aulam, Curiamque te continuo confer, ordinarium nostrum atque Apostolicae huius S. Sedis in Polonia Nuntium, Venerabilem fratrem Albericum, Archiepiscopum Nicaenum adi, atque invicem omnia rationum momenta expendite, et quae opportuna, quo deputatio Commissariorum omnino deleatur, visa fuerint postulata et argumenta sacerdotali fortitudine et constantia edere et urgere ne desistatis.

Praeterea tibi, Venerabilis frater, notum esse volumus, Nos non sine admiratione et molestia accepisse nuntium, quod, quamvis artes et negotiationes, quas in Dieta Generali Anni 1748 Rutheni schismatici meditabantur, non ignorarentur, tamen neque Fratritas Tua, neque quisquam ex Venerabilibus fratribus Episcopis Suffraganeis tuis Warsaviam, ut ibi Adversariorum obiectis sese opponerent, adire interea temporis curaverit.

Caeterum tibi persuasum esse cupimus, nunquam passuros fore ut nostra quaecumque ad Catholicae Religionis et Sanctae Unionis praesidium et incrementum profutura Apostolici Ministerii officia desiderentur. Interim ad prosperi successus auspiciam Fratritati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae et., die 25 Aprilis 1750, Pontificatus Nostri Anno decimo.

722.

Romae, 29 . III . 1751

Permittitur Sacerdotibus latinis in antimensiis Graecorum celebrare Missas. Hac eadem occasione alia etiam observanda inculcantur, alia permittuntur vel prohibentur.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3400, fol. 191-194v.

Bullarium Benedicti XIV, t. III, pars. I, p. 271-4, nr. 43.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. III, p. 427-430, nr. 117.

BENEDICTUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam.

Imposito nobis Apostolicae servitutis officio convenit, universae Christi familiae toto terrarum orbe diffusae necessitatibus animum diligenter intendere, maxime vero fidelium ecclesiae ministrorum in remotis regionibus pro animarum salute laborantium preces benigne suscipere, eorumque opportuno levamini ac spirituali consolationi, etiam per congruae dispensationis indulta, prout rerum, locorum et temporum rationes ac veneranda maiorum nostrorum exempla suadent, consulere et providere.

Sane dudum dilecti filii Praesbyteri latini ritus Apostolicas missiones per Russiam polonicam exercentes Congregationis Venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei

praepositorum exponi curarunt, quod, quum in tota Russia, ac potissimum in montibus Pokucia, in Podolia, in vastissimis Ukrainae regionibus et in universa fere Russia, Alba nuncupata, frequentes quidem sint Ruthenorum unitorum ecclesiae, rarissimae vero latini ritus; cumque ipsi pro Missarum celebratione lapideas sacratas tabulas et calices aureos vel argenteos, per longa et difficilia itinera, sine gravi incommodo et sine periculo confringendi easdem tabulas et calices, secum deferre non valeant; idcirco, nisi facultas ipsis concederetur celebrandi sacrosanctum Missae sacrificium super dictorum Ruthenorum antimensiis, ut vocant, et calices eorundem e stanno, ut moris apud illos est, confectos adhibendi, necesse ipsis erit ab eiusdem sacrificii celebratione plerumque abstinere; multique praeterea latini ritus fideles, qui ab ecclesiis eiusdem ritus longe degunt, sacerdotis latini praesentia, a quo sacra mysteria peragantur eisque distribuuntur, omnino carebunt; prout reipsa saepe, gravissimo cum animarum detrimento, per plures annos carere dignoscuntur. Proindeque demissis precibus postularunt, ut sibi concederetur huiusmodi facultas, sacrosanctum nempe Missae sacrificium, etiam sine lapidea sacrata tabula, celebrandi super antimensiis Ruthenorum unitorum, atque in Missarum celebratione eorundem Ruthenorum stanneos calices adhibendi.

Cum autem huiusmodi missionariorum preces, a dicta Cardinalium Congregatione Propagandae Fidei negotiis praeposita alterius Congregationis Venerabilium quoque fratrum nostrorum eiusdem S. R. E. Cardinalium, adversus haereticam pravitatem generalium inquisitorum, examini et iudicio, de more, remissae fuerint, et consequenter de iis actum fuerit in consessu coram nobis habito die XXII Ianuarii elapsi anni MDCCL, nos tunc, ut ad generale rescriptum super his edendum mature procederemus, quidquid olim in hac materia ab hac eadem Apostolica Sede decretum fuisset, in unum colligi iussimus; ac praeterea Venerabili fratri Episcopo Zenopolitano, qui tunc opportune in curia praesens aderat, quique et antea diu in Polonici Regni ditionibus, atque in ecclesiasticis Catholicorum latinorum graecorumque unitorum negotiis, Apostolicae Sedi egregiam operam navando, versatus fuerat, et deinde ad easdem regiones, et ad eosdem labores laudabiliter prosequendos, non obstantibus itinerum difficultatibus expensisque, redire non dubitavit, mandavimus, ut nos super expositorum veritate instructos redderet, suamque nobis sententiam super huiusmodi postulatis, tam voce, quam scripto, aperiret. Nunc vero, exhibitis nobis praecedentium decretorum monumentis, iisque per nos accurate perpensis, atque omnibus, quae in dictis precibus narrata fuerant, praefati Episcopi Zenopolitani testimonio comprobatis, quum in praeterea nobis retulerit, complures esse in iis regionibus presbyteros latini ritus, et quidem Deum timentes, qui, in supradictis necessitatibus constituti, minime dubitant super antimensiis Graecorum unitorum absque lapidea tabula Missarum sacra facere, eiusdemque consilium fuerit, quod, sicuti Graecorum unitorum presbyteri, quoties id rerum opportunitas suadet, propriis antimensiis relictis, Missarum sacrificia offerunt super lapideis Latinorum tabulis, ita ad constitutam feliciter unionem magis magisque stabilendam non parum conducere, latinis presbyteris liberam facultatem concedere, ut, ubi necessitas sic exigere dignoscatur, deficiente nimirum lapidea altaris tabula, Missas celebrare valeant super eorundem Graecorum unitorum anti-

mensiis; his omnibus attente perpensis, in hanc denique sententiam devenimus, ut praedictis sacerdotibus latini ritus in Russia polonica degentibus permitteremus in Ruthenorum unitorum ecclesiis, deficientibus lapideis tabulis de more consecratis, et calicibus aureis sive argenteis, Missarum sacrificia super eorumdem Ruthenorum antimensiis, et cum calicibus e stanno, qui apud illos in usu sunt, sine ullo conscientiae scrupolo celebrare.

Porro, quod attinet ad calices stanneos, omissis iis, quae repeti possent ex priorum ecclesiae saeculorum memoria, quum scilicet et lignei et vitrei calices in altaris ministerio adhibebantur, ut ostensum a nobis est in tractatu *De sacrificio Missae*, sect. I, § 16 et seq., latinae editionis Patavinae, nullum generale decretum proferri potest, quo vel hodie vetitum sit huiusmodi calicibus e stanno confectis in Missa uti, si ecclesiarum vel sacerdotum paupertas tanta sit, ut maioris pretii vasa comparari nequeant; quin immo in can. *Ut calix, de consecrat.*, distinc. 1, haec expressa verba leguntur: Si quis autem tam pauper est, saltem vel stanneum calicem habeat. Et quidem ad comprobendam asserendamque huiusmodi Ecclesiae indulgentiam plura leguntur apud SANCTUM THOMAM, 3 part., quaest. 83, art. 3 ad sextum, aliosque scriptores de hoc disciplinae capite agentes: QUART. *Ad rubricas missalis*, par. 2, tit. 1, sect. 1, dub. 1, § *Colligatur*, PASQUALIG. *De sacrificio novae legis*, tom. 2, quaest. 764 et quaest. 765, BISS. *Hierurgia sacra in verb.* calix, §. 1.

Quod vero spectat ad alteram optati indulti partem, satis quidem constat in Ecclesia Latina nequaquam celebrari posse incruentum Missae sacrificium, nisi super altari, quod vel totum rite consecratum fuerit, vel saltem superimpositum habeat consecratum lapidem, et qui tabula altaris nuncupatur; qua etiam de re egimus in dicto tractatu *De sacrificio missae*, cit. sect. I, §. 2 et seq. In Graeca autem Ecclesia huiusmodi sacrati lapides minime sunt in usu; sed ibi a pluribus iam saeculis in more positum est, ut, ubi altare solemni consecratione totum dedicatum non fuerit, loco lapidae huiusmodi tabulae, super altaris mensa aptetur linteum quoddam episcopali benedictione consecratum, in cuius angulis Sanctorum Reliquiae reconditae sunt, quodque vocatur Antimension, et super ipso sacra mysteria conficiantur; ut apud auctores de rebus liturgicis tractantes videre licet, GOAR *in notis ad Eucholog. Graecor.* pag. 521, Venetae editionis, CHRISTIANUS LUPUS *in synodos general. et provincial.*, in dissert. de S. Leonis IX. actis, cap. 13, Bruxellen. editionis part. 3. RENAUDOT *in collectione liturgicarum oriental.*, tom. 1, pag. 182, edit. Parisiens., MAGRI *in notitia vocabulorum ecclesiasticorum*, in verba, Antimensia, CARD. BONA, *Rerum liturgicarum lib. I*, cap. 20, §. 2, pag. 70, num. 4, Taurinen. editionis.

Quum vero nunquam Ecclesiae Latinae mens fuerit, ut Graecorum ritus destrueret, quin potius eorum semper conservationi, quantum fas est, nec non eorumdem apud Graecos fidelis observantiae prospexerit, nunquam proinde Missarum celebrationem, quae super huiusmodi antimensiis a Graecis catholicis fit, improbavit; sed eam, et quidem non in partibus Orientis dumtaxat, verum etiam inter Italo-Graecos, permitti expresse declaravit; ut videre licet tum in instructione per fel. rec. Praedecessorem nostrum Clementem Papam VIII edita, tum in nostra constitutione, quae incipit: *Etsi pastoralis, Bullarii nostri* tom. 1, constitut. 57, § 6, num. 17.

Quum vero in iis regionibus, in quibus Italo-Graeci sunt, Latini quoque frequentes habitent, atque ibidem tam unius quam alterius ritus ecclesiae adsint, ita ut absque ullo impedimento et sine gravi incommodo unusquisque presbyter proprii ritus ecclesiam adire valeat; nulla sane causa est, ob quam latinis earum partium presbyteris permitti debeat, contra constantem Ecclesiae Latinae disciplinam, sine sacrata altaris lapidea tabula Missas celebrare, easque super Graecorum antimensiis offerre; quod ipsis proinde in citata nostra constitutione vetitum fuit, eodem § 6, num. 19.

Sed aliter se res habent, ubi de regionibus agitur, in quibus latini presbyteri ab ecclesiis latini ritus longe degentes, quum sacratas lapideas tabulas per longa itinera sine gravi incommodo, et sine periculo eas confringendi, secum deferre nequeant, vel Missae celebrationem penitus omittere, et sic latinos fideles sine sacrificio proprii ritus et sine mysteriorum participatione relinquere, vel eam super Graecorum antimensiis peragere compelluntur. In huiusmodi rerum circumstantiis, Apostolicae Sedis provida indulgentia iamdudum enituit; quum scilicet anno MDCII ad supplicationem tunc existentis Episcopi Vlnensis praedictae Cardinalium inquisitorum generalium Congregationi hac de re exhibitam, ipso etiam Praedecessore nostro Clemente Papa VIII approbante, rescriptum fuit: Sacerdotes rutheni non schismatici, in ecclesiis Catholicorum Ritus Latini, altaribus, calicibus et vestibus sacris eorundem Catholicorum uti, et Missam celebrare possint, in casu necessitatis, ac etiam solum devotionis causa, dummodo Ritu Rutheno celebrent. Et e contra, sacerdotes Ritus Latini in ecclesiis Ruthenorum non schismaticorum, altaribus et calicibus, ac vestibus sacris uti, et Missam celebrare valeant, Ritu tamen Latino. Et praedicta serventur secluso omni scandalo, et de licentia praelatorum et rectorum ipsarum ecclesiarum.

Nos igitur, praemissae necessitatis intuitu, atque etiam huiusmodi decreti consideratione adducti, praesentium literarum tenore, atque ex certa scientia, et Apostolicae auctoritatis plenitudine, salvis praefati Clementis VIII, nostrisque super ritibus Italo-Graecorum editis constitutionibus et ordinationibus, non modo relatum superius decretum approbamus et confirmamus, verum etiam praefatis omnibus missionariis, aliisque sacerdotibus latinis in tota Russia polonica nunc et pro tempore commorantibus, ut ipsi et eorum quilibet, in ecclesiis Ruthenorum unitorum, deficientibus lapideis altarium tabulis rite consecratis, super sacris eorundem Ruthenorum Antimensiis Missarum sacrificia celebrare, atque etiam, ut supra dictum est, in huiusmodi celebratione eorundem calicibus stanneis uti libere ac licite possint, et valeant, concedimus e indulgemus. Non obstantibus quibusvis Apostolicis, seu generalium aut provincialium vel synodaliū Conciliorum contrariis constitutionibus et ordinationibus sive locorum, personarum aut Ordinum statutis, ritibus, usibus et consuetudinibus etiam immemorabilibus, caeterisque in contrarium quibuscumque.

Voluimus autem, sicut in praemisso decreto expresse cautum reperitur, ut dicti missionarii et sacerdotes latini, etiam quum eos, vigore praesentis concessionis, super Ruthenorum unitorum Antimensiis Missam celebrare contingerit, latino semper ritu eadem celebrare teneantur; firma nimirum et in suo robore permanente Apostolica constitutione a fel. rec. Praedecessore quoque nostro Sancto Pio Papa V. edita, quae incipit: *Providentia Romani Pon-*

*tificis*¹²⁰, constit. 12, tom. 2 Bullar. Rom. edition. Luxemburg., per quam omnes facultates et indulta, tam Graecis, ut Missas et divina officia latino ritu celebrare possent, quam etiam Latinis concessa, ut eadem graeco ritu peragere valerent, revocata atque perpetuo sublata fuerunt; quamque nos etiam earundem praesentium tenore, quatenus opus sit, dictaque auctoritate, confirmamus et innovamus.

Volumus insuper, ut iidem praesenti indulto celebrandi super Graecorum antimensiis, in praedictorum Ruthenorum ecclesiis dumtaxat (quemadmodum etiam in praemisso decreto legitur) uti et gaudere possint; si vero eosdem in aliqua latina ecclesia, seu in domesticis Latinorum oratoriis, quae forsitan auctoritate Apostolica in huiusmodi Latinorum privatis domibus, cum licentia celebrare faciendi, quae adhuc vigeat, erecta fuerint, sacrosantum sacrificium offerre contigerit, illud vel super altari consecrato, vel super lapidea pariter consecrata tabula, quae etiam altare portatile appellatur, non autem super antimensiis huiusmodi, celebrare omnino debeant.

Volumus denique, ut praesentium literarum exempla, etiam impressa, publici Notarii subscriptione, et personae in dignitate ecclesiastica constitutae sigillo munita, eandem omnino ac ipsae praesentes, ubicumque opus fuerint, fidem et auctoritatem obtineant.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc nostrae concessionis, indulti, statuti, decreti et voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Domini MDCCLI, IV Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

723.

Romae, 18 . IX . 1751

Benedictus XIV *Episcopis Leopoliensi et Praemisiensi spondet suum auxilium. ut transitus ad Ritus Latinum praepediatur.*

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 116, fol. 259rv.

APF, *Ap. Bull. de Prop. Fide*, p. 159 coll.

THEINER, *op. cit.*, col. IV, pars I, p. 142, nr. 77b.

DE MARTINIS, *op. cit.*, vol. III, p. 466, nr. 129.

Venerabilibus fratribus Episcopis Praemisiensi¹²¹
et Leopoliensi¹²² Graeci Ritus (Leopolim).

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Vestrae ad Nos delatae sunt literae scriptae die VII Julii, in quibus merito conquerimini de transitu Ruthenorum a ritu graeco ad ritum latinum.

¹²⁰ Cfr. supra sub data 20.VIII.1566.

¹²¹ Episcopus Peremyliensis tunc temporis erat Onuphrius Szumlanskyj (1746-1762), qui iam ab anno 1739 erat in eadem Eparchia Coadiutor.

¹²² Leo Szeptyckyj (1749-1779).

Uti bene nostis, Venerabiles fratres, nostri Praedecessores hos transitus abhorruerunt, et Nos ipsi abhorremus, utpote qui non destructionem, sed conservationem ritus graeci summopere desideramus. Specialiter de prohibendo transitu Ruthenorum actum est coram nobis anno MDCCXLVIII, sed nulla fuit capta resolutio sub obtutu resistantiae factae a Rege Poloniae decretis Urbani VIII, in quibus transitus fuerat prohibitus¹²³ Quamprimum materia reassumetur, omnemque lapidem movebimus, ut nedum finali decreto transitus prohibeatur, sed etiam ut decretum sua non careat executione. Et interea vobis, Venerabiles fratres, et gregibus vestrae curae commissis Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XVIII Septembris MDCCLI, Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

724.

Romae, 17 . XI . 1751

Bulla Benedicti Papae XIV, concedens usum Pontificalium Proto Archimandritis Congregationis Ruthenorum pro tempore existentibus.

Bullae et Brevia..., II, Poczajowiae 1767, p. 63-70.

BENEDICTUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Romanus Pontifex mystici Corporis Christi visibile Caput, universos regulares Ordines, praesertim illos, qui Spiritus Santi bonitate in unitate Ecclesiae existere dignoscuntur, in privilegiis, insignibusque ornatibus noviter concedendis peculiari dignatione se exhibet liberalem, quemadmodum arbitratur in Domino salubriter expedire.

Sane pro parte dilecti filii Januarii Znojowski¹²⁴, moderni Procuratoris Generalis Ord. S.B.M. Congr. Ruthenorum in Polonia, nobis nuper exhibita petitio continebat, quod Ordo praedictus per loca Dominio Regis Poloniae pro tempore existentis subiecta ita se extendit, ut respective in eis centum septuaginta et ultra Ordinis huiusmodi monasteria in Congregationem unita, sub titulo Congregationis Ruthenorum, quae ex duabus Provinciis¹²⁵, una videlicet SS. Trinitatis, Lithuaniae, et altera Protectionis B. V. M., Poloniae, nuncupatis componitur, et quas fel. record. Urbanus Papa VIII, Praedecessor noster, usque de anno 1624 seu alio veriori tempore Apostolica auctoritate confirmavit, variisque suffissit privilegiis, et novissime nos munifice promovimus¹²⁶ et auximus, instituta reperiantur, quorum nonnulla abbatialia sunt, eorumque respective Superiores, utpote veri Abbates perpetui usu mitrae et

¹²³ Agitur de famoso iam Decreto Urbani VIII ex anno 1624, cui Rex Poloniae, Sigismundus III, sese opposuit. Inde Decretum hoc paululum modificatum, dein pluribus vicibus observandum inculcabatur.

¹²⁴ Januarius Znojovskij (1747-1752).

¹²⁵ Ab anno 1743, a Capitulo sic dicto Dubnensi I.

¹²⁶ Constitutione *Inter plures* de data 12.V.1744.

baculi, ac delatione crucis pectoralis, et annuli gaudentes Archimandritae nuncupantur.

Integra vero et tota Congregatio praedicta ab uno pro tempore existente Superiore Generali, Proto Archimandrita nuncupato, singulis quadrienniis ex una et altera provinciis praedictis alternatim eligendo, gubernatur, qui si de Provincia Lithuaniae fuerit, in Monasterio de Torokania eorundem Ordinis et Congregationis Kijoviensis seu alterius Diocesis, si vero de altera Provincia, Poloniae nuncupata, extiterit, in Monasterio de Poczajovia Ord. et Congr. praedictorum, Luceoriensis seu alterius Dioecesis, residere tenetur, expleto autem quadriennali huiusmodi gubernio, ad illudmet Monasteriorum, de cuiusvis familia extiterit revertitur, cum raro contingat, quod in eodem Monasterio, ubi Superior Generalis extitit, permaneat, imo aliquando de sui persona alicui Monasterio dictorum Ordinis et Congregationis regulari pro tempore vacanti providetur, vel etiam ipse Cathedrali Ecclesiae etiam pro tempore pastoris solatio destitutae in Episcopum praeficitur. Et licet Superior Generalis pro tempore existens praedictus super singulis regularibus monasteriis huiusmodi plenam iurisdictionem exerceat, nihilominus quia praedictorum insignium usu non gaudet, ob id maximum regulari disciplinae provenit praedictum, multique insurgunt abusus, per quos ipsi Abbates regulares dicti Superioris Generalis regulares vestes debita modestia, parique compositione induentis exemplum spernendo vestibus sericis, cruceque et annulo praetiosius utuntur.

Si igitur, eadem petitio subiungebat, ad praemissis occurrendum, et ne ipse Superior Generalis, qui caeteris Ordinis et Congregationis huiusmodi auctoritate et dignitate praest, iis ornamentis, licet externis, quibus alii suae curae et regimini concrediti decorantur destitutus remaneat cuilibet ex pro tempore existentibus Superioribus Generalibus Ordinis et Congregationis praedictorum, donec et quousque quilibet eorum per quadriennium praedictum munus Superioris Generalis huiusmodi exercuerit, et munere huiusmodi tantum durante infrascriptorum insignium usus per nos et Sedem Apostolicam benigne, ut infra, concederetur, id profecto regimen dictae Congregationis vergeret in melius, exortosque abusus praedictos removeret, et quod potissimum est, conversioni Monachorum schismaticorum in propinquis regionibus existentium, qui ex eo, quod ut plurimum ab Abbatibus infulatis praedicti Ordinis, non tamen praedictae Congregationis reguntur, Superiori Generali non infulato se subiicere aegro animo sustinent, utique prodesset. Quare pro parte dicti Januarii nobis fuit humiliter supplicatum, quatenus dictae Congregationis incremento benigne confluere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur eundem Januarium specialis gratiae favore prosequi volentes, ipsumque Januarium et illos quorum favorem praesentes concernunt, a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad effectum praesentium tantum consequendum, harum serie absolventes, et absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, cuilibet ex pro tempore existentibus Superioribus Generalibus Ordinis et Congregationis praedictorum, ut eorum quilibet, donec tamen, et quousque munus Superioris Generalis per quadrienn-

nium praedictum exercuerit, et munere huiusmodi tantum durante, et non alias nec ultra mitra, annulo, cruce pectorali, non tamen pretiosis, baculo pastorali, aliisque insigniis et indumentis iuxta Ritus Ruthenum gestari solitis, tam in de Torokania et de Poczajovia monasteriorum praedictorum, quam in aliis eiusdem Congregationis et ab ea dependentibus ecclesiis, inter Missarum aliarumque ecclesiasticarum functionum, iuxta Ritus praedictum fieri solitarum solemnias, uti eaque deferre, et gestare, ac Missas aliasque functiones huiusmodi cum dicta mitra solemniter celebrare libere et licite possit et valeat, cum hoc tamen, quod per infra scriptorum insignium huiusmodi concessionem nullum aliud ius vel privilegium intelligatur concessum, quin praeservata hinc inde remaneant iura quoad praetensiones inter V. fratrem nostrum modernum Archiepiscopum Kijoviensem¹²⁷ Ritus Graeci nationis Ruthenae totius Russiae Metropolitanum et Superiorem Generalem¹²⁸, vel alios Ordinis et Congregationis huiusmodi Monachos nunc et pro tempore respective existentes fortasse ortas et orituras Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus, et indulgemus, ac plenam, liberam, et omnimodam facultatem et potestatem desuper impertimur, nec non quemlibet ex pro tempore existentibus Superioribus Generalibus Ordinis et Congregationis praedictorum, munere praedicto tantum, ut praemittitur, durante, desuper a quocumque quavis auctoritate, vel dignitate fungente sub quovis praetextu, colore, causa, ingenio vel occasione inquietari, perturbari, quovis modo impediri nullatenus unquam posse neque debere, praesentes quoque ex quocumque capite, quantumvis iuridico et legitimo de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae vel quopiam alio defectu notari, impugnari, vel invalidari nunquam posse, sed eas semper et perpetuo validas et efficaces fore, et esse, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, nec eas sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus comprehensas, sed semper ab illis exceptas esse et fore, ac cuilibet ex Superioribus Generalibus pro tempore existentibus quadriennio praedicto, ut praemittitur, tantum durante suffragare, sicque et non alias per quoscumque Indices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. Romanae Ecclesiae Cardinales, et de latere Legatos, Vicelegatos, dictaque Sedis Nuntios iudicari et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis etiam in synodali- bus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus, nec non Ordinis et Congregationis praedictorum etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet formati, concessi, confirmati, approbati, et innovati.

¹²⁷ Florianus Hrebnyckj (1748-1762).

¹²⁸ Ut videtur agitur iam de novo Protoarchimandrita, Heraclio Lisanskyj (1751-1759), electo in Capitulo Ordinis an. 1751 (8-17.IX), sic d. Berestensi II, Cfr. *Catalogus OSBM*, an. 1949. p. 108, 110.

Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio seu quaevis alia expressio habenda aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita observata inserti forent, praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris latissime et plenissime ac specialiter et expresse hac vice dumtaxat harum quoque serie derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, concessionis, indulti, decreti, et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac BB. Petri et Pauli, Apostolorum eius, se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicae 1751. 17 Kalendas Decembris, Pontificatus Nostri Anno XII.

725.

Romae, 5 . IV . 1753

Renovatur pristina fundatio Collegii Pontificii Vilnensis in favorem Ecclesiae Unitae. Distribuuntur Alumnatus Collegii inter omnes Eparchias.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 117 fol. 239v-247v.

Bullarium Benedicti XIV, vol. 2, p. 82-85, nr. 14.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. III, p. 522-526, nr. 147.

BENEDICTUS PP. XIV. Ad futuram rei memoriam.

Commendatissimum studium, et incredibilem Apostolicae sollicitudinis zelum fel. rec. Gregorii PP. XIII, Praedecessoris nostri, ad perenne orthodoxae religionis praesidium atque incrementum tot Collegia, Seminaria nuncupata, tam in hac Alma Urbe pro remotissimarum Nationum adolescentibus, quam alibi in Germania, Bohemia, Polonia, Transylvania atque in civitate quoque Vilna¹²⁹, Provinciae Lithuaniae, a fundamentis erigenda consentaneis legibus munienda, et annuis redditibus pro adolescentibus inibi educandis instituendisque dotanda curavit, semper, etiam (f. 240) dum in minoribus essemus, admirati, adhuc in suprema sacrosancti Apostolatus cathedra per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam, meritis licet imparibus constituti, suspicimus, et Apostolicis laudibus prosequentes vehementer dolemus, quod propter asperas temporum rerum calamitates aemulari esse non valeamus. Etsi autem maximi momenti opus esse non ambigitur huiusmodi Collegia sive Seminaria bene instituere, non minimi tamen ponderis est adlaborare ut eadem Collegia sive Seminaria iuxta intentam primaevae fundationis institutionem conditasque provida maturitate regulas sarta tectaque serventur, et administrentur.

Ab inita sane summa catholicae Ecclesiae (f. 240v) procuratione, inter gravissimas tot negotiorum indique sese aggerentium curas non amisimus sedu-

¹²⁹ Cfr. supra, sub data 5.II.1582.

lam vigilemque operam impendere, ut de omnium eiusmodi Collegiorum seu Seminariorum rationibus tum ad rectam piorum morum, sacrarumque doctrinarum disciplinam, tum ad fidelem bonorum temporalium administrationem pertinentibus plenissime edoceremur, et Apostolicae providentiae auctoritatisque partes, uti opus erat, opportune collocaremus. Quoniam autem, sicut accepimus, in Pontificium Collegium sive Seminarium quod a laudato Gregorio Praedecessore nostro Wilnae erectum et institutum fuit, ut iuvenes scholares Rutheni, et Moschovitae fidem (f. 241) ipsam catholicam et doctrinam et bonas litteras condiscerent, optimisque moribus et disciplinis erudirentur, amplius iuvenes Moschovitae, fortasse ob vitae poenam quibuscumque Moschovitis catholicam religionem amplectentibus ac profitentibus iuxta suas Leges infligendam, non recipiuntur, et admittuntur; inde factum esse existimatur, ut pluribus ab hinc annis praeter quatuor Monachos Ordinis Sancti Basilii Magni ex Natione Ruthena in eodem Collegio sive Seminario educari solitos, Superiores ipsius Collegii sive Seminarii loco et vice adolescentium Moscovitarum alios Latini Ritus iuvenes in eodem Collegio sive Seminario alendos instituendosque suscipiant. Huius (f. 242v) modi vero providentiae ratio etsi non contemnenda, haud tamen talis est, ut expressae tanti Pontificis fundatoris voluntati praescriptaeque legi Superiores memorati Collegii sive Seminarii pro suo arbitrio abrogantes, iniuncto salutari operi satisfacere valeant, cum Apostolicam hanc Sanctam Sedem consulere debuissent, ac loco et vice adolescentium Moscovitarum, non amplius concurrentium, subrogari potius debuissent totidem adolescentes Nationis Ruthenae Graeci Ritus, ea potissimum de causa, quod et eparchiale Seminarium pro adolescentibus Ritus Latini Wilnae atque alia alibi erecta instructaque reperiuntur, nec tanta quoad Ritus Latinum urgeat necessitas, quanta (f. 243) omni procul dubio est illa Nationis Ruthenae. Haec enim non solum plures complectitur Dioeceses quae tot refertae sint parochialibus ecclesiis, ut in sola Metropolitana Kioviensi earumdem parochialium ecclesiarum numerus sit millium noncentarum viginti quinque. Accedit quoque maxima Ruthenorum Antistitum inopia propter quam Collegia sive Seminarium Dioecesana sibi erigere et instruere haud valeant. Insuper ut maior inter ipsos Ruthenae Nationis ecclesiasticos viros maxime vero ecclesiasticarum sacrarumque doctrinarum peritia floreat, cum amplissimae dioeceses orthodoxis schismaticisque hominibus permixtae reperiuntur. Porro de hisce omnibus certiores facti VV. FF. nostris S. R. E. Cardinalibus (f. 243v) Congregationi Propagandae Fidei praepositis per duas generales congregationes accuratissime examinanda commissimus. Hinc factum est, ut, attentis tot rationum tam a nobis, quam ab ipsis Cardinalibus discussarum gravissimis momentis, de eorundem Cardinalium pariter consilio, non obstantibus quibuscumque in contrarium facientibus, auctoritate nostra Apostolica tenore praesentium, prout infra, statuamus, et decernamus.

Ac primum quidem memoratas Gregorii Praedecessoris litteras quoad omnia et singula in ipsis contenta et statuta, dummodo iis quae per easdem praesentes nostras, ut infra, litteras statuuntur et decernuntur, non adversentur, quatenus opus sit, confirmamus et (f. 244) Apostolicae firmitatis praesidio munimus. Deinde vero omnibus et singulis modernis et pro tempore existentibus saepedicti Collegii sive Seminarii Pontificii Vlnensis Supe-

rioribus et Officialibus districte inhihemus, ut deinceps nullum omnino adolescentem in ipsum Collegium sive Seminarium nisi Nationis Ruthenae et Moscoviticae (si quando aliquem eiusdem Nationis Moscoviticae adolescentem recipiendum admittendumque contingeret) recipiant, et admittant.

Porro Dioeceses Nationis Ruthenae ex quibus adolescentes in Collegium sive Seminarium antedictum deinceps admittendos recipiendosque dumtaxat (dummodo ex Natione Moscovitica non sit, qui admitti et recipi petat) esse statuimus, et (f. 244v) districte mandamus, sunt Kioviensis, et Haliciensis Metropolitana totius Russiae, Polocensis et Vitebscensis Archiepiscopatus, Smolenscensis Archiepiscopatus, Wlodimiriensis et Brestensis Episcopatus, Pinscensis et Turovicensis Episcopatus atque Episcopatus Chelmensis¹³⁰. Tres vero Episcopatus Luceoriensem, Praemisliensem et Samboriensem ac Leopoliensem inter Dioeceses eiusdem Nationis Ruthenae adscriptos ideo exclusos esse statuimus et mandamus¹³¹, quod pro nonnullis uniuscuiusque eorundem adolescentibus alumnis statutus sit locus in Collegio sive Seminario Leopoli pro Ruthenis et Armenis fundato, cui annum nec mediocre ab eadem Congregatione Propagandae Fidei pro dictis Alumnis subsidium solvitur, unde par aequumque videtur. ut de (f. 245) hisce tribus Dioecesibus, quae huiusmodi commodum habent, nullus admitatur recipiaturque, sed de primodictis solummodo Dioecesibus, in quibus maior necessitas urget. Verum, ut deinceps quoad admissionem receptionemque alumnorum nulla suboriantur dissidia et partium studia, cum numerus viginti Alumnorum in laudato Collegio sive Seminario de praesenti existentium sit, quamvis de praeterito idem numerus iuxta maiorem vel minorem rerum abundantiam, vel inopiam interdum maior interdum minor fuerit, ipsum viginti alumnorum numerum, quomodolibet in posterum sese habeat annona, nunquam minorem, sed si redditus, et proventus augeantur, maiorem etiam esse volumus et statuimus; cum (f. 245v) oeconomiae ratio postulet, ut inopia unius anni suppleatur alterius anni abundantia.

Ab hoc itaque constituto, ut praemittitur, viginti alumnorum munero, exceptis quatuor Ordinis S. Basilii Magni monachis in eodem Collegio sive Seminario, ut pariter praemittitur, retineri et educari solitis, quos semper in futurum ex eodem Ordine, et Congregatione Ruthena admittendos recipiendosque pari modo et forma volumus et mandamus, iuxta Decretum eiusdem Congregationis Propagandae Fidei, quod est tenoris sequentis: « In Congregatione generali de Propaganda Fide habita die 12 Februarii 1753, decretum fuit ut sequitur: Ad Collegium Vilnese ultra quatuor monachos Basilianos, et donec aliter provideatur, esse (f. 246) imposterum admittendos Ruthenos tantum de infrascriptis Dioecesibus; nempe ex Archiepiscopali Kioviensi sex, quorum unus ex Palatinatu Vilnensi, alter vero ex Palatinatu Novogrodensi, et alter ex Palatinatu Minscensi; alii vero tres ex reliqua eiusdem Dioecesis Kioviensis parte, et praesertim ex Ukraina¹³². Ex Dioecesi Archie-

¹³⁰ Agitur de Dioecesibus iam ab anno 1596 unitis S.R.E.

¹³¹ Agitur de Dioecesibus unitis S.R.E. sub fine saec. XVII et initis XVIII (1692 Peremyliensis, 1700- Leopoliensis, 1702- Luceoriensis).

¹³² Hac dispositione et divisione aequali distributioni alumnatum provisum fuit, nempe inter Nationem Ucrainam et Belorussam, quibus Provincia ecclesiastica Kioviensis hoc adhuc saeculo constabat.

piscopali Polocensi duo, quorum unus ex Palatinatu Polocensi, alter ex Palatinatu Vitebscensi. Ex Dioecesi Archiepiscopali Smolescensi duo. Ex Dioecesi Episcopali Vladimiriensi duo, quorum unus pro Vladimiriensi, seu Podlachiae parte, alter ex Palatinatu Brestensi. Ex Dioecesi Chelmensi duo, quorum unus ex terra Chelmensi, alter ex Palatinatu Belzensi. Ex Dioecesi (f. 246v) Episcopali Pinscensi duo ». Distributionem autem eorum sexdecim alumnorum ex qualibet Dioecesi respective eligendorum per praeinsertum dictae Congregationis Decretum factam tamquam utilem, et salutarem non solum approbamus et Apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus, verum etiam districte servandam esse praecipimus et mandamus.

Praeterea ad omnem penitus e medio tollendam dissensionem confusioneque statuimus, et ordinamus, ut distributio ita omnino et non aliter fiat, nimirum, ut cum quilibet alumnus Ritus Latini in saepedicto Collegio sive Seminario commorans sive elapso tempore, quo inibi educari debet, sive aliter quomodolibet (f. 247) ex eodem Collegio sive Seminario egressus fuerit, statim in illud admittatur recipiaturque alumnus ex Metropolitana Kioviensi Nationis Ruthenae, et sic deinceps usque ad numerum pro eadem Metropolitana Kioviensi iuxta praecinsertum Decretum supra statutum; deinde ex Dioecesi Archiepiscopali Polocensi atque eodem pacto et ordine ex aliis Dioecesibus antedictis. Postquam vero integrum sexdecim alumnorum numerum completum esse constiterit cum vacatio cuiusvis alumnatus evenerit, non admittatur recipiaturque nisi adolescens Nationis Ruthenae ex illa Dioecesi, ex qua alumnus antecedens locum dedit vacationi.

Caeterum ut praescripta et praemissa omnia debitae executioni demandentur (f. 247v), Venerabili fratri ordinario nostro et Apostolicae huius S. Sedis in Polonia Nuntio¹³³, et dilecto filio Regenti eiusdem Collegii sive Seminarii modernis et pro tempore existentibus iniungimus, ut salva semper dictae Congregationis Cardinalium Propagandae Fidei praepositorum auctoritate, omnia et singula in hisce nostris in forma Brevis literis, quas etiam typis impressas in conspicua dicti Collegii sive Seminarii parte, ut ab omnibus legi possint, apponi volumus, et mandamus, contenta et expressa exacte servari faciant et curent.

Decernentes easdem praesentes litteras et in eis contenta quaecumque semper firma etc. iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si quis secus etc. attentari. (f. 30v). Non obstantibus memorati Gregorii Praedecessoris nostri litteris aliisque constitutionibus etc. Volumus autem etc. vel ostensae.

Datum Romae etc., die 5 Aprilis 1753, Pontif. Nostri Anno XIII.

¹³³ Albericus Archinto, Nuntius Varsaviensis (1746-1754).

726.

Romae, 5 . II . 1753

Confirmatio alicuius donationis in favorem monasterii S. Salvatoris ad Montes, dioecesis Peremyliensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3270, fol. lrv.

BENEDICTUS PP. XIV. Ad futuram etc.

Exponi nobis nuper fecerunt Venerabiles fratres Onuphrius Szumlanski¹⁴¹, Ritus Graeci uniti Episcopus Praemisiensis, et dilecti filii Monachi Monasterii S. Salvatoris ad Montes, Dioecesis Praemisiensis, Ordinis Sancti Basilii Magni, quod cum vigore cuiusdam Decreti in particulari nonnullorum S. R. E. Cardinalium Congregatione a nobis deputata et coram nobis habita die X Septembris MDCCL editi, dictoque Onuphrio Episcopo a Venerabili fratre Alberico Archiepiscopo Nicaeno, nostro apud charissimum in Christo filium nostrum Fridericum Augustum, Poloniae Regem Illustrum, et Sedis Apostolicae Nuncio exhibiti ad dirimendas lites dudum vigentes inter exponentes praedictos, ipse Onuphrius Episcopus deberet pro manutentione octo monachorum monasterii praedicti exdividere seu partiri ex bonis episcopalibus seu ad mensam episcopalem spectantibus sortem seu fundum, quae seu qui ad rationem triginta scutorum monetae romanae pro unoquolibet monacho annuatim importaret, et ascenderet, et ad id assequendum quidam caeterique Commissarii ab eodem Alberico Archiepiscopo, et Nuntio, auctoritate nostra Apostolica deputari et eligi debuissent; dicitur vero Onuphrius Episcopus ad evitandas dispendiosas et magni momenti expensas pro conductione eorumdem Commissariorum necessarias de unanimi dictorum exponentium ac dilectorum etiam filiorum Provincialis et Definitorum Provinciae Ruthenae dicti Ordinis consensu amicaliter et sine forma iudicii, acceptantibus supradictis monachis, atque sopitis omnibus ad utrinque praetensionibus perpetuo et in aevum certam bonorum suorum episcopalium seu ad mensam episcopalem spectantium stabilium sortem seu fundum pro monasterio magis vicino et commodo atque ad sustentationem octo monachorum nec non ad manutenendum reparandumque monasterium praedictum illisque ecclesiam satis abundantem exdiviserit ac sortem fundumque et bona sic divisas et separatas eisdem monasterio et monachis cesserit, et in perpetuum donaverit eosdemque monachos in actualem et corporalem et plenariam sorti, seu fundi, et bonorum huiusmodi possessionem, usumfructum, et proprietatem induxerit, ac de praemissis, publicum instrumentum die sexta Junii anni proxime praeteriti confici facere curaverit, tenor autem dicti instrumenti est qui sequitur: « *Inter Monachos* » (*revera insertus fuit in Brevi Pontificio, ut videtur*).

Cum autem sicut eadem expositio subiungebat dicti Exponentes instrumentum ea super re confectum, ut praefatur, quo firmiter subsistat, et servatur exactius (f. lv) Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communiri

¹⁴¹ Episcopus Peremyliensis (1746-1762).

summopere desiderent. Nos igitur ipsos Exponentes specialibus etc. volentes, et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes, supplicationibus eorum nomine etc. inclinati, praeinsertum donationis instrumentum ac omnia et singula in eo contenta auctoritate Apostolica tenore praesentium approbamus, et confirmamus, illique inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiciamus, omnesque et singulos iuris et facti, etiam substantialia defectus etc. sanamus. Decernentes easdem praesentes litteras semper firmas etc. observari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices etc. iudicari et definiri debere, et irritum etc. attentari. Non obstantibus praemissis ac constitutionibus etc. innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum etc. derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 5 Februarii 1753, An. 13.

727.

Romae, 12 . IV . 1753

Reducitur ad pristinum statum dispositio de non ambiendis dignitatibus ecclesiasticis in Ordine Basilianorum. Inculcatur modestia et humilitas.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 117, fol. 249v-258.

Bullarium Benedicti XIV, vol. 2, p. 85-88, n. 15.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. III, p. 526-528, nr. 148.

Dilectis filiis, Proto Archimandritae, Archimandritis, et Monachis
Ordinis S. Basilii Magni Nationis Ruthenae.

BENEDICTUS PP. XIV. Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

Inclytum quidem S. Basilii Magni Ordinem non minus antiquitate quam religiosa pietate, sacra doctrina, disciplinaque regulari in catholica Ecclesia commendatissimum, singulari semper, etiam dum in minoribus essemus, studio prosequuti, ex quo ad sublimem sacrosancti Apostolatus Cathedram, meritis licet imparibus, eveci fuimus, non omisimus quamplurimis Apostolicae auctoritatis benignitatisque documentis ornare. Congregationem vero vestram Nationis Ruthenae, quae eiusdem S. Doctoris institutum tanta cum laude, praesertim in florentissimo Poloniae Regno et Lithuaniae Ducatu, profitetur, paribus pontificiae caritatis, ubi opportuna sese dedit occasio, testimoniis complecti studuimus, fore in Domino confisi, ut vestra Congregatio maiori alacritate et constantia, non solum schismaticis eiusdem Ordinis Basiliani monachis sese opponeret, verum etiam eosdem ad orthodoxae fidei sinum allicere ac perducere adniteretur. Quoniam autem veremur, ne ea in ipsa Congregatione vestra accidere possent, quae non tam exoptata a nobis religiosarum virtutum incrementa impedire, quam gravia quoque detrimenta afferre valeant, eapropter haud patimur consentanea Apostolicae providentiae potestatisque officia a vobis desiderari.

Ac primum quidem vobis notum esse cupimus, nos quemadmodum non ignorare consuetudinem illam in Natione Ruthena vigentem, nimirum vacantibus cathedralibus ecclesiis et archimandriis eiusdem Nationis Ruthenae non praeficiendi Antistites et Archimandritas, nisi solos monachos ex Ordine

vestro professos, ita perspectum habere, tum ipsas cathedrales ecclesias ad regiam nominationem conferri, tum Archimandrias vel regiae nominationis vel iurispatronatus nobilium personarum esse et haberi.

Deinde nobis facile persuademus, non aliam fortasse ob causam a Superioribus Congregationis vestrae quartum tribus aliis votum fuisse additum in solemnem cuiusque monachi professione emittendum, ne scilicet quisque monachorum episcopatus vel archimandrias sibi quomodolibet procuraret, neque, si ad illos vel illas quomodolibet etiam nominari vel promoveri contingeret, nisi prius approbationem assensumque suorum Superiorum impetrasset, omnino acciperet, quam ut omni ambitioni occluderetur aditus. Quo firmius praeterea eiusmodi a Superioribus vestris statuta quartum votum addendi lex subsisteret, a fel. rec. Benedicto Papa XIII, Praedecessore nostro, Procurator tunc temporis existens generalis laudati Ordinis S. Basilii Magni, Apostolicas in simili forma Brevis literas die XV Men. Decembris an. MDCCXXVIII hac super re dandas curavit¹³⁴, quarum vigore ad officia et dignitates monachos omnes memorati Ordinis, qui sine expresso Superioris Generalis seu Proto Archimandritae pro tempore existentis et memorati Ordinis consensu sibi archiepiscopatus, episcopatus, archimandrias, aut quascumque alias dignitates procurarent, eo ipso ad illas inhabiles esse ac fore declarabantur.

Insuper eam profecto, quae ex statutis decretisque antedictis redundatura reputabatur, utilitatem et regularis disciplinae observantiam non solum minime provenisse ex certis documentis rescivimus, verum etiam maximopere dolemus, duas inde non leves sed gravissimas ortum habuisse inordinationes. Ac prima quidem, quod monachi ad archiepiscopatus, episcopatus et archimandrias promoveri cupientes, praeter illas, quas prius apud eos, qui ius nominandi habebant, ut nominarentur adhibebant partes, preces et officia, novis quoque partibus et officiis apud Superiores Ordinis contendunt, ut ab hisce licentiam nova lege praescriptam consequantur. Altera vero inordinatio ex prima omnino exurgit, quod ii, quibus nominandi sive praesentandi ius inesse non ambigitur, merito queruntur, debitum sibi eiusmodi ius propter novam antedictam legem plurimum imminutum esse, cum ablatam sibi experiantur pristinam libertatem nominandi sive praesentandi ad archiepiscopatus, episcopatus et archimandrias eos monachos Ordinis vestri professos, quos sibi in Domino existimant benemeritos atque idoneos, sed illos dumtaxat, qui a Superioribus suis saepedictam licentiam obtinuissent.

Eapropter praecipuum Apostolici ministerii nostri munus esse intelligimus, non minorem pro recta disciplina a nobis adhibendam esse curam, quam ut dissensiones maxime omnes auferantur et omnia pro aequitate ac iustitia procedant, neque ullae prorsus audiantur querimoniae. Cum autem per sacros catholicae Ecclesiae canones satis superque consultum sit, ut omnis, quoad consequendos archiepiscopatus, episcopatus, ceterasque dignitates ecclesiasticas excludatur ambitus, statutis inflicisque etiam contra ambituos poenis, cupientes Nos omnia et singula, prout harum praesentium nostrarum in forma Brevis literarum tenore Apostolica auctoritate nostra reducimus, ad commune ius sanctionesque canonicas reducere; proindeque tenore et aucto-

¹³⁴ Cfr. supra sub data 15.XII.1728.

ritate paribus, nec non Motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine omnibus et singulis statutis et consuetudinibus antedictis, atque ipsis memoratis Benedicti praedecessoris literis derogantes et derogatum esse declarantes, volumus et districte mandamus, ut deinceps id omne unice servetur et exacte custodiatur, quod per sacros canones praescriptum ubique debitae exequutioni mandatur, nec aliae poenae hac in re locum habeant, quam quae in ipsis sacris canonibus statutae sunt.

Porro monachis Ordinis vestri professis notum esse volumus et aperte declaramus (ne sua illos eapropter falsa decipiat opinio), non eam sibi per nos libertatem restitui, per quam ipsis liceat ad archiepiscopatus et quascumque dignitates Ecclesiae et Ordinis sui niti et officiis omnibus contendere, sed potius in memoriam illis revocamus, quod, si ambitus ad saeculares etiam dignitates et honores a civilibus legibus prohibetur laicis, quanto magis ambitus ad archiepiscopatus, episcopatus et dignitates ecclesiasticas prohibitus esse debeat clericis et religiosis viris. Nullus itaque (verba sunt can. *Nullus* l.q.1) per ambitum ad episcopalem honorem permittatur accedere; nam cum hic excessus in laica conversatione culpetur, quis putat, quin religiosus et Deo servientibus incutiat opprobrium. Nec ob eorum oculos obicere omissimus praeclara exempla SS. Cypriani, Augustini, Fulgentii, Caesarii, Epiphani, Basilii, Gregorii Nazianzeni, Theodoreti et Ioannis Chrysostomi, ut ceteros praetereamus, qui, quamvis meritis eximiis insigniti, tamen tantum abest ut ad episcopatum assequendum contenderint, quin omnem imo operam studiumque adhibuerint, ne vel inviti ad episcopatum pertraherentur.

Neque unusquisque ignorare debet, a peccati culpa immune non esse desiderium ipsum episcopatus, tum quia, quamvis desiderium aliis iuvandi, in his praesertim quae ad Deum sunt et salutem animarum, laudabile est et maximopere commendatur, tamen, cum hoc adiumentum praestari non valeat sine ipsa episcopatus sublimitate, ut plurimum ex vitio insitae de suis viribus praesumptionis ortum habet; tum quia nemo se iis virtutibus, quae ad episcopatus ministerium necessario requiruntur, ornatum esse sine peccato existimare potest; atque huiusmodi desiderium semper est vitiosum, iuxta Angelici Doctoris doctrinam, 2-2, quaest. 183, art. 1 in corpore, in Quodlib. 13, art. 9 in corpore. Atque haec communis est doctrina omnium eorum, quos retulimus in tractatu nostro *de Canonizatione Sanctorum*, lib. 3, c. 31, num. 6 et seqq. Demum eorundem oculis exponimus auream S. Basilii Caesariae Episcopi inclyti Ordinis vestri fundatoris doctrinam traditam in *Constitutionibus Monasticis* cap. 9, tom. 2 editionis monachi Ioannis GARNIER. Ceterum, inquit S. Doctor, nequaquam convenit, ut asceta cupiat unquam ingredi in clerum (ecce episcopatus desiderium) aut fratribus praefici (ecce desiderium archimandriae); nam diabolica haec pestis est labesque libidinis dominandi, quae res summae diaboli nequitiae insigne est. Et postquam gravissima ex huiusmodi desiderio provenientia damna explicavit, addit: Cognito itaque detrimento, hanc absurdam cupidinem fugiamus. Denique hoc capitulum haece absolvit verbis: Quod si Deus aliquando eligat quempiam ad eiusmodi munera, novit, cum sit industrius ac sagax, quemadmodum etiam ipsum praestiturus sit dignum. Nos autem conscii esse debemus nobismetipsis, nunquam nos aliquid tale appetivisse, neque ullo modo eiusmodi desiderium in animo

habuisse nam et hic animae morbus gravissimus est, et facit ut a bonis excidamus.

Tandem, cum Apostolica huiusmodi nostra dispositio ac sanctio eorum quoque ius respiciat, qui ad archiepiscopatus, episcopatus et archimandrias nominandi vel praesentandi ius quomodolibet habere dignoscuntur, iisdem salutare S. Bernardi monitum indicimus, reputandi nimirum ecclesiasticis dignitatibus indignum eum, qui vel per se ipsum vel per alios ad earundem dignitatum consequutionem sese commendat. Alius pro alio, alius forte et pro se rogat. Pro quo rogaris, sit suspectus; qui ipse rogat pro se, iam iudicatus est. Verba sunt eiusdem S. BERNARDI lib. 4 *de considerat.*, cap. 4, quibus apprimè consonant verba S. Thomae Aquinatis 2-2, quaest. 100, art. 5 ad tertium: Si vero aliquis pro se rogat ut obtineat curam animarum, ex ipsa praesumptione redditur indignus. Postremo addere praestat verba Concilii Tridentini sess. 24 de reform. cap. 1: « Omnes vero et singulos, qui ad promotionem praeficiendorum quodcumque ius quacumque ratione a Sede Apostolica habent, aut alioquin operam suam praestant, nihil in iis pro praesenti temporum ratione innovando, hortatur et monet, ut in primis meminerint, nihil se ad Dei gloriam et populorum salutem utilius posse facere, quam si bonos pastores et Ecclesiae gubernandae idoneos promoveri studeant; eosque alienis peccatis communicantes mortaliter peccare, nisi quos digniores et Ecclesiae magis utiles ipsi iudicaverint, non quidem precibus vel humano affectu aut ambientium suggestionibus, sed eorum exigentibus meritis praefici diligenter curaverint ».

Haec sane sive statuenda sive mandanda sive monenda habuimus, decernentes omnia et singula in iisdem praesentibus nostris litteris contenta, semper firma, valida et efficacia existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, et ab illis, ad quos spectat et pro tempore quodcumque spectabit, inviolabiliter observari debere; sicque et non aliter in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores et S. R. E. Cardinales et eorumdem Cardinalium Congregationes, nec non Sedis Apostolicae Nuntios, et quosvis alios quacumque praesentia et potestate fungentes et functuros, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praefati Benedicti, Praedecessoris nostri, litteris et quibuscumque statutis et decretis in contrarium praemissorum in Conciliis et Synodis Nationis Ruthenae forsitan editis, et Ordinis vestri etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis, in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, confirmatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis, illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem, ut earundem praesentium litterarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo

personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae iisdem praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Interim vobis, dilecti filii, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XII Aprilis MDCCLIII, Pontificatus Nostri Anno XIII.

728.

Romae, 8 . VIII . 1753

Commendat civitatem Borysoviensem nuper ad Unitatem Ecclesiae Catholicae conversam.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol .117, fol. 343-345.

Carissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

BENEDICTUS PP. XIV. Carissime etc.

Minime dubitamus, quin Maiestas Tua pro flagrantissimo catholicae religionis amplificandae tuendaeque zelo, quem in cunctis vitae ac regiminis tui actibus plurimum eminere laetamur, pari ac Nos spiritualis laetitiae magnitudine affecta exceperit praecipua Dei O. M. beneficia civitatis Borisovii¹³⁵ in Magno Ducatu tuo Lithuaniae incolis collata. Cives enim (f. 343v) illi una cum parcho catholicam veritatem et praedicationem, quam hactenus omnino recusaverant, et refugerant, tandem, afflante divini Spiritus Sancti gratia, reverenter susceperunt, execrandum Schisma sinceris animi sensibus eiuraverunt, veraeque fidei professionem emisere coram Ven. fratre Floriano totius Russiae Metropolita, debitamque, servatis de more solemnibus caeremoniis adhibitisque testibus confectoque hac super re publico instrumento, Apostolicae huic S. Sedi obedientiam polliciti sunt. Nos certe ubi haec accepimus, levavimus manus nostras in caelum, et in divinas laudes effusi hymnum diximus Deo nostro, qui visitare dignatus est populos istos, atque (f. 344) ad Catholicam Ecclesiam sinum reducere. Ne vero superveniat inimicus homo, et supereminet zizania, id est ne Schismatici et praesertim Pseudoepiscopus Mohiloviensis¹³⁶ potentissimo Aulae Petersbugensis fretus patrociniis, non secus atque alteram civitatem Krzyzoviensem¹³⁷ iam in S. Ecclesiae gremio quiescentem ab eiusdem amplexibus non sine summa Christifidelium illarum par-

¹³⁵ Oppidum in districtu Miscensi. Secundum traditionem fundatum a Borys Vseslavyč, principe Polocensi. Administrabatur iure Magdeburgensi ab an. 1563. Saepe saepius commemoratur in annalibus historiae Lithuaniae, Poloniae, Belorussiae. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 4, p. 129-130.

¹³⁶ Tunc temporis erat adhuc Hieronymus Volčanskyj (1744-1754).

¹³⁷ In districtu Mohiloviensi. Fundatum temporibus ducatus Smolenscensis, postea pertinebat ad Magnum Ducatum Lithuaniae. Prope flumen Sož. Memoratur in annalibus historicis, in eventibus bellicis. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 16, p. 253-254.

tium offensione et religionis detrimento abstraxit, et divellit; ita etiam recentes istos civitatis Borisoviensis Christifideles malis artibus ad Schismaticorum dogmata redire compellant; ideo Maiestatem Tuam maximopere rogamus, et paternis vocibus enixe in Domino obtestamur, ut eorundem Schismaticorum audaciam regali tua (f. 344v) auctoritate omnino cohibere velis, et minime sinas, ut sponte ad catholicam communionem accedentes a Schismaticis vel minimum perturbentur; quin imo omnem regii tui patrocini opem et operam conferre satagas et adnitaris. Probe enim pro tua singulari sapientia intelligis quod quaecumque ad maiorem divini nominis gloriam et cultum adaugendum et ad catholicam religionem latius proferendam praestiteris, omnia non solum ad uberiores terrenae felicitatis et exaltationis rerum tuarum accessionem redibunt, verum etiam ad incrementum aeterni praemii, et mercedis in caelis redundabunt. Ad cuius auspiciam et studiosissimae erga te, inclytamque Domum Tuam (f. 345) nostrae voluntatis pignus Apostolicam benedictionem Maiestati Tuae amantissime elargimur.

Datum etc. 8 Augusti 1753, Pontificatus Nostri Anno XIII.

729.

Romae, 8 . VIII . 1753

De eadem re etiam Metropolitanae Kioviensi.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 117, fol. 345-346.

Venerabili fratri Floriano Hrebnicki
totius Russiae Metropolitanae.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis frater, salutem etc.

Quae de sacerdotali tuo, Ven. frater, eximio zelo praeclara nobis antea inerat opinio, mirum in modum confirmata et aucta est, cum Fraternalitatis Tuae nomine nobis porrectus fuit supplex libellus, et in eo contentae preces, annexaque illi documenta exhibita fuerunt. Non solum enim Nos de recenti civium Borisoviensium¹³⁸ ad catholicam communionem (f. 345v) conversione, edocebas, sed literas quoque a nobis tum ad Carissimum in Christo filium nostrum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, tum ad Ven. fr. Episcopum Dio-caesareae et ad dilectos filios, nobiles viros, Cancellarium et Mareschalcum Magni Ducatus Lituaniae, ea potissimum ratione dandas exostulabas, ut iidem recentes Catholici magis magisque in suscepta veritate confirmarentur, et illorum auctoritate, praesidio, et patrocinio tecti ab omnibus Schismaticorum insidiis ac molestiis tuti essent, atque securi.

Nos sane haud morandum esse duximus tam piis votis tuis ac postulatis hilari libentique animo obsecundare, statimque Apostolicas in pari forma Brevis (f. 346) literas expediendas mandavimus earumque exempla hisce nostris adligata Fraternalitas Tua accipiet, quo amplius intelligas, quantopere cupiamus et curemus omnium Christifidelium necessitatibus praesto optulari,

¹³⁸ Confer adnotationes documentum praecedentis.

et etiam Fraternitati Tuae morem gerere. Quam vero supremo Pastorum Principe Jesu Christo solum pro laboribus, et meritis tuis laudes et praemia in caelis te expectare non dubitamus. Nos tamen, qui illius in terris vices plane immerentes substinemus, omittere non debemus, ut Apostolicae nostrae caritatis et existimationis significationes a te desiderari patiamur. Proinde pontificias laudes Fraternitati Tuae amplissimis verbis tribuimus atque deferimus, nihil iucundius habituri (f. 346v) quam si hosce benevoli, gratique animi nostri semper rebus ipsis declarare atque testatiores facere nobis detur.

Ceterum Ven. frater, ut currenti calcaria addamus, perge, ut facis, ministerium tuum implere, ut invicem in aeterna tabernacula per summam Dei, et Servatoris Nostri clementiam demum recepti de nostris quibuscumque laboribus, vigiliis, curis, ac sollicitudinibus hic in divini nominis gloriam, et proximorum salutem impensis exatlantisque laetemur. Atque Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae etc., 8 Augusti 1753, Pontificatus Nostri Anno XIII.

730.

Romae, 8 . VIII . 1753

Idem Supremo Ducatus Lithuaniae Mareschalco.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 117, fol. 347-348.

Dilecto filio, nobili viro, Ignatio Oginski,
Supremo Magni Ducatus Lithuaniae Mareschalco.

BENEDICTUS PP. XIV. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Haud possumus satis aptis verbis explicare, quanto superabundavimus gaudio cum accepimus cives Borisovienses, Nobilitati Tuae subiectos, detestandum Schisma, quod incredibili animarum obfirmatione ac pertinacia profitebantur, praeclara tua opera eiurasse, catholicae communioni sese adiunxisse, atque Apostolicae huic S. Sedi debitam fidem obedientiamque coram Ven. fratre Floriano totius Russiae Metropolita praestitisse. Postquam igitur, uti par erat, (f. 347v) honorum omnium Largitori Deo maximas persolvimus gratiarum actiones, merita quoque Apostolicarum laudum praeconia paternis vocibus insigni zelo atque constantiae et fortitudini Nobilitatis Tuae esse cupimus. Nos quidem nihil optare impensius, quam oportunas occasiones referendi eximiae pietati et virtuti tuae parem pontificiae benevolentiae gratique animi nostri vicem, fore vero in Domino confidentes, ut Supremus Pastorum Princeps Jesus Christus abundantiori caelestium charismatum copia Nobilitatem Tuam adaugeat, et cumulet. Eapropter supervacaneum procul ducimus te sponte tua adlaborantem hortari, atque incitare, ut eosdem Catholicos amplius tuo patrocínio (f. 348) foveas, auctoritate tuearis, omni ope denique atque opera magis magisque semper iuves et ad alacrius viam mandatorum Dei curandam confirmes. Misericordiarum igitur Patrem supplices exorare non omitimus, ut nova Nobilitatem Tuam virtute induat ex alto, quo novas et illus-

triores ad maiorem ipsius divini nominis gloriam atque Ecclesiae suae exaltationem victorias, et palmas reportare possis. In cuius voti auspiciis, et studiosae prolixaeque erga te voluntatis nostrae pignus Apostolicam benedictionem Nobilitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae etc., 8 Augusti 1753, Pontificatus Nostri Anno XIII.

731.

Romae, 8 . VIII . 1753

Idem Coadiutori Episcopi Vilmensis, Josepho Sapiieha.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 117, fol. 348v-350.

Venerabili fratri Josepho Sapiieha, Episcopo Diocaesareae
Coadiutori Episcopatus Vilmensis¹³⁹.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis frater, salutem etc.

Levavimus quidem in caelum manus nostras bonorum omnium Largitori Deo gratias egimus immortales, cum audivimus quod cives Borisovienses divinae gratiae fulgore illustrati ac permoti eiuratis detestatisque nefandi Schismatis, quibus hactenus perditae adhaeserunt, erroribus, catholicae tandem communioni sese adiunxerunt atque huic S. R. E. caeterarum Matri et Magistrae debitam fidem obedientiamque sponponderint; imo reipsa coram (f. 349) Ven. fratre Floriano totius Russiae Metropolita praestiterint, quae omnia cum tibi, Ven. frater, quidem huiusmodi negotio perficiendo maximopere commendaris, notiora quam nobis sint, non est cur pluribus explicemus. Sed eximum Fraternalitatis Tuae zelum sacerdotali animo tuo dignissimum excitamus ad aequalem pari auctoritate, ac patrocinio tuendos confovendosque, non quod praeclarae ac spectatissimae virtuti tuae stimulos admovendos esse existimemus, sed quod rebus ipsis comperimus alacrius et impensius Fraternalitatem Tuam sese gerere, ubi etiam votis nostris noverit se esse obscudaturam. Porro probe intelligit Fraternalitas Tua quae et quanta moliantur, tentent atque efficiant Schismatici ut Borisovienses recenter (f. 349v) ad catholicam communionem conversi ad suas denuo partes malis artibus apertaque vi pertrahant atque deducant. Neque enim latere posse Fraternalitatem Tuam arbitramur quod Pseudoepiscopus Mohiloviensis potissimum aliam civitatem Catholicae Unioni iam sese coniunctam ad eiuratos detestatosque errores iterum amplexandos profitendosque adegerit, atque compulerit. Enitere proinde, Ven. frater, atque da hanc operam ordini tuo imprimis consentaneam, necessitatibus illorum Christifidelium peropportunam, Principi Pastorum Jesu Christo acceptissimam, officio denique tuo debitam, ut saepe laudati cives Borisovienses nulla unquam in posterum ab adversariis eorum acerrimis infensissimis (f. 350) molestia afficiantur, nullas ab iisdem insidias, tela atque machina-

¹³⁹ Josephus Stanislaus Sapiieha, Coadiutor Vilmensis (1737-1754), quo in officio etiam obiit. Adiuvabat Episcopum Vilmensem Michaellem Joannem Zienkowicz (1730-1762). Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 3, p. 704.

tiones pertimescant. Quod dum assiduis precibus a misericordiarum Patre et totius consolationis Deo implorare non omittimus, Apostolicam benedictionem testem praecipuae erga te, Ven. frater, benevolentiae nostrae Fraternalitati Tuae ex animo impertimur.

Datum Romae etc., 8 Augusti 1753, Pontificatus Nostri An. XIII.

732.

Romae, 14 . VIII. 1753

Hierarchiae unitae varia Pontificis beneficia commemorantur nec non commendatur educatio Cleri saecularis, in Seminario praesertim Vilnensi, noviter renovato.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 117, fol. 350-355v.

Bullarium Benedicti XIV, vol. 3, p. 116-117, nr. 20.

Venerabilibus fratribus Metropolitanis, Archiepiscopis et
Episcopis Nationis Ruthenae in Regno Poloniae.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabiles fratres, salutem etc.

Quae Venerabiles fratres pro (f. 350v) pristino inclytae Nationis vestrae Ruthenae decore conservando, confirmanda catholicae religionis adversus Schismaticos constantia vestra, dissidiis sive componendis sive propulsandis rationibusque Dioecesum vestrarum adaugendis a nobis nostroque nomine a Congregatione VV. FF. nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum adhibita fuerunt, Apostolicae providentiae remedia et auctoritatis officia Nos facile adducunt, ut credamus, vobis satis superque comprobasse quanti Nationem vestram faciamus. Verum fore in Domino confidimus, ut incredibilem pontificiae caritatis, qua eandem catholicam Nationem Ruthenam (f. 351v) prosequimur, magnitudinem magisque intelligatis ex aliis Apostolicis nostris in simili forma Brevis literis die 8 Aprilis 1753, Pontificatus Nostri Anno XIII, ad futuram rei memoriam datis¹⁴⁰, quarum initium est: « *Commendatissimum studium* », et quarum exempla typis eiusdem Congregationis impressa in insimul hisce nostris typis etiam dictae Congregationi impressis adligata ad vos transmittenda mandamus. Porro propter easdem litteras nostras in mandatis dedimus, ut pro magis consentaneo adolescentibus vestrae Nationis in Collegio Wilnensi iuxta Ritum vestrum instituendis profectu a laudata Congregatione de Propaganda Fide constitutiones et regulae edantur, quae ad maiorem utilitatem (f. 352), quemadmodum nobis in Domino auguramur, profuturae censeantur. Sed omnia et singula a nobis sive statuta huiusmodi sive statuenda timendum est, ne exoptatum a nobis sortiantur effectum, nisi provida etiam FF. vestrarum sollicitudo, assidua vigilantia, et accurata diligentia accesserit. Eapropter vos, Ven. fratres, rogamus et in Domino hortamur, ut primum omnium maximam Cleri saecularis, in cuius subsidium Clerus regularis vocatus fuit, curam alacriter susci-

¹⁴⁰ Cfr. sub data 5.IV.1753. Agitur de restauratione Pont. Collegii Vilnensis, quae Ecclesiae Unitae valde favorabilis erat.

piatis, susceptamque strenue urgere satagatis. Vobis sane praesentibus magis quam nobis absentibus compertum est, ac rebus ipsis exploratum, quanta apud vos sit Cleri saecularis ignorantia, quam non alium deortum (f. 352v) causamque habere non ambigimus, quam partim ex magistrorum illos edocentium penuria, partim ex nulla ipsis iniuncta rerum gerendarum cura, partim ex nulla erga eosdem illorum qui praesunt diligentia et sollicitudine, qua suaviter fortiterque ad studia capessenda et negotia ecclesiastica obeunda oblectentur, et incitentur. Ad haec omni procul dubio Venerabiles fratres vestros, qui Synodum Zamosciae tanta cum Nationis vestrae laude atque utilitate caelebrarunt, extirpanda mala, et bona semina spargenda respexisse pro certo habemus, cum sess. 6, tit. 7: *De Officialibus*, statuerunt, ut quilibet Episcopus Officialem habeat saecularem, si inter saeculares (f. 353v) quispiam ad hoc officium idoneus inveniatur. Quoniam autem in sua quisque vestrarum Dioecesi (sunt tamen qui plures habent Ecclesias cathedrales) quamplures retinere debent Ministros, et Officiales, quorum opera in recta earundem Dioecesium vestrarum procuracione et negotiis uti valeatis, Fraternitates vestras viros regulares potius quam saeculares ad ministeria huiusmodi substinenda eligere optatis. Nec Nos, qui aequa lance res expendimus, fallit, Fraternitates vestras ideo hanc tenere rationem, quod Regulares magis apti, et idonei apud vos reperiantur, nec propterea susceptum consilium institutumque vestrum damnamus, imo sicut laudamus, ita ob oculos (f. 354) vobis ponere non omittamus, ex neglectu, ut ita dicamus, Cleri saecularis eiusdem provenire ignorantiam. Quisque enim ex Clero saeculari animum despondet, otioque diffluit, cum cogitat Regulares potius constitui in iis muneribus obeundis, quae quilibet Saecularis non repente sed paulatim sub Magistri, et Praeceptoris disciplina instructus et idoneus aliquando exercere possit.

Pastoralis itaque sollicitudinis vestrae partes hac in re adimplendas esse in Domino existimamus, ut curam omnem studiumque vestrum collocetis, ne adolescentes alumnos Nationis vestrae ex memorato Wilnensi Seminario deinceps, exacto studiorum curricula egressos, aliqua ecclesiastici ordinis et officii (f. 354v) procuracione destitui patiamini, sed statim quodcumque ministerium ad ecclesiasticas res pertinens illis demandetis oportet, ut iniuncto quique priori muneri satisfacere, deinde ad maiora per gradus etiam gravissima promoveri possint officia. Haec profecto agendi ratio tamquam lucidissimum exemplum ab aliis spectata unicuique (ducitur enim iuventus maxima spe gloriae et utilitatis) erit incitamento non levi, ut quisque dummodo non sit ingenio malo pravoque praeditus, bellum otio vitiisque indicat, et ad labores perferendos virtutesque assequendas hilari promptoque animo contendat, et adnitatur. Verum commendationem hanc nostram et exhortationem pro alumni Collegii Vilmensis ad officia et munera in Curiis vestris, quoad vobis integrum erit, promovendis non ita accipiendam esse volumus, et declaramus, ut iidem alumni existiment, se ad illa officia et munera dumtaxat eligi debere, sed in primis teneri, imo, quatenus opus fuerit, cogi etiam ad substinenda et administranda Parochorum onera, et animarum salutem procurandam.

Caeterum, Venerabiles fratres, dum maiora nobis a perspecta sapientia,

zeloque vestro pro certo pollicemur hac in re argumenta, Fraternitatibus vestris Apostolicam benedictionem, studiosae nostrae voluntatis pignus, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 14 Augusti 1753, Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

733.

Romae, 5 . II . 1754

Extensio altaris privilegiati perpetui S. Basilii, concessi pro omnibus ecclesiis Ordinis S. Basilii, extenditur ad Congregationem Ruthenam.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici: Altaria privilegiata*, vol. 29, fol. 481.

BENEDICTUS PP. XIV. Ad perpetuam etc.

Omnium saluti etc. perduci valeant. Volentes igitur omnes et singulas ecclesias tam erectas quam in posterum erigendas Monachorum Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Ruthenae nuncupatae, et in qualibet ex dictis ecclesiis altare eiusdem S. Basilii erectum, sive erigendum hoc speciali dono illustrare, auctoritate nobis etc. confisi, supplicationibus quoque dilecti filii Basilii Boskovicz¹⁴², moderni Procuratoris Generalis dictae Congregationis nomine nobis etc. inclinati, ut quandocumque sacerdos aliquis etc. indulgemus (*ut sub data 17 . III . 1742*). In contrarium etc. quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem ut praesentium literarum transumptis etc. ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem etc., 5 Februarii 1754, An. 14.

A. CARD. PASSIONEUS

734.

Romae, 5 . II . 1754

Indulgentia plenaria pro Ordine Basilianorum, Defunctis eiusdem Ordinis applicanda.


Bullae et Brevia..., Typis Poczajoviensibus 1767, pars II, p. 100-2.

Akty izdawajemye Vylenskoju Archeografičeskoju Kommissijeju, vol. XVI, Vilnae 1889, p. 182-3.

BENEDICTUS PAPA XIV. Ad perpetuam rei memoriam.

Cum sicut dilectus filius Basilius Boschowich, modernus Procurator Generalis O.S.B.M. Congregationis Ruthenorum nuncupatae, nobis nuper exponi fecit, per statuta eiusdem Congregationis praescripta reperiatur, ut post obitum cuiuscumque Monachi Presbyteri, vel Clerici, aut Laici eiusdem Congregationis, aliquot Missae in Suffragium dicti Monachi defuncti celebrari debeant

¹⁴² Procurator in Urbe an. 1752-1757.



Audientia Hierarchiae ucrainae catholicae apud Pium PP. XI, occasione conventus episcopalis.
Romae die 29.X.1929

vel soleant, dictusque Procurator Generalis Missas praedictas caelestium munerum, quorum dispensationem Fidei nostrae credidit Altissimus, elargitione a nobis condecorare plurimum desideret, Nos piis eiusdem Basilii Procuratoris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris et poenis a jure, vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatus existit, ad effectum praesentium duntaxat consequendum, harum serie absolventes et absolutum fore censentes, supplicationibus eius nomine nobis super hoc humiliter porrectis inclinati, ut quodocumque Sacerdos aliquis eiusdem Congregationis vel in die obitus praedictorum Monachorum, vel in alio die sacrosanctum Missae sacrificium ad quodcumque altare ecclesiarum Congregationis praefatae tam hactenus erectarum, quam in posterum erigendarum, iuxta numerum, per statua huiusmodi praescriptum, pro illorum animabus, quae Deo in charitate coniunctae ab hac luce migraverint, celebrabit Missae sacrificium, huiusmodi animae, pro quo celebratum fuerit, perinde suffragetur, acsi ad altare privilegiatum fuisset celebratum, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae regula, de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscumque.

Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressi, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 5 Februarii 1754, Pontificatus Nostri Anno 14.

Pro Domino Cardinali Passioneo Florius Substitutus.

735.

Romae, 20 . III . 1754

De defensione Basilianorum, et in specie monasterii Potomerecensis, nuper ad Unionem conversi.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 118. fol. 314-315v.

Carissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

BENEDICTUS PP. XIV. Carissime etc.

Quemadmodum omnium Christifidelium nobis plane immerentibus caelitus commissa cura urget Nos, ut pro eisdem quidem, potissimum vero pro illis, qui ab Haereticis Schismaticisque circumsaepiuntur et misere exagitantur, sublevandis iuvandisque, omnes Apostolici ministerii nostri partes strenue impendamus, ita eximia Maiestatis Tuae religio et tot tantisque argumentis nobis perspecta et probata singularis pietas Nos dubitare minime sinit, quin omnem regiae tuae auctoritatis, et patrocini operamque Christi-

fidelibus suavissimo Maiestatis Tuae (f. 314v) regimini parentibus alacri libentique animo accommodare velis. Quoniam autem Monachi Basiliani rutheni monasterium Schismaticorum Potomerecense¹⁴³ nuncupatum, in Magno tuo Ducatu Lithuaniae existens, eiusque frequentissimos Parochianos honorum omnium Largitore Deo ipsorum laboribus, ac studiis adspirante, ad eiurandos detestandosque nefandi Schismatis errores fortiter suaviterque adlexerunt atque ad sinum S. Matris Catholicae Ecclesiae feliciter reduxerunt, Schismatici omnem lapidem movere coeperunt atque etiamnum nihil prorsus intentatum relinquunt, ut dictum monasterium cum suis subditis denuo ad suas partes pertrahant, atque adducant (f. 315). Quapropter potentissimo Moschoviticae Aulae freti patrocinio, eiusque Ministrorum commendationibus muniti apud regios in Lithuania Iudices assessoriales egerunt institeruntque, sibi ut non solum idem monasterium, sed alia iam in catholicae fidei gremio quiescentia ab iisdem monachis restituerentur. Sed Apostolicus Nuntius noster suis apud Pro-Cancellarium Ducatus Lithuaniae interpositis salutaribus opportunisque officiis tantum valuit, ut haec gravissima controversia in praesentia dilata sit. Itaque cum ad eandem causam in Iudiciis Assessorialibus memorati Ducatus antequam Comitia Generalia celebrentur quamprimum habendis defendendam minime dubitandum sit, quin Schismatici paratiores et instructiores accedant; Maiestatem Tuam enixis precibus in Domino obtestamur, et obsecramus, ut eosdem monachos Basilianos ruthenos sic tueri velis, ut non solum nulla quoad monasterium huiusmodi Potomerecense ab Schismaticis afficiantur molestia atque in pacifica possessione remaneant, verum etiam quoad caetera monasteria iamdudum ab ipsis catholicis monachis possessa. Haec porro illustri Regi ac de catholicae religionis propagatione et incremento benemereri pergente dignissima officia grata quidem in primis erunt caritati nostrae anxiiisque nostris peropportuna, sed acceptissima Regi Regum et Domino Dominantium futura (f. 315v) Maiestati Tuae persuasum esse non ambigimus, a quo nedum uberrimam in terris mercedem ac herum tuarum prosperitatem, sed aeterna in caelis premia tibi pollicentes, ad quorum auspiciam Maiestati Tuae Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum etc., 20 Martii 1754, Pontificatus Nostri Anno XIV.

736.

Romae, 20 . III . 1754

Eiusdem argumenti etiam Cancellario Lithuaniae.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 118, fol. 318-319v.

Dilecto filio, nobili viro,
Magni Ducatus Lithuaniae Cancellario¹⁴⁴.

BENEDICTUS PP. XIV. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Nihil profecto magis opportunum, ac magis salutare remedium angustiis et calamitatibus, quibus dilecti filii Monachi Ordinis S. Basilii Nationis Ru-

¹⁴³ Monasterium Potomerecense.

¹⁴⁴ Fredericus Michael Czartoryski (1715-1775).

thenae catholicae religionis (f. 316) cultores premantur ab eiusdem Ordinis Nationis Monachis schismaticis in praesentia afferre censemus, quam eosdem Monachos catholicos insigni quidem Nobilitatis Tuae patrocinio, auctoritati, et religioni quam maxime commendare. Monachi enim orthodoxi nuper quod erat Schismaticorum monasterium Potomerecense nuncupatum, una cum suis subditis in sinum Catholicae Ecclesiae non malis sed bonis artibus redierunt. Schismatici vero curas omnes eo intendunt suas, ut non solum a dicti monasterii verum ab aliorum, quae iam dudum pacifice obtinent possessione eosdem Monachos deiciant, atque deturbent. Eapropter cum causa huiusmodi gravissima in Iudicis Assessorialibus Ducatus Lithuaniae, antequam (f. 316v) Generalia Comitia celebrentur, habendis tractari debet, te, dilecte fili, nobilis vir, maximopere poscimus, et rogamus, ut religionis et iustitiae patrocinium alacriter fortiterque suscipiens, consilio, auctoritateque tua Schismaticorum insidias et conatus ita eludas, ut in omnium monasteriorum suorum possessione supradicti Monachi remaneant, et confirmentur, nullaque in posterum ab eorum acerrimis hostibus molestia afficiantur. Quae omnia sicut celebritatem tui nominis augebunt, caritatis in te nostrae nova adiiciunt incitamenta aeternumque gloriae pondus sibi comparabunt in caelis. In cuius voti auspiciis, tibi, dilecte fili, nobilis vir, Apostolicam benedictionem peramanter largimur.

Datum Romae etc., 20 Martii 1754, Pontificatus Nostri Anno XIV.

737.

Romae, 20 . III . 1754

Hoc idem negotium Basilianorum commendatur Archiepiscopo Gnesnensi, ut Regni Primate.

ASV, *Ep. ad Principes* vol. 118, fol. 316v-318.

Venerabili fratri Adamo, Archiepiscopo Gnesnensi¹⁴⁵.

BENEDICTUS PP. XIV. Venerabilis frater, salutem etc.

Tibi, Ven. frater, notiora quam nobis esse arbitramur, quaecumque pro monasterio Potomerecensi Ordinis S. Basilii Nationis Ruthenae in Lithuania eiusque Parochianis (f. 317) ad Catholicae Ecclesiae gremium reductis, acta gestaue hactenus fuerint. Catholicis nimirum ac Schismaticis Religiosis eiusdem Ordinis monachis utrisque in Assessorialibus Ducatus Lithuaniae Iudicii contententibus, causa huiusmodi pendens ad officia ab Apostolico istic nostro Nuntio adhibita a dilecto filio, nobili viro, illius Ducatus Procancellario delata fuit. Quoniam autem minime dubitatur quin non solum eadem causa dicti monasterii in eisdem Assessorialibus Iudiciis antequam Generalia Comitia celebrentur habendis iterum acrius agitur, accedentibus maxime potentissimis Ministrorum Schismaticis foventibus Aulae Moscoviticae suffragiis et conatibus (f. 317), verum etiam nova edantur postulata super aliis monasteriis, quae a ruthenis Religiosis catholicis iamdudum pacifice possidentur, Nos sane etsi de pastoralis vigilantia, sacerdotali virtute, ac commen-

¹⁴⁵ Adamus Komorowski (1748-1759).

datissimo Fraternitatis Tuae ad Catholicorum rationes defendendas, tuendas, et provehendas semper intentae zelo certi, te nullis gravissimo in hoc negotio ad catholicorum Religiosorum favorem transigendo indigere stimulis scimus, tamen ne supremas quoque Apostolici ministerii partes desiderari patiamur, Fraternitatem Tuam rogamus, et hortamur, ut omnem operam studiumque tuum pro viribus in hoc conferas et adnitaris, quo Religiosi catholici rutheni in pacifica tam eiusdem monasterii (f. 318) Potomerecensis, quam aliorum omnium possessione permaneant, nec ullis deinceps molestiis et incommodis ab ipsis Schismaticis afficiantur. Quod cum amplius pro votis a Fraternitate Tua nobis pollicemur, tibi, Ven. frater, Apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam elargimur.

Datum etc. 20 Martii 1754.

738.

Romae, 20 . III . 1754

Alia negotii monasterii Potomerecensis commendatio cum gratiarum actione.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 118, fol. 315v-316v.

Dilecto filio, nobili viro,
Magni Ducatus Lithuaniae Pro Cancellario¹⁴⁶.

BENEDICTUS PP. XIV. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Dignissima eximiae virtutis tuae officia a Nobilitate Tua, intuitu praesertim Apostolici istic Nuntii nostri, dilectis filiis Monachis Basilianis ruthenis in causa coram (f. 318v) te pendente super monasterio Potomerecensi, ipsos inter et Schismaticos laudabiliter salubriterque impertita, quibus effecisti ut gravissima quidem huiusmodi controversia in praesentia differetur, nobis certe pollicentur, fore nimirum, ut tuo eximio catholicae religionis zelo pontificia nostra commendatione accedente maiora in posterum eisdem Monachis tribuas iustitiae, aequitatis, patrocini et benevolentiae tuae testimonia.

Primum itaque Nobilitati Tuae pro eodem dilationis beneficio memoratis Monachis opportune collato gratias agimus singulares, atque eapropter te, dilecte fili, nobilis vir, Apostolicae laudationis praeconiis prosequimur, et ornamus. Deinde hortamur atque in Domino enixe (f. 319) rogamus, ut cum causam huiusmodi in Assessorialibus Magni Ducatus Lithuaniae Iudiciis, quibus preces denuo agi contigerit nulla affici molestia patiaris eosdem Monachos non solum quoad antedictum monasterium Potomerecense, quod una cum suis frequentissimis subditis tanto cum ipsorum labore, industria, laude ac sollicitudine catholicae nuper communioni restituerunt, verum etiam quoad caetera monasteria iam dudum ab ipsis pacifice possessa, quae Schismatici per summam iniuriam eisdem eripere omni ope conantur. Id profecto si fecisti quemadmodum in tua religione et pietate freti certissime speramus, non solum pontificiam nostram voluntatem tibi arctius obstringes, verum etiam divinam clementiam (f. 319v) adeo propitiam propensamque tibi, dilecte fili, nobilis vir, rebusque tuis adfuturam senties atque experiaris,

¹⁴⁶ Cfr. supra notam 114.

ut in terris quidem omnium bonorum copia cumulaberis, in caelis autem praemia aeterna consequaris. Ad utriusque vero rei pignus et prosperi successus auspiciis Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter elargimur.

Datum ut supra.

739.

Romae, 26 . IV . 1754

De assignatione alicuius parochialis ecclesiae in Dioecesi Berestensi Ordini S. Basilii Magni, Provinciae Lithuanae.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3297, fol. 1-2.

Dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae apud charissimum in Christo filium nostrum Fridericum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, Nuncio¹⁴⁷.

BENEDICTUS PP. XIV. Dilecte fili, salutem etc.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Fridericus Michael Czartoryski, Ducatus Lithuaniae Magnus Cancellarius, quod cum ratione cuiusdam haereditatis Comitatum de Volczyn nuncupato in Dioecesi Brestenti existente cum suis iuribus, annexis et connexis acquisivit, ac inter caetera septem parochiales ecclesias Ritus Rutheni a suis Majoribus fundatas et per septem Praesbyteros saeculares eiusdem Ritus administratas reperit; attentis vero paucis annuis redditibus et proventibus dictarum ecclesiarum, ac multo magis ignorantia praesbiterorum praedictorum, qui propriae familiae assistentiam praebere et agros unicuique ecclesiae huiusmodi assignatos propriis manibus colere coacti sunt, Christifideles dictarum ecclesiarum ita parum aut nihil de misteriis fidei instructi sunt, ita ut ea quae ad aeternam animarum salutem necessaria existunt nesciant, ac propterea ipse Fridericus Michael, quo curae animarum suorum subditorum facilius consultum sit, unam ex dictis supra parochialibus ecclesiis, nempe illam in oppido civitate, nuncupata de Volczyn, erectam dilectis filiis monachis Ordinis Sancti Basilii Magni Provinciae Lithuaniae¹⁴⁸, relictis sex aliis eisdem praesbyteris saecularibus ruthenis, assignare et concedere intendit, pro congrua vero dictorum monachorum, qui septem semper remanere et existere debent, sustentatione parva bona praeparochiali ecclesia alias assignata, et ad illam iuxta fundationem erectionemque de praesenti spectantia quae ad sustentationem unius dumtaxat praesbyteri haud sufficiunt, permutandi aliaque bona annuam summam trecentorum quinquaginta scutorum monetae romanae constituentia assignandi facultatem per Nos concedi plurimum desiderat, nonnullis tamen conditionibus adiectis, et per monachos dicti Ordinis imposterum omnino observandis; nempe quod monachi praedicti eidem parochiali ecclesiae de Volczyn inservire ac curam animarum illi annexam exercere, et quolibet anno in statutis seu statuendis

¹⁴⁷ Albericus Archinto (1746-1754).

¹⁴⁸ Ordo Basilianorum ab anno 1743 in duas dividebatur Provincias. Lithuanam et Ruthenam (Polonam), dependentes a divisione Regni, ubi Ordo hic vixit tunc temporis.

temporibus ad reliquas sex parochiales ecclesias praenominatas accedere inique verbum Dei praedicare, Christianae doctrinae instructionem populos docere sanctasque missiones peragere, ac demum Clericos ad suscipiendos ministrandosque sacros ordines erudire teneantur. Et dilectus itidem filius, modernus Abbas Generalis¹⁴⁹ memorati Ordinis foundationem praedictam cum supradictis conditionibus, ac assignationem congruae supradictae pro maintenance septem monachorum admittere paratus sese obtulit, si noster et Sedis Apostolicae nec non Venerabilis fratris Episcopi Vlodimiriensis et Brestensis¹⁵⁰ Ordinarii loci in praemissis accesserit assensus, dictusque Episcopus suum iam praebuit consensum ac insuper declaravit dictam concessionem parochialis ecclesiae huiusmodi eiusdem monachis faciendam in maiorem Dei gloriam et animarum salutem cessuram esse utilitatem. Verum quia per Synodum Samogitiensem celebratam septimus tit. 8 cautum praescriptumque reperitur, ne amplius ecclesiastica natura mutetur, proptereaque dictus Fridericus Michael desiderii sui huiusmodi compos fieri nequit, absque speciali nostra et Sedis praedictae dispensatione, nobis humiliter supplicari fecit, ut sibi in praemissis opportune providere, et un infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos itaque ipsum Fridericum Michaelem specialibus etc. volentes et a quibusvis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni tuae per praesentes committimus et mandamus, ut veris existentibus narratis erectionem, institutionem, et assignationem supradictae parochialis ecclesiae oppidis civitatis nuncupatae Volczyn alias pro praesbytero saeculari Ritus Rutheni, sicut praemittitur, factae ac quodcumque instrumentum cum quibusvis clausulis, et decretis etiam auctoritate Apostolica ea super re confectum ac quascumque litteras Apostolicas super erectione et concessione huiusmodi alias editas auctoritate nostra Apostolica tenore praesentium annullas, casses, et irritas, ac nullius roboris et momenti esse et fore nullique suffragari debere, ac nullum ius in illa ad quemcumque spectare, ac in illa aliquem habere decernas, ac declares, dictoque Friderico Michaeli ut bona quaecumque stabilia eidem parochiali ecclesiae sicut praefertur assignata, in alia bona stabilia et fructifera usque ad supradictam annuam summam trecentorum quinquaginta scutorum monetae romanae variare, permutare, et assignare possit, dicta auctoritate permittas, ac dictam parochialem ecclesiam cum omnibus suis iuribus, annexis et connexis ac bonis mobilibus, suppellectilibus sacris et prophanis, ac immobilibus bonis seu stabilibus fructiferis per dictum Fridericum Michaelem assignatis /f. 7/ seu assignandis auctoritate et tenore praedictis, supradictis monachis Ordinis Sancti Basilii Magni Provinciae Lithuaniae cum supradictis conditionibus in perpetuum concedas, et assignes, ac quaecumque instrumenta publica seu privata super perpetua concessione et assignatione praemissorum omnium auctoritate et tenore praedictis conficias, ac quaecumque instrumenta tam super permutatione, et assignatione bonorum per dictum Fridericum Michaelem facienda, quam super concessione parochialis ecclesiae illiusque iurium, annexorum ac bonorum mobilium et immobilium ac suppellectilium aliorumque prae-

¹⁴⁹ Heraclius Lisanskyj (1751-1759).

¹⁵⁰ Theophilus Godebskyj (1730-1756).

missorum omnium inde confecta et conficienda, quatenus opus sit, de novo auctoritate et tenore huiusmodi approbes atque confirmes. Non obstante nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, ac quadam nostra Epistula decretali incipiente «*Inter plures*» etc.¹⁵¹ aliisque constitutionibus etc. innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores etc. derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, die 26 Aprilis 1754, An. 14.

740.

Romae, 14 . I . 1755

Bulla Coadiutoriae cum futura successione in Metropolia Kioviensi pro Feliciano Philippo Wolodkowicz.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3404, fol. 13-17.

Coadiutoria Ecclesiarum Kioviensis et Haliciensis Ritus Graeci Rutheni, cum futura in illis successione pro R.P. Feliciano Wolotkowicz, Episcopo Chelmensi.

BENEDICTUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Feliciano Wolotkowicz, Episcopo Chelmensi, salutem etc.

Romanus Pontifex in potestatis plenitudine a caelesti Pastore constitutus, de statu Ecclesiarum etc. providet opportune, prout personarum qualitas exigit et Ecclesiarum earundem utilitas persuadet, ad hoc quoque exactae diligentiae studium adhibet, ut regimini Ecclesiarum ipsarum etiam per Coadiutoris ministerium Pastores praeficiantur idonei et Ministri providi deputentur, per quorum solertiam providam et providentiam circumspiciam Ecclesiae ipsae praeserventur a noxiis, et continuis, auctore Domino, in eisdem spiritualibus et temporalibus proficere valeant incrementis.

(f. 13v) Sanc Venerabili fratri Floriano Hrebnicki moderno Archiepiscopo Kioviensi et Haliciensi Ritus Graeci Rutheni, attentis eius ingravescente aetate aliisque corporis affectionibus, ob quas ad episcopalia aliaque pastoralia munia abunde prorsus impar redditus est, ac Ecclesiae Kioviensi et Haliciensi Ritus praedicti invicem perpetuo canonice unitae, quibus idem Florianus Archiepiscopus praest, aliqua exinde in spiritualibus et temporalibus detrimenta patiantur, de Coadiutore idoneo cum futura in dictis Ecclesiis Kioviensi et Haliciensi successione providere cupientes, Nos post deliberationem quam etc. diligentem, demum ad te, qui Ecclesiae Chelmensi Ritus praedicti laudabiliter praees, munus consecrationis suscepisti, pontificalia officia et alia episcopalia munia exercuisti, quique fidem catholicam etc. et pro quo charissimus in Christo filius noster Augustus, Poloniae Rex Illustris, nobis ad hoc per suas litteras supplicavit, direximus oculos nostrae mentis quibus omnibus etc. te a quibusvis etc. censentes, te eidem Floriano Archiepiscopo in Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione earundem Ecclesiarum Kio-

¹⁵¹ Cfr. supra sub data 11.V.1744.

vien, et Halicien, quoad vixerit, et praedictis Ecclesiis praefuerit in spiritualibus et temporalibus, cum plena, libera et omnimoda facultate, potestate et auctoritate omnia et singula, quae ad huiusmodi Coadiutoris officium de iure, usu, et consuetudine, aut alias quomodolibet spectant et pertinent faciendi, gerendi, et ordinandi, ac pontificalia munia in civitatibus et dioecesibus Kiovien. et Halicien. Ritus huiusmodi exercendi, expresso eiusdem Floriani ad hoc accedente consensu, de eorundem fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate constituimus et deputamus, nec non cedente vel decedente eodem Floriano Archiepiscopo seu dictis Ecclesiis Kiovien. et Halicien. quomodolibet praeesse desinente, aut ipsis Ecclesiis Kiovien. et Hilicien. quovis modo, etiam apud Sedem Apostolicam vacantibus, etiamsi tempore vacationis huiusmodi dictum Coadiutoris officium exercere non inceperis, aut per te steterit, quominus illud exercueris, ex nunc prout ex tunc et eontra eisdem Ecclesiis Kiovien. et Halicien. de persona tua etc. providemus, teque dictis Ecclesiis Kiovien. et Halicien. in Archiepiscopum praeficimus, et pastorem, curam etc. incrementa.

Quocirca Fraternitati Tuae per Apostolica scripta mandamus quatenus curam etc. consequi merearis. Nec non Venerabilibus etiam fratribus universis Suffraganeis, ac dilectis filiis Capitulo et vassalis etc. inviolabiliter observari. Rogamus quoque et hortamur attente eundem Augustum Regem etc. actio gratiarum. Praeterea tibi, ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius etc. motu proprio etc. una cum praedictis Ecclesiis Kiovien. et Halicien. praedictam Ecclesiam Chelmensem Ritus praedicti, cui ad praesens praeesse dignosceris, ac unum Dermanen. et alterum Dubnen. monasteria, Abbantias nuncupata, S. Basilii seu alterius respective Ordinis, Chelmen, seu alterius respective civitatis vel Dioecesis eiusdem Ritus, quae, sicut accepimus, ad praesens obtines, ut prius ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum retinere libere et licite possis et valeas, non obstantibus quibusvis Apostolicis etc. dispensamus. Decernentes praeterea Ecclesiam Chelmensem praedictam et monasteria huiusmodi non vacare, irritum quoque et inane etc. attentari. Volumus autem, quod dicta Ecclesia Chelmen et monasteria huiusmodi in spiritualibus non laedantur, et in temporalibus detrimenta non substineant, sed eius et eorum congrue supportentur onera consueta.

Volumus etiam, quod tu antequam etc. in manibus Venerabilium quoque fratrum nostrorum Luceorien. Pinscen. et Vladimiriensium. Episcoporum seu alterius eorum nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum iuramentum etc. recipiat. Volumus quoque quod tu Coadiutoris officio huiusmodi durante ab alienatione etc. abstineas, et de iis quae gesseris et administraveris etc. plenariam rationem reddere tenearis.

Volumus praeterea quod facto successioni huiusmodi loco in ecclesiae mertopolitanae et domus archiepiscopalis reparationibus pro viribus incumbas, conscientiam tuam super his onerantes.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo septingentesimo quinquagesimo quinto, pridie Idus Januarii, Pontificatus Nostri Anno sextodecimo.

Visa de Curia J.C. Boschi

T. Cardin. Prodatarius
L. EUGENIUS

741.

Romae, 7 . II . 1755

*Negotium Eparchiae Mohiloviensis Regi commendatur.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 119, fol. 118v-121v.

Carissimo in Christo filio nostro Augusto, Poloniae Regi Illustri.

BENEDICTUS PP. XIV. Carissime etc.

Flagrantissimum Maiestatis Tuae pro tuendis provehendisque in florentissimo Poloniae Regno tuo orthodoxae religionis rationibus adversus Schismaticos praesertim magna cum regii pique nominis tui laude adlaborantis studium, zelum opemque Apostolica haec S. Sedes ac Nos ipsi semper experti, et pontificiis encomiis prosecuti, non dubitamus, quin Maiestas Tua eo maiori regiae auctoritatis alacritate et praesenti discrimine collocare satagat et adnitatur, quo urgens rerum ruthenarum conditio et necessitas magis exposcit ac requirit.

Maiestati Tuae amplius prae caeteris compertum exploratumque est Decretum cl. mem. Sigismundi III, dum in humanis ageret, Poloniae Regis, Praecessoris tui, die (f. 119) XXII mensis Martii anni MDCXIX editum, quo cathedralis ecclesia Mohiloviensis archiepiscopali Ecclesiae Polocensi catholici Ritus Rutheni, Apostolico beneplacito accedente, adnexa et unita fuit. Unde in omnibus ad eundem Archiepiscopum Polocensem nominationibus per polonos Reges semper factis inter caeteras ecclesias memorato Archiepiscopatu adnexas et unitas cathedralis ecclesia Mohiloviensis peculiari modo nominatur. hinc unicuique apertissime patet, quam iniusta, quam absona, quam violens fuerit usurpatio illa laudatae ecclesiae cathedralis Mohiloviensis procurata ab Schismatico sub initium saeculi propter asperam illorum (f. 119v) temporum conditionem Episcopo potentia armisque Moscovitis suffulto¹⁵². Contra quam sane usurpationem, non solum dum ecclesia illa cathedralis vacaret, sed sede etiam Episcopo licet schismatico plena, tam poloni Reges, quam Archiepiscopus Polocensis atque Apostolica haec S. Sedes postestationibus etiam declarationibusque in publicum propositis declararunt.

Quoniam autem, sicut accepimus, ultimus eiusdem Catholicae Ecclesiae Mohiloviensis schismaticus Episcopus viam universae carnis ingressus est¹⁵³, oportuna ad sublevandas afflictas Catholicorum ruthenorum res et angustias sese Maiestati Tuae offert occasio, qua regiam Maiestatis Tuae operam, opem, zelumque conferas ne novus schismaticus Episcopus (f. 120) saepedicta cathedrali ecclesiae Mohiloviensi proficiatur, et confirmetur, quin potius quolibet schismatico Episcopo invasore penitus expulso, sicut antea per Sigismundi Regis Decretum illa Polocensi Archiepiscopatu unita et adnexa, per

¹⁵² Agitur de temporibus Czari Petri I (1682-1725), qui annis 1700-1710 cum exercitu suo haec territoria percurrebat cum Carolo XII, Rege Suetiae, pugnando.

¹⁵³ Hieronymus Volčanskyj (1744-1754). Obiit Mohiloviae 14.X.1754. Conf. *Enc. Pow.*, vol. 3, p. 658.

Polocensem pro tempore existentem Archiepiscopum regatur, et administratur.

Porro nobis testatissimis documentis compertum est, cl. mem. Fridericum Augustum, parentem tuum optimum et Praecessorem, subdolis malisque artibus inductum ad ipsam cathedralem ecclesiam Mohiloviensem primum quidem schismaticum Episcopum nominasse, deinde vero de perspecta rerum veritate edoctum eam nominationem (f. 120v) revocasse, atque plurimum adlaborasse, ut nullo pacto eiusmodi nominatio executioni mandaretur; verum satis nota illorum temporum asperitas (hanc enim per ineffabilem divinae bonitatis abundantiam in praesentia quam longissime abesse in Domino gratulamur) omnes regiae providentiae auctoritatisque initas partes et conatus inutiles et inanes reddidit. Nec obstat, quod in pactis inter laudatum Regem, parentem tuum, et Petrum I, Moscorum Dominum, coventis contineri asseritur, nimirum inter Ecclesias Schismaticis concedendas Mohiloviensem cathedralem ecclesiam comprehendendi, cum in iisdem pactis coventis nulla de Mohiloviensi Ecclesia mentio fiat. Haec (f.121) profecto in memoriam Maiestatis Tuae revocare volumus, ut hisce obstaculis Maiestas Tua eo maiori regalis animi tui alacritate, ardore, constantia, et praesentanea ope admittaris, ut orthodoxa fides in hoc ancipiti certamine magis magisque triumphet et exultet. Vides, carissime in Christo fili noster, quam sublimiorem regio nomini tantopere de catholica religione meritissimo gloriam adicias, quam copiosiore catholicam vitam transigendi utilitatem commodumque afferas, quam perennius orthodoxae fidei decus incrementum, et praesidium confirmes, quam gratius ac iucundius paternae (f. 121v) nostrae sollicitudini debitaque nostrae pastoralis curae laenimentum, ac solatium compares, quam denique maiorem caelestium munerum, et aeternae beatitudinis mercedem tibi a supremo Pastorum Principe Jesu Christo iusto remuneratore in caelis largiendam conquiras. Eapropter a Maiestate Tua pro votis precibusque nostris hoc in gravissimo orthodoxae religionis negotio salutarem operam, zelum opemque impensum iri nobis a spectatissima virtute tua pro certo pollicentes, implorantes ac praestolantes, tibi, carissime in Christo fili noster, Apostolicam benedictionem perennis tuae felicitatis, et aeternae salutis voto coniunctam amantissime impertimur.

Datum Romae, etc., die 7 Februarii 1754 etc.

742.

Romae, 7 . II . 1755

Idem negotium Eparchiae Mohiloviensis etiam Magno Cancellario Poloniae commendatur, nec non aliis Regni et Ducatus Proceribus.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 119, fol. 192 rv.

Dilecto filio, nobili viro, Comiti Johanni Malakowski,
Supremo Cancellario Regni Poloniae¹⁵⁴.

¹⁵⁴ Joannes Malachowski (1746-1762).

BENEDICTUS PP. XIV. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Et opportuna temporum conditio, et catholicae religionis vota non minus eximia pietati ardentissimoque tuendae provehendaque orthodoxae fidei zelo Nobilitatis Tuae, quam iniectae nobis Universalis Ecclesiae sollicitudini, et supremo sacrosancti Apostolatus officio in praesentia magis magisque quam antea commendant Mohiloviensis ecclesiae cathedralis rationes. Eapropter (f. 192v), quemadmodum ministerio nostro deesse videremus, si ulla studii, diligentiae et obsecrationum partes ad illius ecclesiae in oblata opportunitate sublevandas angustias resque iamdudum afflictas desiderari pateremur; ita nihil nomine tuo, et *supremo*, quod geris *Magni Cancellarii* munere dignius esse poterit, quam ut ecclesia illa cathedralis viduata schismatico Pastore rutheno per patrocinium et officia Nobilitatis Tuae ad catholicae fidei sinum rediens per suum Archiepiscopum Polocensem regatur, et administretur. Nobilitati enim Tuae prae caeteris magis compertum etc. (*ut in littera praecedenti ad Regem Augustum, mutatis mutandis quae spectant titulum*) magis magisque triumphet et exultet.

Eapropter a Nobilitate Tua amplius pro votis precibusque nostris hoc in gravissimo orthodoxae religionis negotio salutarem operam, zelum operumque impensum iri nobis a spectatissima virtute tua pro certo pollicentes, implorantes ac praestolantes tibi, dilecte fili, nobilis vir, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 7 Februarii 1755, Pontificatus Nostri Anno decimoquinto.

Eodem exemplo

Demptis verbis lineantis et mutatis mutandis.

Supremo Magni Ducatus Lithuaniae Cancellario.

Procancellario Regni Poloniae.

Magni Ducatus Lithuaniae Procancellario.

Supremo Magni Ducatus Lithuaniae Mareschallo.

Supremo Regni Poloniae Mareschallo.

Supremo Magni Ducatus Lithuaniae Thesaurario, et Regio Mohiloviae Oecono.

743.

Romae, 15 . V . 1755

Indulgentia plenaria pro ecclesiis Basilianorum die festo S. Onuphrii.

Bullae et Brevia, vol. II, p. 113-4.

Akty izdavajemyje..., vol. XVI, p. 186.

BENEDICTUS PP. XIV. Universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere paenitentibus et confessis, ac Sancta Communionem reffectis, qui aliquam ex ecclesiis Monachorum Or. S. Basilii M. Ritus Rutheni

in Polonia et Lithuania existentibus die festo S. Onuphrii a primis vespere usque ad occasum solis diei huiusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, praesentatione, admissione, seu publicatione praesentium aliquid vel minimum detur, aut sponte oblatum recipiatur, praesentes nullae sint, utque praesentium literarum transumptis seu exemplis etiam impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XV Maii MDCCLV, Pontificatus Nostri Anno decimo sexto.

Pro Domino Cardin. Passioneo Ioannes Florius, Substitutus.

744.

In Arce Gandulphi, 14 . VI . 1755

De eadem causa Mohiloviensi in favorem Catholicorum decidenda hortatur Confessarius Regis Poloniae, ut suam interponeret auctoritatem.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 119, fol. 192-194.

Dilecto filio, religioso viro, Regis Poloniae Confessario.

BENEDICTUS PP. XIV. Dilecte fili, religiose vir, salutem etc.

Tot tamque praeclara de incredibili assiduoque carissimi in Christo filii nostri Augusti, Poloniae Regis Illustris, in tuendis provehendisque orthodoxae religionis rationibus adversus Haereticos et Schismaticos (f. 192v), Ruthenos praesertim, studio zeloque nobis constabant argumenta, ut cum vel de novo cathedrali ecclesiae Mohiloviensi praeficiendo catholici Ritus Rutheni Episcopo, vel de eadem Ecclesia Archiepiscopali Ecclesiae Polonensi, ut antea, restituenda uniendaque ageretur, certa fiducia nobis persuaderemus fore nimirum, ut laudatus Rex religiosissimus omnem opem, operamque suam ad huiusmodi negotium gravissimum iuxta catholicae fidei vota transigendum conferret, nec nostris paternis vocibus adhortationibus et precibus hac in re indigeret.

Nos autem quibus iniecta est a supremo Pastorum Principe Jesu Christo omnium Ecclesiarum sollicitudo (f. 193) ac procuratio, ne debitas iniuncti nostrae imbecillitati oneris partes desiderari patiemur, continuo alacres ipsum Augustum Regem de Catholica Ecclesia meritissimum adhortari et obsecrare non omisimus. Interea dum hac firmissima spe freti prosperum exitum securi praestolaremur, non sine ingenti pontificii animi nostri moerore accepimus funestissimum nuntium, quod praevalente potius inani saecularium potestatum gratia, quam vera Regis Regum, et Domini Dominantium causa, idem Augustus Rex ad suum regium assensum pro electione ab Schi-

smaticis ad favorem cuiusdam Rectoris Universitatis Kioviensis facta¹⁵⁵ praebendum ac praestandum iamiam inclinaret (f. 193v). Quo factum est, ut pene concideremus. Sed nostri omni procul dubio doloris non levis acerbitas ortum habet, et maxime augetur, non tam ex praesenti futuroque ea propter Catholicae Ecclesiae veraeque Jesu Christi fidei pernicioso praeiudicio, ac dedecore, quam ex certo detrimento ac iactura conscientiae animaeque Maiestatis Regis a nobis plurimum semper dilecti magnoque semper in honore habiti, a quo Aeternus Iudex in tremendo suo Tribunali districtam exiget rationem de iis omnibus, quae populum illum Mohiloviensem sub regimine et administratione schismatici Episcopi quoad aeternam salutem comparandam obstacula, ac damna urgebunt (f. 19)) ac vexabunt.

Quamobrem Nos, postquam per alias nostras in simili forma Brevis litteras ipsum Augustum Regem ipsiusque Ministros Regnique Proceres interpellavimus et obtestati sumus, ad te quoque, dilecte fili, religiose vir, qui eiusdem Regis Confessarius animaeque curam geris, nostras paternas voces et monita deferimus atque insimul rogamus, ac poscimus, ut pro inita a te ob susceptum huiusmodi Confessarii munus obligatione tantum Regem eximia pietate commendatissimum a quacumque liberum tutumque reddendi occasione, qua nedum gravem divini numinis incurrat, sed ne parum quidem misericordiarum Patri displiceat, suaviter fortiterque (f. 194v) sacerdotali pectore illum admoneas, ne antedictam electionem schismatici Episcopi umquam ratam habeat confirmetque, quinimo pro viribus regiaque auctoritate adnitatur, ut consiliis, minis, precibus ea electio irrita prorsus, nulliusque roboris et momenti habeatur, ac penitus auferatur. Interim feliciorum pro nostris votis hac in re exitum a spectata virtute tua nobis pollicentes, tibi, dilecte fili, tanquam prosperi successus auspiciam et studiosae nostrae ad tibi opportune gratificandum voluntatis pignus Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis Dioecesis, sub Annulo Piscatoris, die 14 Junii 1755, Pontificatus Nostri Anno XV.

745.

In Arce Gandulphi, 14 . VI . 1755

De eodem neotio etiam Reginae Poloniae Breve datur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 119, fol. 195-197.

Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Josephae,
Poloniae Reginae Illustri.

BENEDICTUS PP. XIV. Carissima etc.

Tot tanque praeclara de incredibili assiduoque carissimi in Christo filii

¹⁵⁵ Agitur de Georgio Konyskyj, qui revera hoc anno nominatus erat Episcopus Mohiloviensis non unicus. Ab anno 1768 assumpsit titulum Mstislaviensis, Oršanensis et Mohiloviensis, cum titulo Archiepiscopi, concessa a « Synodo Sancta » Petroburgensi. Post primam Poloniae exdivisionem Mohyliv venit sub dominium Rossiae. Konyskyj activitatem suam postea etiam ad catholicos Ritus Orientalis convertit.

nostri Augusti, Poloniae Regis Illustris, Coniugis Maiestatis Tuae, in tuendis provehendisque orthodoxae religionis rationibus etc. (*prout supra, Confessario Regis*)..., interpellavimus et obtestati sumus, ad te quoque, carissima in Christo filia nostra quae et ipsum Regem, Coniugem tuum, connubiali amore prosequeris, aeternamque ipsius salutem plus quam omnia mundi regna facis, et aestimare debes, nostras paternas voces et monita deferimus atque insimul rogamus ac poscemos, ut tantum Regem eximia pietate et religione commendatissimum, qua apud ipsum vales ac potes gratia suaviter fortiterque exorare et adhortari satagas, ne antedictam electionem etc. auferatur. Interim a perspectissimis catholicisque virtutibus (f. 197v) Maiestatis Tuae feliciorum pro nostris votis hac in re exitum nobis pollicentes, tibi, carissima in Christo filia nostra, tamquam prosperi successus auspiciam et obstrictae studiosissimaeque voluntatis pignus Apostolicam benedictionem cum uberrima caelestium charismatum copia coniunctam amantissime impertimur.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis Dioecesis, sub Annulo Piscatoris, die 14 Junii 1755, Pontificatus Nostri Anno XV.

746.

Romae, 26 . VII . 1755

Excerpta ex Bulla « Allatae sunt », qua Pontifex missionarios docet, ut in convertendis Orientalibus ad unitatem Ecclesiae orthodoxiam fidei, non vero unitatem Rituum prae oculis habeant, ita ut omnes catholici sint, non vero omnes fiant Latini.

Bullarū Romani continuatio, Prati, vol. III, pars II.
DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. III, p. 597-621, nr. 170.

BENEDICTUS PP. XIV. Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Allatae sunt¹⁵⁷ ad Congregationem Venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum litterae sacerdotis cuiusdam, sacris missionibus exercendis deputati in civitate Belserae, quam vulgo Bassoram vocant, quaeque itinere quindecim dierum a Babilonia distat... Insuper idem missionarius... Haec, uti diximus, a praedicto missionario proposita... Adeo perspicua est Decreti sententia... Sane historiam ecclesiasticam ne quidem...

Praeterea ecclesiasticae historiae ignarum se proderet, qui pariter nesciret ita cum Orientalibus unionem peractam firmatamque fuisse, ut dogma processionis Spiritus Sancti a Patre et Filio reciperent, atque adeo licitam fuisse admitterent additionem vocis *Filioque* Symbolo factam; ut panem non minus fermentatum, quam azymum, sacramenti Eucharistiae materiam esse

¹⁵⁶ Cfr. supra, sub data 7.II.1755.

¹⁵⁷ Ex illa famosa littera encyclica utile fore duximus excerpta tantummodo aliqua hic adducere, ne propter nimiam prolixitatem documenti, quod mediate tantummodo Ucrainam spectat, collectionem nostram nimis protraheremus. Inde, adductis in extenso textibus, qui nos spectant, alia non nisi per initia capitum innuimus.

faterentur; ut dogma purgatorii, visionis beatificae, ac primatus Romani Pontificis amplecterentur; uno verbo, omnem curam collatam fuisse, ut errores catholicae fidei adversi evellerentur; nunquam vero id actum esse, ut venerabili orientali ritui detrimentum ullum inferretur. Sed praesentem quoque Ecclesiae disciplinam prorsus ignoraret, cui satis exploratum non esset Romanos Pontifices, qui infelicibus praeteritorum temporum successibus minime deterriti, de reducendis ad unitatem Graecis semper cogitarunt, eandem viam, quam paulo ante indicavimus, semper instituisse et adhuc insistere, sicut ex ipsorum tum dictis tum factis manifeste colligitur.

Undecimo saeculo nonnullae Constantinopoli... In initio saeculi decimotertii, cum Latini in potestatem suam Constantinopoli..

Documentis eiusmodi plurimum redundat saeculum decimum tertium. Ad hoc quippe saeculum pertinet epistola Innocentii IV ad Danielem Regem Russiae, apud Raynaldum ad annum MCCXLVI, n. 29, qua ipsius Regis specialem devotionem erga Ecclesiam Catholicam commendans, concedit, ut ritus, qui fidei Romanae Ecclesiae non repugnarent, in eiusdem regno serventur, ita scribens: « Ea propter, charissime in Christo fili, tuis supplicationibus inclinati, Episcopis et aliis presbyteris de Russia, ut liceat eis more suo ex fermentato conficere, et alios eorum ritus, qui fidei catholicae, quam Ecclesia Romana tenet, non obviant, observare auctoritate praesentium indulgemus ».

Huc etiam spectat eiusdem Innocentii IV epistola ad Othonem ...Alexander IV... Finem saeculo decimotertio imponit memorata Graecorum Latinorumque unio... Quod attinet ad saeculum decimumquintum... In Graecorum Enchiridio edito Beneventi, duae Summ. Pontificum Leonis X et Clementis VII habentur Constitutiones¹⁵⁸ ...Annales Gregorii XIII... in quibus alumnos dictarum nationum educari voluit, ita tamen, ut semper in suis ritibus orientalibus perseverarent.

Celeberrima fuit unio Ruthenorum cum Apostolica Sede tempore fel. record. Clementis Papae VIII peracta, cuius monumenta relata leguntur in Annalibus Ven. Cardinalis Baronii, Romanae editionis, an. MDXCVI, tom. VII, p. 682, exhibentur decretum ab Archiepiscopis et Episcopis Ruthenis pro ineuda unione confectum, cum hac conditione: « Salvis tamen et in integrum observatis caeremoniis et ritibus cultus divini et sanctorum sacramentorum, iuxta consuetudinem Ecclesiae Orientalis, correctis tantummodo iis articulis, qui ipsam unionem impedirent; ut more antiquo fierent omnia sicut olim unione durante fuerunt ». Sed cum paulo post ad pacem turbandam rumor percrebuisset, sublatis esse in unione ritus universos, quibus Rutheni antiquitus usi fuerant in divina psalmodia, in missae sacrificio, in sacramentis administrandis, aliisque sacris caeremoniis, Paulus litteris apostolicis in forma Brevis datis MDCXV, quae in eodem Graecorum Enchiridio impressae sunt, voluntatem suam his verbis solemniter declaravit: « Dummodo veritati et doctrinae fidei catholicae non adversentur et communionem cum Romana Ecclesia non excludant, per unionem praemissam tollere aut extinguere, Ecclesiae Romanae intentionem, mentem, et voluntatem non fuisse, nec esse; nec id dici vel censi potuisse, nec posse; quin imo dictos ritus

¹⁵⁸ Cfr. supra in nostra collectione sub data 18.V.1521, et 26.III.1526.


eisdem Ruthenis Episcopis et clero ex apostolica benignitate permissos, concessos, et indultos esse ».

Aptissime hic recenseri possent ecclesiae, quas diversis temporibus etc...

Deprehenditur id ex confirmatione Synodi Provincialis Ruthenorum coactae in Urbe Zamosciae anno MCCXX, ad quam examinandam nos quoque, quippe qui tunc munere Secretarii Congregationis Concilii fungebamur, acciti fuimus a fel. record. Benedicto XIII, qui licet obsecundandum putasset insinuationibus patrum eiusdem Concilii, a quibus nonnulli ritus inter Graecos vigentes suis decretis vel temperati fuerant vel sublati; praedictam Synodum confirmavit quidem suis apostolicis litteris in forma Brevis, dat an. MDCXXIV, hac tamen addita declaratione: « Ita tamen quod per nostram praedictae Synodi confirmationem nihil derogatum esse censeatur constitutionibus Romanorum Pontificum, Praedecessorum nostrorum, et decretis Conciliorum generalium emanatis super ritibus Graecorum, quae non obstante huiusmodi confirmatione, semper in suo robore permanere debent ». Idem colligitur ex pluribus nostris constitutionibus, quae in nostro Bullario continentur... Verum his aliisque ...Cumque inimicus homo...

Utque uno verbo complectamur omnia, in reditu Graecorum Schismaticorumque Orientalium ad catholicam religionem curando id unum Romanis Pontificibus maximae curae fuit, ut ex illorum animis radicitus evellerent Arii, Macedonii, Nestorii, Eutychetis, Dioscori, Monothelitarum aliorumque errores, in quos infeliciter proruerant; salvis tamen et intactis ritibus ac disciplina, quam ante schisma servabant et profitebantur, quaeque venerandis ipsorum antiquis lyurgiis ac ritualibus innitur; quin unquam iidem Romani Pontifices poposcerint, ut ad catholicam fidem redeuntes, suum ritum dimittere, et latinum amplecti deberent; id namque Ecclesiae Orientalis et Graecorum ac orientalium rituum omnimodam secum ferret internecionem, quod porro non modo nunquam tentatum, imo vero semper fuit et est ab huius Sanctae Sedis consilio quammaxime alienum.

Ex his quae hucusque... Peracta in Florentino Concilio... Haec transitum de latino ad graecum ritum spectant. Nunc autem verba facientes de transitu ab orientali et graeco ad latinum ritum ...Quod si defendi vellet... Alteram classem constituunt... Quibusdam Ecclesiae saeculis is usus obtinuit, ut post baptismi sacramentum Eucharistia pueris traderetur... De usu administrandae Eucharistiae sub utraque specie... Postremo, haec Eucharistiae... (de admixtione aquae tepidae) ...His sane et aliis huiusmodi exemplis... In latina et graeca lyurgia recitatur symbolum... Iam paulo superius de trisagio... De processione Spiritus Sancti... Huius nostrae epistolae finis hoc imponendum... Porro si in urbe Balserae... Vetita sane ritus admixtio esset... Haec et alia plura exempla... Haec ad Graecos pertinet, qui celebraturi in latinas ecclesias recipiuntur... Praeclarum pariter est... quod mox subiiciemus... Denique communis olim fuit Occidentali aequae ac Orientali Ecclesiae ritus (*concelebratio*)... Ex graeco et orientali hoc ritu (*de concelebratione*)... Alii vero ab hac Orientalium et Graecorum disciplina ...Ex his quae hucusque dicta sunt ...Neminem latent... (*kalendarium*) ...Veteri igitur kalendario... Hanc quaestionem non missam facimus... Si vero de Graecis orientalibus... (*item de kalendario*) ...Reliquum est, ut de postremo quaesito, de ieiunio scilicet, verba fiant... servare non posse.



Audientia PP. Basilianorum apud Pium PP. XII, die 5.XII.1949.

Haec sunt quae duximus exponenda in hac encyclica nostra epistola, non solum ad patefacienda fundamenta, quibus innituntur responsiones redditae missionario, qui quaestiones sub initium exscriptas proposuit, sed etiam, ut omnibus perspecta fiat benevolentia, qua Sedes Apostolica Catholicos Orientales complectitur, dum praecipit, ut omnino serventur veteres ipsorum ritus, qui neque catholicae religioni, neque honestati adversantur; nec a schismaticis ad catholicam unitatem redeuntibus exposcit, ut ritus suos deserant, sed ut haereses solum eiurent atque execrentur; exoptans vehementer, ut diversae eorum nationes conserventur, non destruantur, omnesque (ut multa paucis complectamur) Catholici sint, non ut omnes Latini fiant. Finem denique huic nostrae epistolae imponimus, Apostolicam benedictionem cuicumque eam legenti impertientes.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXVI Iulii MDCCLV. Pontificatus Nostri Anno XV.

747.

Romae, 30 . III . 1756

Nova constitutio Benedicti XIV, qua Ordinem Basilianorum reordinat, et in specie relationes inter Archimandritas et Protoarchimandritam inter. Confirmata iterum constitutione « Inter plures », additur constitutio de monachis curam animarum habentibus.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 119, fol. 118v-126.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. III, p. 658-661, nr. 185.

Bullarium Benedicti XIV, vol. III, pars II, p. 336-339, nr. 56.

BENEDICTUS PP. XIV. Ad futuram rei memoriam.

Super familiam Domini coelestis Patris ordinatione consituti, ad omnes nationes et gentes, quae catholica societate continentur, solitudinis nostrae curas extendimus; quaeque ad religionis ac fidei puritatem et ecclesiasticae disciplinae integritatem ubique servandam pro diversa regionum opportunitate magis proficua fore prospicimus, ea peculiari studio fovere et, quantum in nobis est, augere ac promovere non praetermittimus. Quapropter, quum satis compertum habeamus, Ordinem monachorum S. Basili Magni apud inclytam Ruthenorum nationem, iampridem catholicae Romanae Ecclesiae inviolabili unitatis foedere iunctam, spiritualibus ecclesiarum et populorum utilitatibus eximiam operam assiduosque labores et antea semper impedisse, et adhuc laudabiliter impendere, officii nostri partes esse duximus, ad ea, per quae Ordo ipse in proprio instituto firmiter consistere ac etiam felicioribus in dies incrementis augescere valeat, animum nostrum intendere, comparatisque necessariis rerum rationibus, ac saepius auditis tum Venn. fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium, tum aliorum Sedis Apostolicae ministrorum consiliis, complura decrevimus et constituimus, quae ad praedicti Ordinis eiusque provinciarum ac monasteriorum perpetuam stabilitatem et ordinatam tranquillitatem, nec non ad definienda et asserenda eiusdem Superiorum iura et monachorum regimen ac disciplinam, magis opportuna fore, et in Domino salubriter iudicavimus.

Iam enim usque ab anno Domini MDCCXLIV pluribus praehabitis consultationibus editae a nobis fuerunt literae apostolicae, quibus initium est *Inter plures*¹⁵⁹, impressae deinde in Bullarii nostri t. I, p. 98, quibus potissimum unio monasteriorum omnium praedicti Ordinis S. Basilii Ruthenorum, tam in Lithuania quam in Polonia seu Russia existentium, in unam Congregationem ex duabus provinciis coalescentem, de qua unione inter ipsius Ordinis archimandritas et professos convenerat, per nos approbata et confirmata fuit; cumque superiore anno MDCCXLIII habitum fuisset in civitate Dubnensi¹⁶⁰ generale eiusdem Ordinis capitulum, sub praesidentia Ven. fratris Athanasii totius Russiae Metropolitan¹⁶¹, assistente etiam in eo Ven. quoque fratre Georgio Episcopo Zenopolitano, quem tunc existens noster et Apostolicae Sedis Nuntius in Poloniae regno constitutus ad id subdelegaverat, huiusmodi capituli generalis deliberationes atque decreta diligenter expensa, ac per supradictas literas nostras partim approbata et confirmata, partim temperata et reformata fuerunt. Quum vero indecisa tunc temporis relicta fuerit quaestio, utrum Abbates seu Archimandritae monasteriorum praedicti Ordinis iurisdictioni Metropolitan¹⁶¹ an potius Proto Archimandritae totius Congregationis immediate subiecti esse deberent, propterea quod opportuna documenta ad eam quaestionem dirimendam nondum allata fuerant; exhibita nobis postmodum huiusmodi documentorum serie, una cum copiosis allegationibus, quibus unaquaeque ex contendentibus partibus rationes et iura fuse deduxit, tandem die XXIII Novembris elapsi anni MDCCLV coacta fuit coram nobis nonnullorum Venn. fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Congregatio, cui etiam interesse voluimus Venn. fratres Albericum¹⁶² Archiepiscopum Nicaenum, almae Urbis gubernatorem, qui Apostolici Nuncii munere in praefato Poloniae regno plures annos laudabiliter perfunctus est, ac praedictum Georgium olim Episcopum Zenopolitanum nunc autem Theodosiae Archiepiscopum, quorum omnium sententiis auditis, non solum definita fuit quaestio iamdum pendens, utrum nimirum Abbates immediatae Metropolitan¹⁶¹ vel potius Proto Archimandritae iurisdictioni subesse debeant, opportuno quodam inchoato temperamento, quo et regularis disciplinae conservationi prospiciatur, et minime recedatur ab obsequio ac dependentia, quam Ordo S. Basilii Magni Ruthenorum erga propriae nationis Metropolitanum innumeris atque solemnibus actibus semper professus est; verum etiam alia condita fuerunt decreta, ad consulendum animarum salutem earumque spirituali curae, et ad divinum cultum promovendum, ut ex inferius efferendis perspectum fiet, maxime idonea.

Primo itaque definitum atque decretum fuit, Abbates seu Archimandritas monasteriorum praefatae Congregationis immediatae iurisdictioni Proto Archimandritae pro tempore existentis subesse debere; ita tamen ut unusquisque eorum, institutionem quidem a Metropolitan¹⁶¹, installationem vero a Proto Archimandrita suscipere teneantur; obedientiae autem iuramentum in Metropolitan¹⁶¹ manibus praestent; cuius quidem iuramenti formula ita concepta sit, ut relationem habeat ad omnia iura, constitutiones et decreta

¹⁵⁹ Cfr. supra sub data II.V.1744.

¹⁶⁰ Agitur semper de Capitulo Dubnensi I an. 1743.

¹⁶¹ Athanasius Szeptyckyj, Metropolita Kioviensis (1729-1746).

¹⁶² Albericus Archinto, olim Nuntius Varsaviensis (1746-1754).

ab Apostolica Sede emanata, et signanter ad ea, quae in praecitatis, quarum initium est *Inter plures*, et praesentibus nostris literis continentur.

Secundo statutum est, ut praedicti Abbates seu Archimandritae in posterum tam in provincialibus suarum respective provinciarum, quam etiam in generalibus universae Congregationis Capitulis, activi et passivi suffragii iure fruantur, servatis tamen ac religiose impletis iis, quae circa vocalium numerum decreta fuerunt in saepedicta epistula *Inter plures*; ita videlicet, ut in designato huiusmodi numero Abbates ipsi includantur.

Tertio decretum fuit, Proto Archimandritae licitum fore, Abbates regulares seu Archimandritas monasteriorum praefatae Congregationis visitare, atque etiam eos in actu visitationis huiusmodi, quoties id exigat monasteriorum utilitas, ab officio suspendere; reservato tamen suspensis iure appellandi in devolutivo ad Metropolitanum tamquam Sedis Apostolicae Delegatum; ac etiam appellandi in suspensivo ad eundem, si forte Proto Archimandrita in praefata visitatione ad alias poenas corporis afflictivas aut infamiam irrogantes contra praedictos Abbates processerit.

Quarto, si extra visitationis actum Proto Archimandrita procedere velit adversus dictos Abbates in causis graviorum et personalium criminum, quae ex iuris praescripto depositionis poena, vel alia corporis afflictiva aut infamiam irrogante, punienda essent, decretum fuit, id aliter ab eo praestari non posse, quam legitimo processu efformato, et una cum Consultorio suo, collatis sententiis, statuendo quidquid in causa decernendum et pronuncian- dum existimaverit; ab illius autem sententia licitum et integrum fore appellationem etiam in suspensivo interponere ad praedictum Metropolitanum tamquam Sedis Apostolicae Delegatum.

Quinto permissum fuit monachis quibuscumque, si forte gravamen sibi aliquod a Proto Archimandrita illatum fuisse contendant, recursum habere ad Metropolitanum tamquam praedictae Sedis Delegatum, salva tamen semper Apostolicae Nunciaturae eiusdemque Sedis auctoritate.

His autem adiecta sunt alia decreta, quae animarum Christifidelium salutem eorumque spiritualem curam concernunt; quibus edicendis occasionem et causam id praebuit, quod nobis et Apostolicae Sedi innotuit, saepe contingere, ut propter penuriam sacerdotum saecularium ritus graeco-rutheni necessario cogantur eiusdem nationis Episcopi monachos praedicti Ordinis ad gerendam animarum curam evocare; ac etiam aliquando nonnullos ex iis ad inserviendum ecclesiis cathedralibus arcessere. Quod itaque spectat ad monachos animarum regimini praeponendos, decretum fuit ut, quoties e clero saeculari sacerdotes ad id muneris idonei revera deficiant, non omittant Episcopi rem cum Proto Archimandrita communicare, et cum ipso agere, quo sibi eos monachos concedi obtineant, qui in regimine et administratione ecclesiarum, quibus cura imminet animarum, defectum suppleant saecularium sacerdotum; utque huiusmodi monachi in exercitio muneris sibi concrediti Episcopis ipsis subiecti esse debeant, eisque rationem reddere de iniuncti sibi officii administratione, ita ut quicumque Regulares ad animarum curam et sacramentorum administrationem, ut supra, assumpti fuerint, in iis, quae ad utrumque huiusmodi ministerium pertinent, immediatae Episcoporum iurisdictioni, visitationi et correctioni subesse debeant, nunquam vero animarum curam suscipere possint, nisi antea opportunam eorumdem Episcopo-

rum approbationem obtinuerint, quam quidem hi, praevio eorum examine circa idoneitatem, si id necessarium et expediens esse iudicaverint, ipsi elargientur. Si autem aliquos ex monachis ad inserviendum ecclesiis cathedralibus assumi contingant, hos etiam, decretum fuit, in iis, quae ecclesiarum huiusmodi servitium divinumque cultum respiciunt, praedictorum Episcoporum iurisdictioni subesse debere.

Quas quidem omnes resolutiones, ut supra, captas nos tunc approbavimus et nunc iterum, praevia confirmatione supra citatae constitutionis nostrae *Inter plures*, quoad ea omnia, quae iisdem resolutionibus hucusque relatis contraria non sunt, praesentium literarum nostrarum tenore eas approbamus et confirmamus, atque omnimodae executioni mandari volumus et statuimus.

Quum vero, post praemissarum quaestionum examen atque definitionem, expositum nobis fuerit, nonnulla extare monasteria, gubernari olim solita per Abbates, qui inibi nominationem carissimi in Christo filii nostri Poloniae Regis, Magni Ducis Lithuaniae pro tempore existentis, seu etiam aliorum inferiorum patronorum, constituebantur, eaque nunc a Superioribus et monachis provinciae Lithuaniae in simplices superioratus conversa fuisse, nobisque proinde supplicatum fuerit, ut huiusmodi monasteria in pristinam abbatiarum dignitatem restitui, ac debita patronatus iura super illis, tum Regiae Maiestati tum aliis inferioribus patronis, illaesa manere iuberemus, providentes praeterea, ut quoties huiusmodi abbatias vacare contingat, earum administratio ad Metropolitanum deferatur seu ad Ordinarium loci, in cuius dioecesis finibus monasteria ipsa consistunt, donec legitima per patronos praesentatio expleta fuerit, Nos, qui ex una parte certam atque distinctam de praemissis scientiam non habemus, ex alia vero promptos atque paratos nos esse profiteamur ad ius suum unicuique reddendum, omnibus et singulis, qui in huiusmodi negotio ius aliquod sibi competere seu quavis ratione id sua interesse putabunt, denunciamus ac respective iniungimus, ut fundamenta iurium, quae super qualibet ex spradictis abbatibus sibi asserunt, nostro et Apostolicae Sedis Nuntio¹⁶³ distinctim exhibeant; eidem vero nunc et pro tempore existenti Apostolico Nuntio committimus, ut monumenta omnia, quae tum ab iis, qui huiusmodi monasteriorum patronatum sibi vindicare intendant, tum ab aliis, qui eorumdem libertatem propugnare conentur, sibi fuerint exhibita, ad Nos et Sedem Apostolicam transmittat, ut, omnibus visis atque perpensis, sive a nobis, sive a successoribus nostris Romanis Pontificibus, tam circa asserta nominandi seu praesentandi iura, quam super vacantium huiusmodi abbatiarum et monasteriorum administratione, prout iustum fuerit, definiatur et opportune provideatur.

Volumus autem, ut praesentium literarum exemplis, etiam typis impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXX Martii MDCCLVI, Pontificatus Nostri Anno XVI.

¹⁶³ Novus Nuntius Varsaviensis tunc temporis erat Nicolaus Serra (1754-1760).

748.

Romae, 14 . VII . 1756

*Indulgentia plenaria die commemorationis Beati Josaphat.**Bullae et Brevia, vol. II, p. 115-116.**Akty izdavajemyje..., vol. XVI, p. 186-187.*

BENEDICTUS PP. XIV. Universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere paenitentibus et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui aliquam ex ecclesiis Monachorum Or. S.B.M. Ritus Rutheni in Polonia et Lithuania existentibus, die 16 Mensis Septembris a primis vespere, usque ad occasum solis diei huiusmodi, singulis annis devote visitaverint et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem, ut, si pro impetratione etc. nullae sint. Utque praesentium literarum transumptis, etc. ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XIV Julii MDCCLVI, Pontificatus Nostri Anno decimosexto.

Pro Domino Card. Passioneo Ioannes Florius, Substitutus.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

CLEMENS PP. XIII
(6.16.VII.1758 — 2.II.1769)

venetus
(Carolus Rezzonico)

DOCUMENTA CLEMENTIS PP. XIII

749.

Romae, 30 . VI . 1759

Indulgentia plenaria in ecclesia SS. Petri et Pauli, Berestae, obtinenda, occasione Capituli Generalis Basilianorum.

Bullae et Brevia, vol. II, p. 135-136.

Akty izdavajemyje..., vol. XVI, p. 192-3.

CLEMENS PAPA XIII. Universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum sicut accepimus Capitulum Generale Monachorum Ordinis Sancti Basilii Magni Congregationis Ruthenorum in ecclesia Monasterii SS. Petri et Pauli Apostolorum, Ordinis et Congregationis huiusmodi, oppidi civitatis nuncupatae Brestensis, Luceoriensis Dioecesis, die decimasexta Mensis Septembris, benedicente Domino, celebrandum sit, Nos, ut opus tam pium maiori cum fructu fiat et ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus vere paenitent. et confessis ac Sacra Communione reffectis, qui praedictam, vel aliquam ex ecclesiis monasteriorum Ordinis et Congregationis huiusmodi ubicumque existen. die, quo inchoabitur Capitulum Generale huiusmodi, ac singulis diebus actualis illius celebrationis devote visitaverint, et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam semel dumtaxat omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus; praesentibus post celebrationem dicti Capituli Generalis minime valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione, etc. nullae sint. Utque praesentium literarum transumptis, etc. ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXX Junii MDCCLIX, Pontificatus Nostri Anno primo.

Pro Domino Card. Passioneo Joannes Florius, Substitutus.

750.

Romae, 1 . III . 1760

Metropolitae Kioviensi commendatur novus Nuntius Apostolicus benevolentiaeque Unioni confirmatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 138, fol. 83v-84.

Venerabili fratri Floriano¹ Archiepiscopo Kioviensi,
Haliciensi, Polociensi, totius Russiae Primati.

CLEMENS PP. XIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Etsi universi unitorum per Poloniam Ruthenae Ecclesiae pluribus argumentis notum esse debet, quo sit in pretio atque in amore apud Romanam Ecclesiam, nihilosecius tamen id ipsum Fr. Tuae testificari iussimus Ven. fratrem Antonium Vicecomitem², Archiepiscopum Ephesinum, quem nostrum et Apostolicae Sedis ordinarium Nuncium isthuc ablegavimus, mandantes insuper, ut quaecumque ab illius dignitate, vel auctoritate officia vel comoda proficisci queunt, lubenter tibi conferret, aliisque eiusdem Ritus Episcopis. Illud. (f. 34) autem vicissim a te maiorem in modum petimus, ut secum amicitia, benevolentia, atque fiducia iungaris, quo patebit adhuc magis obsequium Rutheni populi in Apostolicam Sedem, atque firmissima adhaesio Ruthenorum Antistitum in ea petra, quae fundamentum est catholicae unitatis. Cognosces autem in eodem Ven. fratre dignissimum Praesulem, summa natalium nobilitate, ecclesiasticorum politicorumque studiorum eruditione, aliisque virtutibus multis praeclarum, cuius propterea in orthodoxae fidei negotiis apte, feliciterque obeundis operam omnem tuam perhonorifice commodes. Erit hoc cum nobis gratissimum, tum vero etiam Ruthenae Ecclesiae utilissimum, pontificiamque benevolentiam nostram arctius tibi devinciet, in cuius pignus Apostolicam benedictionem peramanter largimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die prima Martii 1760, Pontificatus Nostri, Anno 2.

751.

In Arce Gandulphi, 1 . VI . 1760

Commissio revidendi causam vertentem inter familiam Olendzki et Monasterium Minscense.

ASV, *Brevia Lateranensia*, vol. 698, fol. 64rv, 79.

Dilectis filiis Ignatio Massalski, Archidiacono Ecclesiae Vilmensis, et Victorio Hryncewicz, Scholastico Ecclesiae Samogitiensis, et eorum alteri.

CLEMENS PP. XIII. Dilecti filii, salutem etc..

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Stephanus Olendzki eiusque uxor Francisca, nominibus de quibus in actis, Vladimirien. vel alterius civita-

¹ Florianus Hrebnykyj, Archiepiscopus Polocensis (1720-1762), deim ab anno 1748 Archiepiscopus seu Metropolita Kioviensis (1748-1762).

² Novus Nuntius Varsaviensis, Antonius Eugenius Visconti (Vicecomes) anno 1760-1766.

tis vel dioecesis, quod vertente lite et causa civili latius in actis specificata coram dilecto etiam filio Auditore Generali Nuntiaturae Apostolicae Regni Poloniae inter dictos Exponentes una et dilectum pariter filium modernum Abbatem ac Patres Ordinis S. Basilii Monasterii Minscensis uti haeredes quondam Augustini Lubieni, dum vixit Abbatis dicti Monasterii, adversis partibus ex altera, emanavit sententia in parte contra praedictos Exponentes, in qua dictus Auditor Nuntiaturae nulliter et iniuste declaravit constitisse et constare de debito florenorum polonicalium triginta octo millium centum sexaginta quatuor per quondam Palatinam Brestensem in solidum cum dicto Stephano contracto istumque propterea respective in solidum obligatum et praedictam Franciscam eius uxorem uti haerem eiusdem Palatinae teneri et obligatos esse itemque condemnandos ad solvendum dictis adversariis eorumque Monasterio supradictos florenos in praecipitata summa, restitutis tamen per eosdem adversarios Exponentibus praedictis omnibus clenodiis, gemmis aliisque rebus per dictam Palatinam ratione memorati contractus debitis et Abbati Minscensi in pignus datis et ad praesens per eosdem adversarios retentis ac reservata iisdem Exponentibus actione contra alios coheredes pro eorum revelatione ab omnibus damnis sine tamen praeiudicio aliarum provisionum Minscen. reservatarum et remissarum, exceptionesque allegatas tamquam nullas reiecit et dictos Oratores in expensas condemnavit, prout latius in dicta sententia continetur. Ideo iidem Exponentes ab huiusmodi sententia in parte et partibus praeiudicialibus contrariis ad Sedem Apostolicam intra legitima, ut ipsi asserunt, tempora appellarunt nobisque humiliter supplicari fecerunt, quatenus causam et causas appellationis et appellationum huiusmodi ac nullitatis ex rationibus iniquitatis et iniustitiae attentatorum et innovatorum quorumcumque nec non restitutionis in integrum prout de iure adiudicamus quaecumque praeiudicialia saltem cum clausula generali: si qua mihi iusta causa videbitur, ac quam et quas dicti Exponentes super praemissis contra praedictos adversarios omnesque alios sua interesse putent, habent et intendunt, aliquibus probatis viris illarum (f. 6v) partium in dignitate ecclesiastica constitutis et eorum cuilibet audiendi et decidendi committere aliasque eis in praemissis de opportuno iuris remedio subvenire paterna sollicitudine curaremus, Nos igitur unicuique iustitiam ut decet ministrari cupientes ac statum et merita causae et causarum huiusmodi praesentibus pro expressis habentes ipsosque Exponentes a quibusvis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati discretioni vestrae per praesentes committimus et mandamus, quatenus vos vel alter vestrum, vocatis ad id qui fuerint evocandi, causam et causas praedictas cum omnibus suis incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis et connexis totoque negotio principali summarie prout in causis beneficialibus procedi consueverit auctoritate nostra audiatis, cognoscatis, decidatis fineque debito terminetis. Nos enim vobis et vestrum alteri etiam per edictum publicum constituto de non tuto accessu dictos adversarios omnesque alios quos opus fuerit citandi illisque et quibus videbitur sub sententiis, censuris et poenis inhibendo ac inobedientes in illas incidisse servata forma concilii Tridentini declarandi, aggravandi, reagrandi et interdicendi, auxilium brachii saecularis, si ad hoc opus fuerit, invocandi, nec non attentata et innovata quaecumque, prout de iure, revocandi, fatalia quatenus durent arbitrio vostro et alterius vestrum prorogandi, quatenus vero lapsa sint dictos Exponentes adversus (g. 79) eorum lapsum, rem iudicatam, et alia quaecumque praeiudicialia in

integrum et prout de iure restituendi caeteraque in praemissis necessaria et opportuna faciendi, exercendi, et exequendi plenam et liberam Apostolica auctoritate tenore praesentium concedimus facultatem. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub Annulo Piscatoris, die XII Junii MDCCLX, Pontificatus Nostri Anno secundo.

C. BRUNER OFFICIALIS
C. OLIVARIUS

752.

Romae, 13 . III . 1761

Dispensatio ab impedimento aetatis ad recipiendos Ordines pro Basiliano Josepho Dzikovskyj.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 1502, fol. 59.

CLEMENS PP. XIII Dilecte fili, salutem etc.

Religionis etc. prosequamur. Cum itaque sicut nobis nuper exponi fecisti, tu, qui (ut asseris) Ruthenus ac ritu rutheno vivis et in sacro diaconatus ordine constitutus existis, fervore devotionis accensus ad reliquum sacrum presbiteratus ordinem quantocius promoveri summopere desideres, Nos te praemissorum meritorum tuorum intuitu, specialibus etc. volentes, et a quibusvis etc. censentes, supplicationibus tuo nomine etc. inclinati, tecum ut si et quando quatuordecim menses tantum tibi de aetate ad id a sacro Concilio Tridentino requisita defecerint, defectu huiusmodi non obstante, si nullum aliud canonicum tibi obstet impedimentum, et dummodo tu ad id reperiaris idoneus, servatisque alias servandis, ad dictum sacrum praesbiteratus ordinem ritu rutheno de Superiorum licentia promoveri et promotus in illo etiam in altaris ministerio ministrare libere, et licite possis, ac valeas, auctoritate Apostolica, tenore praesentium dispensamus. Non obstantibus constitutionibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 13 Martii 1761, Anno 3.

753.

Romae, 21 . IV . 1762

Exprobat Episcopum Volodimiriensem et hortatur, ut statui suo conformius se gerat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 139, fol. 143-144v, nr. 116.

Venerabili fratri Feliciano³, Episcopo Vladimiriensi.

CLEMENS PP. XIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Et litteris multorum, et omnium sermone perlatum est, Fraternitatem

³ Felicianus Philippus Wolodkowycz, Episcopus Chelmensis (1731-1758), dein Volodimiriensis et Coadiutor Metropoliae Kioviensis (1758-1778). Successio in Metropolia locum

Tuam in administranda ista Ecclesia opus Dei non modo negligenter, sed ita male ac praepostere agere, ut catholica res magnum, ac luctuosum detrimentum capere videatur. Cupimus ea, quae feruntur falsa omnino esse, et non possumus non profiteri, nobis id grave molestumque accidisse, cogitantibus praesertim regiones istas quo plus ab hac sanctissimae religionis Sede principe, ac magistra longissimo locorum intervallo distant, propiusque insidiis haereticae pravitatis expositae sunt, eo maiore (f. 143v) quodam praesidio et custodia egere, ut, si Episcopus ipsos, positos quasi munitissimos vallos, et muros pro Domo Dei Israel, labefactari intelligamus, nihil reliquum videamus, quod foedissimam impietatis eluvionem, et extremam catholicae gregis perniciem comprimere, ac retardare possit. At hoc tantum mali in Ecclesiam istam magno tuo cum dedecore adinvectum fuisse latiusque in dies grassari non sine maximo animi nostri dolore percepimus. Quem quidem dolorem diutius continere Nos non patitur sollicitudo omnium Ecclesiarum, qua urgemur, neque patitur Divini Iudicii metus, quod nobis appropinquare iam planeque instare sentimus, et in quo intelligimus Deo reddendam a nobis esse rationem de universo catholico grege, quem redemit sanguine suo.

(f. 144) Quare nostrae partes sunt serio monere Fraternitatem Tuam, et per viscera Iesu Christi hortari, ac plane etiam atque etiam rogare, ut hanc a te suspicionem quam longissime amoveas, teque Episcopum esse recorderis. Habes in hoc Episcopi nomine, ac munere unde te ipsum excites ad sarcientiam offensionem illam, si quam universae Ecclesiae, nobis, gregi isto tuo praesertim intulisti. Audi, quaeso, Venerabilis frater, patrem tui amantissimum, qui te licet absentem atque errantem, vocat tamen atque arctioribus caritatis vinculis complecti cupit. Aude in hisce literis vocem Iesu Christi, Principis Pastorum, et suas tibi concreditas oves ad sinum misericordiae suae reducas optimo exemplo suo. Hoc abs te postulat atque exigit causa religionis (f. 144v) atque etiam salutis tuae sempiternae.

Nos ne muneri nostro deessemus hasce ad te literas paternae sollicitudinis testes collachrimantes scripsimus, nec non Venerabili fratri Archiepiscopo Ephesino⁴, ad carissimum in Christo filium nostrum Poloniae Regem Illustrem nostro et Apostolicae Sedis Nuntio in mandatis dedimus, ut in mores vitamque tuam, et istius Dioecesis administrationem diligentissime inquireret, nobisque accurate referat omnia. Speramus in Domino meliora de te quidem relaturum, ne cogamur cum Fraternitate Tua agere severius eaque consilia capere, quae canonicis legibus praescribuntur. Atque interea Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis frater, peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 21 Aprilis 1762, Pontificatus Nostri Anno quarto.

habuit anno 1762. Vixit temporibus difficillimis et turbulentis. Inde iudicia de eius activitate pastorali in sede metropolitana Kioviensi valde discordant. Documenta huius periodi copiosa, sed bibliographia in genere, et de persona Wolodkowycz in specie, fere nulla.

⁴ Antonius Eugenius Visconti (1760-1766).

753*

Romae, II . VI . 1762

Confirmatur concordia inter Archiepiscopum Polocensem et PP. Soc. Jesu Polocenses.

Bullarii Romani Continuatio, vol. IV, pars I, p. 645-648, nr. 284.
DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 77-79, nr. 30.

CLEMENS PP. XIII. Ad futuram rei memoriam.

Laudabile Romanorum Pontificum, Praedecessorum nostrorum, institutum, ut si quas super quibusvis negotiis emergere et erumpere perspexissent contentiones, lites ac disceptationes, statim Apostolica auctoritate et providentia dirimerent componerentque, eo maiori studio tenere ac sectari nos in sacrosancti apostolatus specula constitutos decet, qui dum in minoribus constituti eramus, nihil curavimus impensius, quam e medio sublatis contentionum, litium, disceptationumque forensium dissidiis ac tricis per solam liquidamque veritatis inspectionem, ius suum unicuique tribueretur, ac iustitia et pax se se invicem oscularentur.

Cum, sicut accepimus, lis et controversia, quae inter venerabilem fratrem Florianum unitorum ritus Graeci Ruthenorum Archiepiscopum ex una, et dilectos filios Clericos regulares Societatis Iesu Collegii Polokensis ex altera partibus, de et super donatione quorundam bonorum, a clarae memoriae Stephano Battori dum vixit Poloniae rege illiusri anno MDLXXXII pro fundatione ipsius Collegii assignatorum, eidem Societati facta, et anno MDCV a bo. me. Bernardo S.R.E. Cardinali Maciejowski nuncupato, tunc temporis huius Sanctae Sedis in Regno Poloniae de latere Legato confirmata et approbata, per plures annos coram causarum palatii Apostolici auditorio orta vi-gebat, aliquot ab hinc annis reiudicata dirempta finitaque remanserit.

Deinde dissentionum, quae offensionibus hominibus erant, et querimoni- arum tollendarum causa, fel. rec. Benedictus Papa XIV, Praedecessor noster, Venerabili fratri nostro Ioanni Francisco Episcopo Sabinensi S.R.E. Cardinali Albano nuncupato dedit in mandatis, ut quibuscumque rationibus recte posset partes praedictas inter se dissidentes in pristinam concordiam pacemque reducere. Id cum dictus Ioannes Franciscus Episcopus et Cardinalis, in humanis adhuc agente Benedicto Praedecessore praedicto, consequi nequivisset, hortatu deinceps nostro hoc rursus sibi negotium suscepisset, investigando, consulendo deliberandoque in eam demum sententiam venit, ut restituendae concordiae quosdam articulos opportunos fore iudicaret, quos quidem articulos cum carissimus in Christo filius noster Fridericus Augustus Poloniae rex illustris diligenter expenderit, censuit ea ratione pacem concordiamque restitui constabiliri que posse.

Itaque nos, cui maxime cordi est, ut, contentionibus sublatis, animorum coniunctio et inter ministros ecclesiasticos pax servetur, quae magnam afferre populis christianis queat spiritualium in primis commodorum partem, quantum cum Domino possumus, ad testatissimum detrimentum ambabus ex sumptibus tot litium per plurium annorum spatium defensorum et tot causarum propositionum fere omnium in damnum colligantium illatum propulsandum

reparandumque prospicientes, atque benigne providere cupientes, aliisque iustis ex causis animum nostrum moventibus adducti, procedentesque iuxta memoratos articulos, a memorato Ioanne Francisco Episcopo et Cardinali propositos, et a dicto Friderico Augusto rege admissos approbatosque, nec non donationis tenorem, ac controversiae, seu litis et causae, ac sententiarum inde ab auditorio praedicto latarum huiusmodi statum et merita, nominaque, et cognomina, ac qualitates iudicum et collitigantium, et alia quaecumque etiam specificam et individuum mentionem et expressionem requirentia praesentibus pro plene et sufficienter insertis, expressis et specificatis habentes, Motu proprio, ac ex certa scientia et matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, quascumque lites et causas super praemissa donatione quorumcumque honorum stabililium cuiuscumque qualitatis et speciei, a memorato Stephano Poloniae rege ad construendum fundandumque ac manutenendum suprascriptum Collegium Societatis Iesu Polokense anno MDLXXXII eidem Societati, ut praefertur, facta, inter memoratum Florianum Archiepiscopum ac clericos regulares eiusdem Societatis Iesu coram auditorio praedicto aliisque etiam iudicibus et tribunalibus motas et pendentes in statu et terminis, in quibus de praesenti reperiuntur, ad nos harum serie cum suis emergentibus, annexis et connexis avocamus, illasque sic avocatas, motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine paribus, perpetuo supprimimus et extinguimus, perpetuumque silentium imponimus, ac donationem omnium et quorumcumque honorum in instrumento ea super re ab eodem Stephano rege confecto contentorum, ob idem Collegium Polokense extruendum, ad favorem dictae Societatis Iesu, sicut praemittitur, factam, et a suprascripto Bernardo Cardinali, eo tempore huius Sanctae Sedis in Regno Poloniae de latere Legato, confirmatam et approbatam, et postmodum in contractorio iudicio reiudicata supra dicti auditorii tribus sententiis adsertam atque firmatam, quarum sententiarum prima coram bo. me. Pompeo, dum vixit eiusdem S.R.E. Cardinale Aldrovandi, tunc temporis causarum palatii Apostolici praedicti auditore die XIV Iulii MDCCXXXIX post tres decisiones, quarum prima die XXI Iunii, altera die IV Octobris MDCCXXXVI coram cognominato Cornelio, tunc etiam auditore, tertia denique coram eodem Pompeo die VII Februarii MDCCXXXIX editae fuerunt, huiusmodi autem sententia cum in rem transiisset iudicatam, reliquae duae sententiae huiusmodi in iudicio restitutionis in integrum prodierunt, quibus res eadem iudicata confirmata remansit; atque harum quidem duarum sententiarum altera lata fuit coram bo. me. cognominato Gamaches die XI Februarii MDCCXXXII post decisionem coram ipsomet Gamaches editam die XXIII Novembris MDCCXXXI, altera coram bo. me. cognominato quoque Vicecomite die II Aprilis MDCCLIII, post tres decisiones coram eodem cognominato Vicecomite XIV Maii MDCCLI, XXIV Ianuarii MDCCLII et respective diebus XIX Ianuarii MDCCLIII editas; reliqua vero est, quae coram dilecto filio nostro Caietano S.R.E. praedictae presbytero Cardinale Elephantutio nuncupato, tunc pariter temporis causarum palatii Apostolici huiusmodi auditore, die XXVII Martii MDCCLIV edita fuit, postquam a signatura nostra iustitiae rescriptum fuerat « Parito Iudicato », motu, scientia, deliberatione, et potestatis plenitudine similibus, approbamus et confirmamus, omnesque iuris et facti defectus, si qui desuper in praemissis intervenerint, supplemus et sanamus, dictumque collegium

illiusque bona quaecumque tam mobilia quam immobilia, et quibusvis rebus consistentia, ac superiorem clericosque regulares, aliasque personas in eo pro tempore existentes, sub nostrae et huius Sanctae Sedis protectione recipimus et admittimus.

Ac insuper motu, scientia ac deliberatione, et potestatis plenitudine paribus volumus, decernimus et declaramus, ut residuum impensarum, ad quod secundum taxam a supradicto cognominato Vice-comite auditore peractam confirmatamque, deinceps coram praedicto Caietano Cardinali tunc auditore die XXVII Martii supradicti anni MDCCLIV, ob susceptam litem, dictus Florianus Archiepiscopus teneretur, condonatum et remissum intelligantur; neque vero id solum, sed etiam ut sibi mutuo partes attentata, vulgo ut dicitur, ignoscant atque remittant usque ad publicationem praesentium nostrarum literarum; insuper omnes contentiones, seu controversias, iura, aut praetentiones, quas utraque pars de et super reparatione damnorum et expensarum obtendere posse videatur, penitus cessent per praesentes, et cessare intelligantur eo ipso.

Demum Venerabili fratri Antonio Eugenio Archiepiscopo Ephesino, moderno, seu pro tempore existenti apud eundem Fridericum Augustum regem nostro et Sedis Apostolicae praedictae Nuntio. per praesentes committimus et mandamus, ut in finitimis conterminisque utriusque partis praedictae agris praediisque aliisque bonis stabilibus terminos constitui ac apponi facere curet, quemadmodum auditorii saepedicti decretis constitutum fuit, praesertim eo decreto, quo die XXVII Ianuarii MDCCXLVII a memorato cognominato Vice Comite, auditore, conditum vulgatumque fuisse reperitur. Termini vero eidem communi utriusque collitigantium impendio intra tres annos a praesentium nostrarum literarum publicatione constituendi et pangendi sint, dummodo hoc temporis intervallo inter partes easdem aliter conventum non fuerit; et si contingat interea partes praedictas super praemissis convenire et pacisci, pactum seu conventio inter se inita a nobis seu Romano Pontifice pro tempore existente approbari et admitti debeat, alioquin nulla sit, et esse intelligatur.

Decernentes easdem praesentes literas, ac in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet etiam cuiusvis status, gradus, ordinis, praeeminentiae et dignitatis, aut alias etiam specifica et individua mentione et expressione digni in praemissis forsitan ius et interesse habentes, seu habere quomodolibet praetendentes, illis non consenserint; nec ad ea vocati, citati et auditi, neque causae, propter quas ipsae praesentes emanarint, sufficienter adductae, verificateae et iustificatae fuerint, aut ex alia quacumque, quantumvis iuridica, pia, legitima et privilegiata causa, colore, prae-textu et capite, etiam in corpore iuris clauso, etiam enormis, enormissimae, et totalis laesionis, nullo unquam tempore de subreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostrae, aut interesse habentium consensus, alioque quolibet etiam quantumvis magno et substantiali defectu notari, impugnari, infringi, retractari, in controversiam vocari, ad terminos iuris reduci, seu adversus illas aperi-tionis oris, restitutionis in integrum, aliudque quodcumque iuris vel facti, aut gratiae remedium intentari, vel impetrari, aut impetrato paribus concessio, vel emanato, quempiam in iudicio et extra illud uti, et se iuvare ullo modo posse, sed ipsas praesentes literas semper et perpetuo firmas, validas et ef-

ficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari et inviolabiliter observari et adimpleri; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, et dictae Sedis Nuntios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstante nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XI Iunii MDCCLXII, Pontificatus Nostri Anno IV.

754.

Romae, 4 . XII . 1762

Hortatur Rex ne novum nomet Mohiloviensem Episcopum non unitum.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 139, fol. 89v-92, nr. 33.

Bullarii Romani continuatio, vol. IV, pars I, p. 720-721, nr. 321, Prati 1842.

Carissimo in Christo filio nostro Augusto,
Poloniae Regi Illustri⁵.

CLEMENS PP. XIII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Makilowiensem⁶ Ecclesiam ab Archiepiscopatu (f. 90) Polocensi Schismaticorum opera, qui, adhibitis Moschorum officiis, eam a multo tempore invaserunt, diu est cum Apostolica Sedes deplorat avulsam. Nam felix recordationis Benedictus XIV ad regiam Maiestatem Tuam⁷, et multo antea Benedictus XIII ad gloriosae memoriae Augustum Regem⁸, inclytum patrem tuum, querelas ea de re suas detulerunt. Sed modo coorti tum temporis bellorum motus, modo quae a Moschis opponebantur formidines, vestra de illo Episcopatu a Schismaticorum manibus vindicandum, semel atque iterum praeclara fregere consilia. Nunc autem Venerabilis frater Jason⁹, Archiepiscopus Polocensis, occasionem ad quam semper fuit intentus, oblatam sibi existimat Makilowiensis Episcopatus recuperandi, (f. 90v) cum eius Ecclesiae invasorem Petropolim accersitum fama est illinc non amplius discessurum; ab ea tamen interea sollicitari Schismaticum quemdam nomine Ilnicki¹⁰, Hegumenum

⁵ Augustus III, Rex Poloniae (1733-1763).

⁶ Agitur de Ecclesia Mohiloviensi in Bielarussj. Civitas Mohyliv dein Sedes etiam erat Metropolitae Ritus Latini (1784). Nostro tempore agitur solummodo de Sede Episcopali Ritus Orientalis.

⁷ Augustus III (1733-1763). Cfr. supra sub data 16.IX.1740, nr. 695.

⁸ Augustus II, Rex Poloniae (1698-1733). Cfr. supra sub data 1.V.1728, nr. 669.

⁹ Jason Junosza Smogorzewskyj, Archiepiscopus Polocensis (1762-1780), dein Metropoli Kioviensis (1780-1786).

¹⁰ Episcopus non Unitus Bielarussjæ tunc temporis erat Georgius Konyskyj (ab an. 1755), qui ab anno 1768 nominabatur Episcopus Mstislaviensis, Oršanensis et Mohiloviensis. Hoc anno decreto Synodi Petropolitanae evectus est ad dignitatem Archiepiscopalem. De nostro Hegumeno nihil dicit nobis historia eiusdem Eparchiae.

Makilowiensem, ut a regia Maiestate Tua ad eam Ecclesiam studeat se nominari. Et nobis quidem ipse Archiepiscopus literas dedit, quibus Nos impensissime rogat, ut nostra apud regiam Maiestatem Tuam adhibeamus officia, ne cuiquam interea Schismatico regiae nominationis diploma concedas, dum ille eo temporis spatio, quod illi praefinieris, ea documenta possit conquirere, quibus exploratissima sua in illam Ecclesiam iura confirmet. Hoc ille a regia Maiestate Tua postulat, quo nihil aequius petere potest, nihil moderatius. Verum causam Dei ipsi nobis deserere (f. 91) videremur, si regiam Maiestatem Tuam ad tantum ulcus Makilowiensis Ecclesiae tam vetus, tamque pestiferum, quovis adhibito medicamento, sanandum non excitaremus. Nos (quod postulat Polocensis Archiepiscopus) Maiestatem Tuam rogamus, ut tantisper dum ille Ecclesiae suae causam instruit, Schismatico postulanti regiam nominationem retardes, sed regiam tuam in Deum fidem, tuumque in orthodoxam religionem flagrantissimum studium obtestantes, Maiestatem Tuam quam maxima nostri animi contentione obsecramus, ut nullo modo cuiquam unquam catholici nominis inimico nominationis diploma concedas. Ne, quaesumus, patiare amplius, carissime in Christo fili noster, lupos in illum gregem grassari, et strages diutius (f. 91v) edere. Satis cladium in animas Christi sanguine redemptas per hos tres et sexaginta annos illatum est, ex quo Schismatici in miseram illam Ecclesiam irruerunt.

Est igitur regiae pietatis, et in orthodoxam Ecclesiam laudatissimi zeli tui, dato diplomate privilegiis Antecessorum tuorum inhaerere, Makilowiensem Ecclesiam e Schismaticorum, quo a tam longo tempore premitur iugo, subductam Polocensi Archiepiscopo restituere. Tuaque praecipua laus erit tam multas animas ex ore et faucibus Diaboli ereptas ad gregem Domini reduxisse. Haec pro pastoralis notro munere, non sine magna nostri sollicitudine Maiestati Tuae scribere volumus, ea nobis proposita spe, futurum, ut hac Apostolica cohortatione nostra digni pietate tua (f. 92) fructus existant. Denique Maiestati Tuae omni paternae nostrae erga illam caritatis sensu Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae etc. die 4 Decembris 1762, Pontificatus Nostri Anno quinto.

755.

Romae, 4 . XII . 1762

In negotio Ecclesiae Mohiloviensis litterae responsoriae ad Archiepiscopum Polocensem.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 139, fol. 92-93v, nr. 34.

Bullarii Romani continuatio, vol. IV, pars I, p. 721, nr. 323.

Venerabili fratri Jasoni, Archiepiscopo Polocensi.

CLEMENS PP. XIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Accepimus Fraternitatis Tuae litteras, datas die XXV Septembris, quibus nostra petis ad carissimum in Christo filium nostrum Augustum Poloniae Re-

gem Illustrem officia, ne quemquam nominatum velit ad Makilowiensem (f. 92v) Ecclesiam, antequam ipse conquisitis documentis demonstraveris, Polocensi Archiepiscopatu eam esse reddendam Ecclesiam. Nos non tam petitionem istam tuam, datis ad eundem Regem litteris adiuvamus, sed vehementer etiam eius Maiestatem in Domino cohortati sumus, ut Makilowiensem Ecclesiam, Schismaticis ab eius regimine depulsis, Polocensi, cui ab anno 1619 unita fuit, aliquando restituat.

Quod autem scribis cupere te, ne a Clericis Regularibus Societatis Jesu excitatis litibus¹¹ impedire, ut huic recuperandae Makilowiensi Ecclesiae tibi non liceat operam dare negotio, comperimus quod et ipse scire debes, lites omnes quae Praedecessori tuo fuerunt cum iisdem Clericis Regularibus per nostras litteras in forma Brevis ante hos sex menses esse diremptas; idque tantum ex ea lite superesse, ut honorum, de quibus fuit tandiu, tantopere disceptatum, fines intra annos tres communi partium consensu, et, si opus sit, etiam Apostolici nostri Nuntii imperio terminentur.

Vides igitur satis otii tibi dari, ut causam de Makilowiensi Episcopatu tranquille possis instruere. Novas autem lites in posterum exituras adhuc ne minime quidem suspicio est. Quamobrem, pacato animo in hanc rem sedulo incumbere, cuius illum exitum optamus, qui et Makilowiensi Ecclesiae salutem, Tuaeque Fraternitati praecipuam afferat laudem. Denique nostrae erga te benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 4 Decembris 1762, Pontificatus Nostri Anno V.

756.

Romae, 18 . XII . 1762

Provisio Ecclesiae Kioviensis de Coadiutore cum futura successione in persona Leonis Szeptyckyj, Ep. Leopoliensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3661, fol. 290-292v.

APF, *Scrut. rif. n. Congressi: Moscovia etc.*, vol. 9, fol. 148-151.

CLEMENS Episcopus Servus servorum Dei. Venerabili fratri Leoni Ludovico Szeptycki¹², moderno Episcopo Leopoliensi et Chelmensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Romanus Pontifex in potestatis plenitudine a celesti Pastore constitutus etc. proficere valeant incrementis. Sane Venerabili fratri Feliciano

¹¹ Archiepiscopi Polocenses cum PP. Soc. Jesu iam inde a temporibus Floriani Hrebnyckyj in lite erant. Anno 1762 lis haec dirempta est Sedis Apostolicae interventu.

¹² Leo Ludovicus Szeptyckyj, ex nota, nobili et pervetusta familia, quae saeculo hoc XVIII plures dedit Ecclesiae Catholicae Orientali et etiam Latinae Episcopos. Leo Szeptyckyj erat Episcopus Leopoliensis ab an. 1749 (usque 1779). Anno 1762 nominatus est Coadiutor Metropolitae Kioviensis cum iure successionis. Iure hoc revera Metropolitae Feliciano Philippo Wolodkowycz anno tandem 1778 successit, sed iam anno sequenti obiit (13.V.1779). Cfr. J. PELESZ, *op. cit.* vol. II, p. 569-571.

Wolotkowicz¹³, moderno Archiepiscopo Kiovien. et Halicien. Ritus Graeci Ruteni, attenta eius ingravescente aetate et adversa valitudine, ob quas ad episcopalia aliaque pastoralia munia obeunda prorsus impar redditus est, ne Ecclesiae Kiovien. et Halicien. Ritus praefati invicem perpetuo canonice unitae, quibus idem Felicianus Archiepiscopus praees, aliqua in spiritualibus et temporalibus detrimenta patiantur, de Coadiutore idoneo cum futura in dictis Ecclesiis Kiovien. et Halicien. successione providere cupientes, Nos, post deliberationem quam de deputando in Coadiutorem huiusmodi personam utilem ac etiam fructuosam cum Venerabilibus fratribus Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus (f. 148v) habuimus diligentem, demum ad te, qui Ecclesiis Leopoli. et Chelmen. Ritus praedicti etiam invicem perpetuo canonice unitis laudabiliter praees, munus consecrationis suscepisti, pontificalia officia et alia episcopalia munia exercuisti, quique Fidem Catholicam iuxta articulos iam pridem a Sede Apostolica propositos expresse professus es, et pro quo Charissimus in Christo filius Fridericus Augustus, Poloniae Rex Illustris, nobis ad hoc per suas litteras supplicavit, direximus oculos nostrae mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, te a quibusvis etc censentes, te eidem Feliciano, Archiepiscopo, in Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. quoad vixerit ac praedictis Ecclesiis profuerit in spiritualibus et temporalibus cum plena, libera et omnimoda facultate, potestate et auctoritate omnia et singula quae ad huiusmodi Coadiutoris officium de iure, usu consuetudine, aut alias quomodolibet spectant et pertinent faciendi gerendi et ordinandi, ac pontificalia omnia in Civitatibus et Dioecesibus Kiovien. et Halicien. Ritus huiusmodi exercendi, expresso eiusdem Feliciani, Archiepiscopi, ad hoc eccedente consensu, de eorumdem fratrum nostrorum consilio Apostolica auctoritate constituimus et deputamus, nec non cedente vel decedente eodem Feliciano, Archiepiscopo, seu dictis Ecclesiis Kiovien. et Halicien. quovis modo etiam apud Sedem Apostolicam vacantibus, etiamsi tempore vacationis huiusmodi dictum Coadiutoris officium exercere non inceperis, aut per te steterit quominus illud exercueris, ex nunc prout ex tunc et e contra eisdem Ecclesiis Kiovien. et Halicien. de persona tua de simili consilio Apostolica auctoritate praedicta providimus, teque dictis Ecclesiis Kiovien. et Halicien. in Archiepiscopum et Pastorem praefectum esse et fore decernimus, curam, regimen et administrationem dictarum Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, firma spe fiduciaque conceptis, quod dextera Domini tibi assistente propitia praedictae Ecclesiae Kiovien. et Halicien. per circumspectionis industriam et studium fructuosum regentur utiliter et prospere dirigentur ac grata in eisdem spiritualibus et temporalibus suscipient incrementa.

Quocirca Fraternitati Tuae per Apostolica scripta mandamus quatenus curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite, fideliter et prudenter, quod exinde sperati fructus adveniant et tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur. ipseque Ecclesiae Kiovien. et Halicien. Gubernatori provido et fructuoso Administratori gaudeant se com-

¹³ Felicianus Philippus Wolodkowycz, Episcopus Chelmensis (1731-1758), dein Volodimiriensis (1758-1778), et Metropolita Kioviensis (1762-1778). Obiit an. 1778 Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 499 sq.

missas, tuque praeter aeternae retributionis premium nostram et dicte Sedis benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis.

Nec non Venerabilibus fratribus nostris universis Suffraganeis etc. observari.

Rogamus quoque et hortamur attente eundem Fridericum Augustum Regem quatenus te et praedictas Ecclesias etc. actio gratiarum.

Praeterea ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam etc. ut Coadiutoris officio huiusmodi durante una cum praedictis Ecclesiis Kiovien. et Halicien. praedictas Ecclesias Leopoliem. et Chelmen. Ritus praedicti, quibus ad praesens praeesse dignosceris, ut prius, ad nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum retinere ac illarum regimen et administrationem tam in spiritualibus quam temporalibus exercere illarumque fructus, redditus et proventus percipere, exigere et levare ac in tuos usus et utilitatem etiam ut prius convertere libere et licite possis et respective valeas.

Non obstantibus quibusvis etc. attentari.

Volumus autem quod Leopoliem. et Chelmen. Ecclesiae¹⁴ praedictae in spiritualibus non defraudentur et in temporalibus detrimentum non substineant, sed earum congrue supportentur onera consueta.

Volumus etiam quod Tu antequam officium Coadiutoris huiusmodi exercere incipias seu successioni huiusmodi loco facto regimini et administrationi dictarum Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. te in aliquo immisceas, in manibus alicuius catholici Antistitis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis et in illis partibus commorantis fidelitatis debitae solitum iuramentum, iuxta formam praesentibus adnotatam, prestare etc. recipere curet. Volumus quoque quod tu etiam Coadiutoris officio huiusmodi durante ab alienatione qualibet bonorum etc. reddere tenearis. Volumus praeterea quod successioni huiusmodi loco facto, tu Domus Archiepiscopalis reparationi pro viribus incumbas conscientiam tuam super his onerando.

Forma autem iuramenti quod prestabis haec est: Ego Leo Ludovicus Szeptycki, Episcopus Leopoliem. et Chelmen. Ritus Graeci Rutheni, Coadiutor datus per Sedem Apostolicam Reverendo in Christo Patri Feliciano Wolotkowiez (f. 150v), Archiepiscopo Kiovien. et Halicien. et futurus illarum Archiepiscopus, ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro Sanctaeque Apostolicae Romanae Ecclesiae etc. incurrere volo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominice Millesimo septingentesimo sexagesimo secundo, tertio decimo Kalendas Januarii, Pontificatus Nostri Anno quinto.

¹⁴ Error ex inadvertentia scriptoris. Debet esse Camenecensis, quae Ecclesiae Leopoliensi perpetuo unita erat. Episcopus Chelmensis hoc anno erat Maximilianus Rylo (1759-1785).

757.

*In Arce Gandulphi, 6 . VI . 1763**Appellatio in causa vertente inter PP. Benedictinos et Curiam Episcopalem Pincensem de iuribus parochialibus.*ASV, *Brev. Lat.*, vol. 708, fol. 77rv.Venerabilibus fratribus Vlnensi et Luceoriensi ac Samogitiensi Episcopis,
sive dilectis filiis eorum Officialibus et eorum cuilibet.

CLEMENS PP. XIII. Venerabiles fratres sive Dilecti filii, salutem etc..

Exponi nobis nuper fecerunt Abbas et Religiosi Monasterii Herodiscensis, Ordinis S. Benedicti Vlnensis civitatis vel dioecesis, quod introducta lite et causa in Tribunali Nuntiaturae Apostolicae Regni Poloniae inter dictos Exponentes ex una et dilectos etiam filios fiscalem Curiae episcopalis Pincensis Ritus Graeci uniti, et Parochum Ruthenum adversarios partibus ex altera, de et super exercitio diversorum iurium parochialium et super pertinentia villarum Horodyszczce et Zajezierze ad Parochiam Poczajowiensem dicti Monasterii seu potius ad Parochiam Kupiaticzensem Ritus Graeci uniti ac super pertinentia Cappellae Wylazen. et nonnullorum fundorum latius in actis specificatorum rebusque aliis in actis causae et casarum huiusmodi latius deductis, dilectus pariter filius Auditor dicti Tribunalis Nuntiaturae protulit sententiam contra praedictos Exponentes, in qua nulliter et iniuste declaravit dictis Exponentibus sive eorum Parocho non licuisse neque licere baptizare infantes, sepelire cadavera, matrimonia benedicere, litterasque praesentationis Parocho Poczajowiensi concedere super dictis villis Horodyszczce et Zajezierze minusque eorum subditos et agros attribuere sibi posse pro damnis ob exercitium dictorum iurium parochialium illatis dicto Parocho Rutheno eosdemque Exponentes eorumque Monasterium condemnavit ad solvendum centum florenos, ipsosque obligavit ad restituendos Venerabili fratri Episcopo Pincensi subditos et agros controversos, tum Cappellam Wilazen. cum omnibus supplicilibus et fundis ad illam spectantibus, prout latius in dicta sententia continetur. Ideo Exponentes praedicti ab huiusmodi sententia caeterisque gravaminibus sibi illatis uti notorie lesi et gravati ad Sedem Apostolicam intra legitima, ut ipsi asserunt, tempora appellarunt, Nobisque humiliter supplicari fecerunt, quatenus causam et causas appellationis et appellationum huiusmodi ac nullitatis ex rationibus iniquitatis et iniustitiae etc. (*cfr. sub data 12.VI.1760*). quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub Annulo Piscatoris, die VI Junii MDCCLXIII, Pontificatus Nostri Anno quinto.

C. BRUNER OFFICIALIS

C. OLIVARIUS

758.

Romae, 3 . IV . 1764

Clemens PP. XIII Nuntio Apostolico Varsaviensi committit, ut Synodo Ruthenorum celebranda praesideat.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3547, fol. 1rv, 6.
ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 99, fol. 5 (orig.).

Venerabili fratri Antonio Eugenio Archiepiscopo Ephesino¹⁵,
nostro et Apostolicae Sedis in Regno Poloniae Nuntio.

CLEMENS PP. XIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum, sicut accepimus, Venerabilis frater modernus Metropoli-
tae Rus-siae¹⁶ una cum Venerabilibus etiam fratribus Episcopis ruthenis unitis Syno-
dum super rebus ad eius Metropolitanam, aliasque Ecclesias ruthenas spec-
tantibus prope diem celebrare intendat, Nos Synodum huiusmodi recte et
feliciter ad Dei gloriam, dictarumque Ecclesiarum utilitatem celebrari cu-
pientes, te, de cuius prudentia, integritate et religionis zelo plurimum in
Domino confidimus, in praedicta Synodo nostro, et Apostolicae Sedis nomine
Praesidentem cum auctoritate, facultatibus, iurisdictione, honoribus, et one-
ribus similibus Praesidentibus competentibus, ac alias solitis et consuetis,
Apostolica auctoritate tenore praesentium facimus, constituimus, et depu-
tamus, teque in Domino hortamur, et monemus, ut Synodum huiusmodi fide-
liter regere, ac in illa omnia, quae ad prosperum praedictarum Ecclesiarum
regimen, et gubernium pertinet decerni, statui, et ordinari cures, et facias,
ita tamen, ut ea, quae in eadem Synodo decreta, statuta, et ordinata erunt,
in suspenso remaneant, illorumque executio, donec a Congregatione Venerabi-
lium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei
praeposita, examinata et approbata non fuerint, differi debeat¹⁷.

Mandantes propterea in virtute sanctae obedientiae praedictis Metro-
polita, et Episcopis, ac dilectis filiis Clero in praedicta Synodo congregatis,
aliisque, ad quos pertinet, ut te in eiusdem Synodi nostro, et praedictae Sedis
nomine Praesidentem reverenter suscipiant, tibi in omnibus ad Praesi-
dentis officium pertinentibus pareant, obediant, et assistant, tuaque salubria
monita, et iussa humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent.

Non obstantibus Constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ac, qua-
tenus opus sit, Ecclesiarum huiusmodi etiam iuramento, confirmatione Apos-
tolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus, privi-
legiis quoque, indultis, et litteris Apostolicis in contrarium praemissorum
quomodolibet concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus et singulis

¹⁵ Antonius Eugenius Visconti, Nuntius Varsaviensis (1760-1766).

¹⁶ Felicianus Philippus Wolodkowycz (1762-1778).

¹⁷ Synodus « non celebrata » permansit, ob interventum potestatis saecularis, Regis
nempe Poloniae, qui in illa suos habere voluit Legatos, eiusque Acta et Decreta inspicere.
Hanc ob causam Metropolita Synodum revocavit. Cfr. opus S. WŁWCZARUK, *De « Synodo
non celebrata » an. 1765, Romae 1952 (Dissert.)*.

eorum tenores praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxit, specialiter, et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die III Aprilis MDCCLXIV, Pontificatus Nostri Anno sexto.

CARD. ANTONELLUS

759.

Romae, 20 . VIII . 1764

Tres appellationes ex Eparchia Kioviensi contra sententias Consistorii Archiepiscopalis et Tribunalis Nuntiaturae. Ut videtur, agitur de causis ecclesiasticis Ritus Orientalis.

ASV, *Brev. Lat.*, vol. 708, fol. 326-328.

Venerabili fratri Archiepiscopo Leopoliensi sive
Dilecto filio eius Officiali.

CLEMENS PP. XIII. Venerabilis frater, sive Dilecte fili, salutem etc.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Simeon Lomikowski, ut asseritur, Parochus ecclesiae Annuntiationis B. M. Virginis Dzunzoviensis, Kioviensis dioecesis et Parochianaliarum ecclesiarum Dzunzovien, dictae Dioecesis ac fiscalis Consistorii Curiae Archiepiscopalis Kyovien, eidem adhaerens, quod introducta lite et causa in Consistorio Archiepiscopali Kyovien, ad instantiam dictorum Exponentium contra dilextos etiam filios Constantinum Paulowski, Parochum, et Josephum etiam Paulowski, Vicarium parochialis ecclesiae S. Michaelis Dzunzovien, eiusdem Dioecesis adversarios partibus ex altera, de et super mala et scandalosa vita dictorum adversariorum eorumque conversatione suspecta et infascinationibus nec non alienatione rerum ecclesiae aliisque demeritis et excessibus latius in actis specificatis, emanavit sententia contra praedictos adversarios, in qua sententia praedictum Consistorium Kyovien, praemissis anterioribus canonicis monitionibus pro exigentia probatorum demeritorum eosdem adversarios condemnavit, punivit et multavit ac a beneficio parochiali dictum Constantinum et praedictum Josephum Vicariatu amovit et relegavit, prout latius in actis in dicta sententia continetur, adversus quam sententiam appellarunt praedicti adversarii ad Tribunal Nuntiaturae in Regno Poloniae. Verum quod dictum Tribunal Nuntiaturae non solum praedictos adversarios nulliter et iniuste absolvit, et liberavit ab iniunctis penis et multis, verum etiam eosdem ad beneficia per eos possessa reintegrari mandavit, prefixo ad id spatio sex dierum sub poena censurarum per aliam sententiam definitivam. Ideo Exponentes ab huiusmodi sententia uti notorie lesi et gravati ad Sedem Apostolicam etc. (*prout sub data 12.VI.1760, mutatis mutandis*)... contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiore, sub Annulo Piscatoris, die XX Augusti MDCCLXIII, Pontificatus Nostri Anno septimo.

C. BRUNER OFFICIALIS
C. OLIVARIUS

760.

Romae, 22 . VIII . 1764

*Similis appellatio ex eadem Eparchia.*ASV, *Brev. Lat.*, vol. 708, fol. 327rv.

CLEMENS PP. XIII. Venerabilis etc.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Bernardus Pruszynski, Dapifer Staroduboviensis et honorum Korowinczyki possessor, et Josephus Chelminski, Thesaurarius Wiechovien. et honorum Turzczinowka Commissarius Kyovien. Dioec. nec non fiscalis Curiae Archiepiscopalis Kyovien. eis adherens, quod introducta lite et causa in Consistorio Archiepiscopali... contra dilectum filium Theodorum Juskowski, Parochum parochialis ecclesiae Turczynensis dictae Dioec. adversarium de et super correctione et condemnatione eiusdem adversarii, attentis eius malis vita et moribus ac negligentis in cura animarum commissis etc. emanavit sententia favore dictorum Exponentium in qua dictus adversarius uti convictus a testibus parochianis fuit suo beneficio parochiali privatus et ad alias poenas condemnatus, prout latius in dicta sententia continetur, adversus quam sententiam appellavit etc. nulliter et iniuste reintegratus ad praedictum beneficium parochiale et ab aliis penis absolutus per aliam sententiam definitivam. Ideo Exponentes etc. appellarunt nobisque humiliter supplicari fecerunt etc. (*prout sub data 12.VI.1760*)... quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXII Augusti MDCCLXIII, Pont. Nostri An. septimo.

C. BRUNER OFFICIALIS
C. OLIVARIUS

761.

Romae, 22 . VIII . 1764

*Tertia appellatio eiusdem Eparchiae et eidem Archiepiscopo commissa.*ASV, *Brev. Lat.*, vol. 708, fol. 328rv.

(Eidem)

CLEMENS PP. XIII. Venerabilis etc.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Stephanus Rubanowicz, ut asseritur, Parochus parochialis ecclesiae Ivankoviensis, Kyovien. Dioec. quod intorducta lite et causa in Consistorio Curiae Archiep. Kyovien. ad instantiam dicti Exponentis contra dilectum etiam filium Michaellem Safka adversarium de et super nonnullis criminibus per eundem adversarium commissis etc. aliisque excessibus, officium tamen sanctissimae Inquisitionis non tangentibus, latius in actis specificatis, emanavit sententia seu decretum condemnans adversarium praedictum in nonnullas poenas et multas ac ad suspensionem

receptionis sacrorum ordinum, prout latius in dicta sententia seu decreto continetur, adversus quam sententiam etc. appellavit... ad Tribunal Nuntiaturae etc. nulliter et iniuste absolvit et liberavit etc. Ideo exponens praedictus ab huiusmodi sententia etc. ad Sedem Apostolicam etc. appellavit nobisque etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die XXII Augusti MDCCLXIII, Pont. Nostri An. septimo.

C. BRUNER OFFICIALIS
C. OLIVARIUS

762.

Romae, 19 . XII . 1764

Appellatio ad S. Sedem a iudicio Consistorii Luceoriensis.

ASV, *Brev. Lat.*, vol. 708, fol. 375rv.

Dilectis filiis Ignatio Buchowiecki et Andreae Kamocki ac Paulo Paprocki, Ecclesiae Luceoriensis Canonicis, et eorum cuilibet.

CLEMENS PP. XIII. Dilecti filii, salutem etc.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Patres Societatis Jesu Collegii seu residentiae Vlodimiriensis, quod introducto nuper iudicio pro parte dilecti etiam filii Samuelis Paskiewicz Presbiteri graeco-unito rutheni, ut asseritur, Parochi parochialis ecclesiae Markovecensis adversarii coram Consistorio Luceoriensi contra dictos Exponentes de et super praetensa adiudicatione bonorum primae foundationis dictae parochialis ecclesiae ac annua solutione sexagenarum siliginis decem et avenae decem ex bonis quae nec in totum a dictis Exponentibus possidentur latius in actis specificatis rebusque aliis in actis causae et causarum huiusmodi latius deductis. Idem Consistorium Luceoriense non obstantibus solidissimis iuribus a praedictis Exponentibus deductis nulliter et iniuste protulit sententiam definitivam seu decretum definitivum in omnibus uniformem seu uniforme petitioni supradictis adversariis. Ideo Exponentes praedicti ab huiusmodi sententia seu decreto uti notorie laesi et gravati ad Sedem Apostolicam intra legitima, ut asserunt, tempora appellarunt nobisque humiliter supplicari fecerunt etc. (*ut supra sub data 12.VI.1760, mutatis mutandis*) contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XIX Decembris MDCCLXIII, Pontificatus Nostri Anno septimo.

C. BRUNER OFFICIALIS
C. OLIVARIUS

763.

*Castrum Gandulphi, 15 . VI . 1765**Clemens XIII participantibus Hierarchis in Synodo Provinciali, in Berest convocata, dat suum commendatitium Breve.*ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 99, fol. 15 (orig.).THEINER, *op. cit.*, vol. IV, pars II, p. 78-9, nr. 32.DE MARTINIS R., *Juris Pontificii de Prop. Fide pars prima: Bullae, Brevia, Acta S.S.*, vol. IV, p. 117-118, n. 50.

Venerabilibus fratribus Feliciano Wolodkowicz totius Russiae
Metropolitano atque universis ruthenis Episcopis Ritus Graeci
in provinciali Synodo congregatis.

CLEMENS PP. XIII. Venerabiles fratres, salutem etc.

Magno praecipuoque cum animi nostri gaudio nuper accepimus, FF. vestras fidei orthodoxae et disciplinae ecclesiasticae studio, prout bonos vigilesque pastores decet, flagrantes in Synodum Provinciale convenire stauisse, ibique opportunis rationibus et remediis operam dare, ut abusus si qui diocesis vestris vel temporum calamitate, vel hominum fraude inveci, omnino extirpentur, ac purissima religionis facies sine labe aut macula ubique splendescat. Pro quo verae pietatis ac pastoralis officii zelo non solum debitas vobis laudes impense tribuimus, sed etiam petimus, atque obsecramus in Domino, ut hoc egregium pieque susceptum negotium ad finem usque viriliter perducatis, et abusus praedictos sive inter populos irreperint, sive inter sacros Ministros regimini vestro commissos e medio tolli ac penitus eradicari faciatis.

Quod quidem unicum atque ardens desiderium nostrum aperte magis ac fusius vobis explicabit Ven. frater Antonius Eugenius, Archiepiscopus Ephesusinus, noster et Sedis Apostolicae in Regno Poloniae Nuntius, quem, ut intelligatis, quantopere vos amemus, vestramque virtutem quanti faciamus, eidem Synodo adesse ac nostro nomine praesidere voluimus, quo facilius et spiritualibus vestris necessitatibus opem ferre, et caetera omnia sedulo agere ac promovere possit, quae divinae gloriae incremento, animarum saluti, et communi vestro bono conducere atque expedire videbuntur. Vestrum igitur erit huic praesuli auctoritate nostra suffulto tum eos honores et reverentiae significationes exhibere, quas praecellentibus eius dotibus et conspicuo, quod gerit, muneri deberi intelligitis, tum eiusdem monita et consilia benevole excipere in Ecclesiae et Nationis vestrae ornamentum haud dubie cessura. Quae dum vos alacri promptoque animo ita praestituros confidimus, ut maiora in dies a nobis laudum praeconia et uberrimam in Coelis mercedem consequi mereamini, Deum Omnipotentem rogamus, ut sit in medio vestrum, quatenus ad illius iustitiam faciendam vestra procedant eloquia, dirigantur cogitationes et opera. Et Fraternalibus vestris Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum in Arce Castri Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub Annulo Piscatoris, die decimaquinta Junii MDCCLXV, Pontificatus Nostri Anno septimo.

764.

Castrum Gandulphi, 15 . VI . 1765

Clemens XIII Protoarchimandritae Basilianorum atisque Superioribus de Synodo Provinciali, Berestam convocata.

ASV, *Arch. Nuntz. di Varsavia*, vol. 99, fol. 16.

THELNER, *op. cit.*, vol. IV, pars II, n. 32, p. 79.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 118, n. 51.

Dilectis filiis Protoarchimandritae¹⁸, Provincialibus et
Consultoribus ruthenis Ordinis S. Basilii Magni.

CLEMENS PP. XIII. Dilecti filii, salutem etc..

In summo Apostolatus vertice collocati nihil magis prae oculis habemus atque animo concupiscimus, quam Ecclesiam Catholicam Jesu Christi sanguine fundatam, et sanctissimis legibus institutam sincera fidei observantia morumque illibato florere disciplina. Quare cum Venerabiles fratres nostri rutheni Episcopi eiusdem fidei vinculo nobiscum arcte coniuncti in Synodum provincialem convenire decreverint, ut propriis gregibus, si quis unquam abusus inter illos irrepserit, remedium afferant, atque Orthodoxae Religionis cultum integrum ab omni labe custodiant, Nos eiusmodi egregium piisque consilium et valde probavimus, et negocium dedimus Ven. fratri Antonio Eugenio, Archiepiscopo Ephesino, nostro et Sedis Apostolicae in Regno Poloniae Nuntio, ut praefatae Synodo intersit, eique praesidens auctoritate nostra sedulo promoveat, quaecumque cognoverit apprime utilia vel religionis bono vel Nationis Ruthenae commodo atque ornamento.

Verum, dilecti filii, cum vestra quoque auctoritas, doctrina ac prudentia haud parum huic sancto operi conferre valeat, ideo vos in Domino hortamur ac petimus, ut quemadmodum alias impigre fecisti, eidem Synodo adesse, atque in medium proferre velitis quidquid opportunum videbitur tum Dei gloriae amplificandae, tum Cleri et populi moribus reformandis, ne sordes neglectae in morbum evadant, et gravius inde discrimen oriatur. Cui desiderio nostro dum plane confidimus vos alacri obsequio satisfacturos, a Deo Patre luminum vobis interea coelestium donorum copiam precamur, et Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum in Arce Castri Gandulphi, Albanensis dioecesis etc., die decimaquinta Junii 1765, Pontificatus Nostri Anno septimo.

765.

Romae, 4 . I . 1766

Indulgentia plenaria lucranda tempore missionum PP. Basilianorum.

Bullae et Brevia, vol. II, p. 141-144.

Akty izdavajemyje..., vol. XVI, p. 194.

CLEMENS PAPA XIII. Universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

¹⁸ Protoarchimandrita seu Superior Generalis Ordinis Basiliani tunc temporis erat Hypatius Bilynskyj (1759-1771).

Coelestium munerum thesauros, quorum dispensatores esse nos voluit Altissimus, cum ad Catholicae Religionis incrementum et animarum salutem profuturos speramus, libenter elargimur. Cum itaque, sicut accepimus, nonnulli Monachi Ordinis Sancti Basilii Magni Congregationis Ruthenae, de Ordinariorum et Superiorum licentia, in diversas Poloniae aliasque Septentrionales Provincias ad procurandam Fidelium salutem mitti soleant, Nos eorundem Monachorum pietatem illorumque, ad quos ipsi mittuntur, devotionem confovere atque augere cupientes omnibus et singulis Monachis praedictis ac aliis utriusque sexus Christi fidelibus, ad quos mittendi accesserint, nostram et Apostolicam benedictionem per praesentes impertimur. iisdemque vere poenitentibus et confessis, ac Sacra Communione refectis, qui pro Sacra Romanae Ecclesiae exaltatione, Principum Cristianorum unione, infidelium conversione, haeresum extirpatione, prout unicuique suggeret devotio, pias ad Deum preces effuderint, plenariam, una vice dumtaxat tempore uniuscuiusque Missionis, omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus. Praesentibus ad decennium tantum valituris.

Volumus autem, ut si pro impetratione etc. nullae sint; utque praesentium litterarum transumptis etc. ostensae.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die IV Januarii MDCCLXVI, Pontificatus Nostri Anno octavo.

Gratias pro Deo et scriptura. Il Card. Antonellus.

766.

Romae, 8 . II . 1766

Metropolitae Kioviensi in negotio Eparchiae Mohiloviensis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 143, fol. 156rv.

Venerabili fratri Feliciano Archiepiscopo,
totius Russiae Metropolitae.

CLEMENS PP. XIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Quod Episcopi Mohiloviensis ab Ecclesiae Catholicae communione seiuncti conatibus sedulo obsistere instituisti, et in hac disceptatione quam scribis tibi essere paratam a nobis auxilium petis, zelum tuum valde probavimus. Nos ideo simul Fraternitatis Tuae litteras accepimus Venerabilem fratrem Antonium Eugenium Archiepiscopum Ephesinum nostrum et Apostolicae Sedis Nuntium illico iussimus Regem eiusque Administros incunctanter adire, et cum iis omni agere studio, ne novis Schismaticorum fraudibus dolosisque consilii Ecclesia Rutheno-Catholica vel minimum detrimentum accipiat. Eundem (f. 156v) propterea Nuntium nostrum convenias oportet, Venerabilis frater, qui omni tempore, et quacumque re, quae ad servandam incolumem eandem Ecclesiam Rutheno-Catholicam pertineat, iusso nostro omnibus studiis et officiis te adiuvabit. Et Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die octava Februarii 1766, Pontificatus Nostri Anno octavo.

767.

Romae, 19 . III . 1766

Hortatur Palatinus Braclaviensis ne in suis dominiis emissarios Episcopi Perejaslaviensis populum turbare permittat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 143, fol. 169-170v.

Dilecto filio, nobili viro, Principi Lubomirski,
Palatino Braclaviensi¹⁹.

CLEMENS PP. XIII. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Anxia quae Nos sollicitat cura de labefactato pluribus in locis tuae ditio-
nis unitatis fideique catholicae statu, pietatem tuam et egregium, quo incen-
deris verae et incorruptae religionis tuendae studium a Nobilitate Tua vehe-
menter efflagitat. Gravissimus enim nobis allatus est nuntius, haud ita pridem
proximi Interregni tempore, cum Moschorum copiae Polonici Regni finibus
insidebant, per summissos a schismatico Episcopo Pereyaslaviensi ad tua feuda
Praesbyteros, itidem Schismaticos et Moschos a catholicae Ecclesiae sinu plu-
rimos infimae conditionis homines vi prope abreptos, et ad (f. 169v) Schis-
maticorum partes fuisse traductos. Hominem Romanae Ecclesiae maximae
infensum minime miramur omnes industriae suae nervos intendere, ut
quamplurimi ab unitate catholica seiungantur. Illud magnopere mirum mini-
meque ferendum Oeconomus, quibus res tuas administrandas tradisti homines
alioquin catholici nominis ita effrenata duci cupiditate lucri, ut oblata sibi
pecunia Schismaticis aditum ad tua loca patefaciant, quorum ex consuetudine
pestiferisque sermonibus rudiores et vulgo simplicioresque Schismatis et hae-
reseos veneno infecti a catholica Ecclesia desciscant. Erit itaque pietatis tuae,
cuius pignus habemus in proxima epistola, qua nobis Constitutionem nostram
de Societatis Jesu Instituto gratulabare, Oeconomis tuis iniungere, ut omni
vigilantia provideant, ne ullus in posterum Schismaticis ad tua loca pateat
aditus, eosque etiam minitari (f. 170), si patiantur pecunia deliniri eosdem
Schismaticos illuc commeari, te in eos, qui nefarie te tibi que subiectos prodi-
derint, severe animadversurum²⁰. Sic enim Schismaticis omni interdicto ad
tuos accessu, neque maior in posterum fiet labes, et pastorali zelo erit locus,
quo Venerabilis frater Felicianus totius Russiae Metropolita deceptos homi-
nes studet ad catholicam unitatem retrahere, cuius industriam te, dilecte fili,
nobilis vir, maiorem in modum oramus, ut auctoritate, favore, gratia omni
denique ope sustentens, ed adiuves.

¹⁹ Stanislaus Lubomirski. Natus an. 1704. Habuit magnas possessiones in Ucraina. Post mortem Regis Augusti III (1763) se ipse candidatum in Regem Poloniae proposuit, sed nihil obtinuit. Ab anno 1764 Palatinus Braclaviensis, dein ab anno 1772 Palatinus Kioviensis usque ad annum 1785, quo anno officio huic et dignitati resignavit. Obiit an. 1793. Cfr. *Encyklopedyja Powszechna*, vol. 17, p. 364-366.

²⁰ Agitur iam de initiis motus popularis s.d. « *hajdamaččyna* », qui ob iniustas praesertim conditiones societatis oeconomicas, sociales et politicas, nec non ecclesiasticas ortum suum habuit, modo speciali post electionem novi Regis Poloniae Stanislai Poniatowski (1764-1795). Episcopus Perejaslaviensis tunc temporis erat Gervasius Linčevskij (1757-1769).

Supervacaneum existimamus prolixiore cohortatione egregiam voluntatem tuam ad orthodoxae fidei tutelam excitare; idque satis esse arbitramur, Nos monuisse Nobilitatem Tuam, quid in hac re peccaverint Oeconomi tui et peccent, ut ipse tua sponte, tuaeque religionis impulsu istiusmodi (f. 170v) tollendo malo efficacissima quaeque remedia adhibeas.

Illum autem praeterire plane non possumus, ad homines praesertim tot periculis ab Ecclesiae Romanae hostibus circumventos in vero Dei cultu et catholica unitate retinendos nihil esse necessarium magis, quam ut ad parochiales ecclesias idoneos Praesbyteros, et a suis quoque Ordinariis commendatos proponas Metropolitanae instituendos, eosque institutos a Schismaticorum iniuriis et maleficiis, ut aequum est, utque tua pietas, tuus honor, tua dignitas postulat, strenue tueare; tibi, dilecte fili, nobilis vir, eximiae erga te benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 19 Martii 1766, Pontificatus Nostri Anno 8.

768.

Romae, 31 . XII . 1766

Regi Poloniae totoque Regno novus Nuntius Apostolicus Varsaviensis commendatur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 144, fol. 141rv.
THEINER A., *op. cit.*, vol. IV, p. 129-130, n. 55.

Carissimo in Christo filio nostro Stanislao Augusto,
Poloniae Regi Illustri²¹.

CLEMENS PP. XIII. Carissime in Christo fili noster, salutem etc.

Postulat horum temporum conditio, cum in isto praesertim Regno infensissimorum hostium telis tanto animorum ardore petitur Catholica Religio, egregium aliquem virum ad Regiam Maiestatem Tuam ordinarium nostrum et Apostolicae Sedis Nuncium mittamus. Nam Venerabilis fratris Antonii Eugenii, Archiepiscopi Ephesini, opera nobis est opus apud carissimum in Christo filium nostrum Josephum in Romanorum Imperatorem Electum. Illi igitur isthic abeunti suffecimus Venerabilem fratrem Angelum Mariam, Archiepiscopum Ancyrantum, spectatissima virum nobilitate et eximiis animi et ingenii dotibus praeditum, religionis in primis studiosissimum, non vulgari praeterea doctrina, tractandarum rerum usu et prudentia animique candore nobis commendatissimum. Illum igitur pro singulari tua erga Nos observantia, et in hanc Sacram beati Petri Sedem religiosissima devotione humaniter, ut soles, excipias, eique ordinarii Nuncii munus obeunti faciles ad te aditus praebebis, et in pertractandis cum Regia Maiestate Tua negotiis ita cumu-

²¹ Stanislaus Augustus Poniatowski, Rex Poloniae (1764-1795). Ultimus Regum Poloniae, ob divisionem Regni Rossiam, Austriam et Prussiam inter (1772, 1793, 1795). Anno 1795 coronae renuntiavit. Obiit anno 1798 Petropoli. Cfr. *Enc. Powszechna*, vol. 23, p. 963-965.

latam fidem habebis, ac si Nos ipsos tecum loquentes audires. Nosti, Carissime in Christo fili noster, quae nostrae sint cogitationes, quae nostra sint vota, neque Nos alio respicere quam ad Dei gloriam, catholicae fidei in isto Regno praesertim tutelam, et Christianae Reipublicae utilitatem. Huc accedit singularis noster erga Regiam Maiestatem Tuam amor, quo maiorem in modum incensi te omni laude cumulatam florentemque summopere cupimus. His iisdem sensibus Nuncii huius nostri animum praeditum esse comperies. Tibi vero, Carissime in Christo fili noster, divinae gratiae abundantiam enixe a Deo precamur, cuius robore confirmata excelsi animi tui constantia Catholicam Religionem strenue tutari pergas; et Apostolicam denique benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae die tricesima prima Decembris 1766. Pontificatus Nostri Anno IX.

Eodem modo Archiep. is Leopoliensi et Kioviensi²²; Ep. is Wladislaviensi, Culmensi, Warmiensi, Samogitiensi etc. Supremo exercituum Regni Poloniae Duci, Supremo exercituum M. D. Lithuaniae Duci, Supremis Regni Poloniae et M. D. Lithuaniae Thesaurariis etc. Josepho in Romanorum Imperatorem electo, Mariae Theresiae Hungariae Reginae Apostolicae etc.

769.

Romae, 31 . XII . 1766

Metropolitae Kioviensi commendatur novus Nuntius Varsaviensis.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 144, fol. 260rv.

Venerabili fratri Feliciano, Archiepiscopo Kioviensi,
Haliciensi, et Polocensi, totius Russiae Primate²³.

CLEMENS P. XIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Ordinarium nostrum et Apostolicae Sedis Nuncium ad carissimum in Christo filium nostrum Stanislaum Augustum Poloniae Regem mittimus eiusmodi virum, qualem isthic postulare videtur horum conditio temporum, Venerabilem fratrem Angelum Mariam. Archiepiscopum Ancyranum, egregio erga catholicam religionem studio flagrantem, doctrina praeterea et tractandarum rerum prudentia praeditum. Ad eas virtutes accedit eximiae nobilitatis splendor, tum integritas vitae, morumque suavitas. Huic volumus ut omnem fidem adhibeas, tuamque operam naves ad ea, quae sint Christi eiusque Sanctae Ecclesiae, pro qua persuasissimum nobis est, nullis te periculis perterrefactum (f. 260v), imo ad asperrima quaeque paratissimum pro catholicae fidei integritate, et huius Sanctae Sedis auctoritate et dignitate nihil recusaturum, ut ex omni cum Ecclesiae hostibus dimicatione Dei causa victrix denique evadat. Parum nosse videremur episcopalem animi tui fortitudinem, si te ad retinendam in eadem causa defendenda constantiam adhortaremur.

²² Felicianus Philippus Wolodkowycz, Metropolita Kioviensis (1762-1778).

²³ Cfr. notam praecedentem.

Quae quidem firmitudo animi et alacritas facit, ut te maiorem in modum amemus, tibi que a Deo prospera quaeque impense precantes intimo nostri cordis affectu singularis erga te benevolentiae pignus Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem permanenter impertimur.

Datum Romae etc., die 31 Decembris 1766, Pont. Nostri An. nono.

770.

Romae, 23 . I . 1767

Conceditur indultum altaris privilegiati pro Confraternitate SS. Salvatoris in oppido Turynka, Leopoliensis Dioecesis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici: Indulta circa Missas*, vol. 34, fol. 9.

CLEMENS PP. XIII. Ad perpetuam etc.

Cum sicut pro parte dilectorum filiorum Officialium et Confratrum Confraternitatis sub titulo Salvatoris Domini Nostri Jesu Christi in parochiali ecclesia S. Praxedis oppidi, seu loci Turynka²⁴, Leopoliensis Dioecesis, canonicè (ut asseritur) erectae, nobis nuper expositum fuit, nonnullae Missae pro anima cuiuscumque Confratris, et Consororis Confraternitatis huiusmodi ex hac luce migrantis, iuxta Statuta seu consuetudinem dictae Confraternitatis celebrari debeant, aut soleant, nobis propterea eorundem Exponentium nomine humiliter supplicatum fuit, ut Missas huiusmodi coelestium munerum, quorum dispositionem fidei nostrae redidit Altissimus, elargitione concedere dignemur. Nos piis eorundem Exponentium votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, ut Missae, quae iuxta Statuta seu consuetudinem eiusdem Confraternitatis pro anima cuiuslibet ex Confratribus et Consororibus Confraternitatis praedictae, quae Deo in charitate coniuncta ex hac luce migraverit, celebrari debent aut solent, ut praefertur, ad quodlibet altare ecclesiae huiusmodi celebrabuntur, animae seu animabus pro qua seu pro quibus celebratae fuerint, perinde suffragentur, ac si ad altare privilegiatum fuissent celebratae, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae regula de non concedendis indulgentiis ad instar, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 23 Ianuarii 1767, An. 9.

²⁴ Turynka prope Zovkvam in Palatinatu Leopoliensi et Eparchia eiusdem nominis. Hodie in Eparchia Peremysliensi. Claruit imagine miraculosa Salvatoris. Inde et sedes Confraternitatis SS. Salvatoris. Ecclesia haec S. Praxedis cum supradicta imagine ad hodierna usque tempora permansit. Hoc in oppido collector praesentis voluminis anno 1918 natus, in ecclesia supradicta aqua baptismali Christo renatus est, die 5 Novembris.

771.

Romae, 20 . VI . 1767

Certioratur Metropolita Kioviensis de translatione partis iurisdictionis in sua Metropolia in personam Episcopi Leopoliensis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 144, fol. 279rv.
ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, fol. 29.

Venerabili fratri Archiepiscopo Kioviensi,
totius Russiae Metropolitano²⁵.

CLEMENS PP. XIII. Venerabilis frater salutem etc.

In sublimi Apostolicae Sedis fastigio, licet impares meritis, a Deo collocati aequae dignum sollicitudine nostra postorali censemus, quam ut universi Orbis Ecclesias tamquam e specula circumspicientes, ea sedulo atque opportune statuamus, quae ipsis aut valde profutura, aut decus et ornamentum allatura cognoscimus. Eapropter cum plurimae ad Nos querelae pervenerint, quod Decanatus et Parochiae in Palatinatibus Kioviensi et Braclaviensi existentes parum feliciter administrantur, sive amplitudine tuae Dioecesis et nimia curarum mole id fiat, sive alia graviori causa; quodque ob turbas in iisdem obortas, et magis ac magis invalescentes²⁶ nulla spes amplius affulgeat tranquillitatis et pacis, nisi huiusmodi malo, quod animarum saluti haud mediocriter officit, celeriter occurratur, ad illud confugere remedium coacti sumus, quod praesens necessitas postulat, et supremum officium nostrum, ac potestas caelestis tradita, ulterius differre non sinit.

Itaque exercitium Iurisdictionis super Decanatibus et Parochiis praedictis, ad Ecclesiam Metropolitanam, quam obtines, pertinentibus, a Fraternitate Tua, salvis tamen iuribus eiusdem Metropolitanae Ecclesiae, in tuum Coadiutorem in Metropolia Kioviensi, Venerabilem fratrem Episcopum Leopoliensem, Ritus Rutheni uniti, transtulimus²⁷, eidem facultatem largiti, ut ibi tuo nomine, sed tamen absque ulla dependentia ad nostrum et Sedis Apostolicae beneplacitum episcopalem auctoritatem exerceat. Haec tibi per nostras has litteras significari volumus, non dubitantes, quin eiusmodi providentiam in hoc rerum statu apprime utilem immo necessariam aequo animo sis accepturus, cum te non lateat boni Pastoris esse partes, ut animam, nedum commoda ceterasque res omnes pro ovibus suis libenter impendat. Ac tibi tandem, Venerabilis frater, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae etc., 20 Junii 1767, Pontificatus Nostri Anno nono.

²⁵ Feliciano Philippo Wolodkowycz (1762-1778).

²⁶ Tempora s.d. « *hajdamaččyna* » (1766-1769).

²⁷ Leo Szeptyckyj, Episcopus Leopoliensis (1749-1778), et Coadiutor tunc Metropoliae Kioviensis (1762). Cfr. supra, nota 12.

772.

Romae, 20 . VI . 1767

Episcopo Leopoliensi Leoni Szeptyckyj datur iurisdictio in regione Kioviensi et Braclaviensi, in Ucraina.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 144, fol. 280-281.

ASV, *Arch. Nunz. di Varsavia*, vol. 90, fol. 28; alia copia fol. 34rv, 38-39.

Venerabili fratri Episcopo Leopoliensi, Rithus Rutheni uniti²⁶.

CLEMENS PP. XIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Universalis Dominici gregis cura a caelesti Patrefamilias nobis, licet immerentibus, demandata iure ac merito postulat ut nullum vigilantiae officium praetermittamus, quo et animarum saluti prospicere, et Ecclesiarum, quotquot in Orbe sunt, decus atque utilitatem in dies magis tueri ac promovere possimus. Hinc fit, ut crebrescentibus querelis ad Nos allatis contra Venerabilem fratrem Archiepiscopum Kioviensem, totius Russiae Metropolitanum, eo quod non satis feliciter, his praesertim temporum circumstantiis, Decanatus et Parrochias in utroque Palatinatu Kioviensi et Braclaviensi existentes administret, consilium ceperimus de transferendo in alium iurisdictionis ad eum pertinentis exercitio, nullum eiusmodi remedio neque aptius neque efficacius adhiberi posse censentes ad pacem et tranquillitatem in Decanatus et Parrochiis supradictis restituendam.

Quare de Fraternitatis Tuae prudentia, doctrina, ac probitate plurimum confisi, tibi tamquam illius in Metropolia Coadiutori exercitium iurisdictionis, de quo supra, salvis tamen iuribus Ecclesiae Metropolitanae, auctoritate nostra committimus, mandantes ac praecipientes, ut Decanatus et Parochias iam memoratas ad beneplacitum nostrum et Sedis Apostolicae deinceps cum omnimoda independentia a Metropolitanano Russiae spiritualiter gubernes ac regas, ibique omne quod depravatum inveneris opportune corrigas, diffracta consolidas, turbatosque animos fidelium ad pacem et unitatis concordiam reduces. Haec, ut exploratum nobis est, te pro tua virtute, ac religionis studio diligenter strenueque, Deo iuvante, impleturum, ita Fraternitati Tuae Apostolicam benedictionem peremanter impertimur.

Datum etc., 20 Junii 1767, Pontificatus Nostri Anno IX.

773.

Romae, 14 . XI . 1767

Clemens XIII Episcopo Agriensi Carolo in negotio erectionis Eparchiae Munkacsiensis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 145, fol. 73-74.

BASILOVITS J., *Brevis notitia foundationis*, vol. 2, p. 125-127.

Venerabili fratri Carolo Episcopo Agriensi.

CLEMENS PP. XIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Dudum a Fraternitate Tua quaesivimus quanam esset sententia tua de

²⁶ Cfr. notam praecedentem.

Episcopatu Graeci Ritus Munkacsiensi erigendo, quem charissima in Christo filia nostra Maria Theresia, Hungariae Regina Apostolica, summa contentione et studio a nobis constitui flagitavit. Et accurate diligenterque nos docuisti, quapropter Episcopatum illum erigi non oporteat; quas rationes eidem Reginae Apostolicae pro nostro Apostolatus munere afferrri curabimus quidem, quo regia eius Maiestas constituendi illius Episcopatus consilium omnino abiiciat.

Sed ipse, Venerabilis frater, longe praestabis efficaciores, si Viennam te conferas, et coram de ea re apud eandem Reginam disseras, eique persuadere studeas, ut a suscepto consilio desistat. Quod iter ut suscipias te in Domino vehementer hortamur, et obsecramus. Qui enim gravius et uberius et luculentius exponere haec quaeat, quam Fraternitas Tua exposuerit, arbitramur omnino esse neminem. Caeterum de tua vigilantia, sedulitate, et cura in Sancta promovenda Unione plurimum tibi, Venerabilis frater, profiteamur catholicam debere Ecclesiam, tuoque studio referendum esse censem acceptum in ista tua Dioecesi plerosque Graeci Ritus homines cum Catholica Romana Ecclesia esse coniunctos. Cuius Unionis ut Antecessoribus tuis tribuenda laus est fuisse auctores, sic Fraternitati Tuae tuoque zelo maximi debentur progressus.

Atque ut illuc revertamur unde divertimus, in id toto pectore velimus incumbas, ut Reginae Apostolicae praesens praesenti ostendas, quam inutile sit et minime conducibile Episcopatum Graeci Ritus ab omni Ordinarii latini iurisdictione exemptum constitui; egregiae prudentiae, studioque tuo in ea re praestanda confisi, Deum precamur interea, ut divina ope sua te adiuvet, quo re bene gesta laetabundus et nova cumulat laude ad episcopalem tuam redeas sedem. Et Fraternitati Tuae intimo cordis nostri affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XIV Novembris MDCCLXVII, Pontificatus Nostri Anno decimo.

774.

Romae, 27 . I . 1768

Provisio Ecclesiae tit. Rossensis in persona Joannis Bradacs, nec non Vicariatus Apostolici Munkacsiensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3630. fol. 1-6v.

BASILOVITS J., *Brevis notitia fundationis...*, vol. 2, p. 39-40.

Dilecto filio Joanni Bradacs, Presbytero saeculari
ac Archidiacono Munkacsiensi, Electo Rossensi²⁹.

CLEMENS PP. XIII. Dilecte fili, salutem, etc.

Apostolatus officium etc. suspensi sitis eo ipso (cfr. supra sub data 20.V.1735).

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 27 Ianuarii 1768, Anno X.

²⁹ Joannes Bradacs, Episcopus tit. Rossensis, et Vicarius Apostolicus Munkacsiensis (1768-1771), dein translatus est ad Sedem Munkacsiensem residentialem, postquam Ecclesia Munkacsiensis evecta fuit in residentialem Bulla Clementis XIV, sub data 19.IX.1771. Novam Bullam translationis J. Bradacs confer sub data 23.IX.1771.

CLEMENS PP. XIII. Dilecte fili, salutem etc.

Pro nostri pastoralis officii munere iis potissimum invigilare debemus, quae curam Christifidelium, ut in viam mandatorum Domini ad salutem animarum dirigantur, omnino respiciunt. Itaque de tuis fide, prudentia, integritate, doctrina, et catholicae religionis zelo plurimum in Domino confisi, sperantesque quod ea, quae tibi duxerimus committenda, cumulate sis expleturus, te pro Graecis in ditione Munkacsiensi, aliisque locis acquisitis in Hungaria commorantibus Vicarium Apostolicum cum iurisdictione, iuribus, et facultatibus necessariis, et opportunis auctoritate Apostolica tenore praesentium facimus, constituimus et deputamus. Mandantes propterea omnibus, et singulis ad quos spectat et spectabit quovis modo in futurum, ut tibi in praemissis prompte pareant, et obediant, tuaque salubria monita, et mandata humiliter suscipiant, et efficaciter adimplere procurent, alioquin sententiam etc. observari. Non obstantibus Apostolicis etc. innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes illis alias in suo robore permansuris ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXVII Ianuarii MDCCLXVIII, Pontificatus Nostri An. X.

775.

Romae, 14 . II . 1768

Consolatur Episcopus Ecclesiae Unitae Provinciae Ecclesiasticae Kioviensis in desperato fere statu eorundem Ecclesiarum.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 145, fol. 124v-125v.

Venerabilibus fratribus Feliciano, Metropolitano Russiae, caeterisque Ecclesiae Ruthenorum Episcopis.

Scripserant se de statu suarum Ecclesiarum propemodum desperare.

CLEMENS PP. XIII. Venerabiles fratres, salutem etc.

De orthodoxa vestra Ruthenorum Ecclesia vehementer sollicitos persuaserunt Nos litterae Fraternitatum vestrarum, ex quibus intelleximus de eiusdem Ecclesiae statu vos propemodum desperare³⁰. Sed tamen VV.FF. etsi res vestrae pene profligatae videntur, ac perditae, tamen cavete, quaesumus, ne unquam animo frangamini, aut vos a Deo destitutos putetis, qui sua fretos misericordia a desperatione in spem et ab exitio in salutem vos revocabit. Quamquam hac cohortatione nostra minime vos egere satis ostendunt litterae vestrae. Scribitis enim spem omnem in Deo vos posuisse (f. 125), et a nobis petitis, ut cum vestris coniunctas nostras ei preces offeramus ad eius divinam

³⁰ Tempora turbulenta in Regno Poloniae et in Ucraina, quae hac occasione iure belli iustitiam sibi procurare studebat, opera motus popularis s. dicti « *hajdamaččyna* » vel entiam « *kolijivščyna* ». Cfr. hac de re manualia historiae Ucrainae, Rossiae, vel etiam Poloniae. Historiographi tamen harum nationum hac in re discordant.

opem impetrandam, qua Ecclesia vestra e tantis, quibus circumsidetur periculis expediatur. Quod quidem adhuc assidue fecimus, et faciemus, nihil tamen interea, adiutore Deo, non moliemus, quod ad res vestras erigendas conducibile arbitrabimur. Caeterum quantum in vobis est in id sedulo incumbite, ne si qua se offerat rei benae gerendae occasio, praetereat, aut vestris elabatur e manibus.

Nunquam enim ab iis rebus, quae maxime nostra intersint etiamsi desperatae habeantur, deiiciendi sunt oculi, sed in eas habere animum usque intentum oportet; minimis enim momentis maximae interdum inclinationes fiunt, et una hora occasionem affert, qua illico arrepta profligatas res ex insperato restituamus. Interea fortem animum praestare vos oportet. Confortamini et robusti estote in Domino, qui faciat, ut virtus vestra quae fortasse in prosperitate fuisset obscurior, in hac fortunarum vestrarum dimicatione illustrior eluceat, vestram autem magnopere confirmabit constantiam (f. 170v). Propositum vestris animis S. Josaphat Archiepiscopi Polocensis exemplum, qui pro tuenda Unione Ruthenorum Ecclesiae cum hac Beati Petri sacratissima Sede Schismaticorum gladiis occubuit. Neque sint vobis, Cypriani Martyris utimur verbis, scandala ista, sed praelia, nec debilitent, aut frangant vestram fidem, sed potius ostendant in collectatione virtutem. Nisi praecesserit pugna non potest esse victoria. Gubernator in tempestate dignoscitur, in acie miles probatur. Vobisque omnibus quos ob vestrum in hanc Sacram B. Petri Sedem, et erga Nos obsequium in nostrae caritatis gerimus sinu, Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XIV Februarii MDCCLXVIII, Pontificatus Nostri Anno decimo.

775*

Romae, 13 . VII . 1768

De difficultatibus oriundis ex Concilio Lateranensi in erectione Eparchiae Munkacsiensis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 147, fol. 23-31v; vol. 146, fol. 24v-28v.

Bullarii Romani continuatio, vol. IV, pars II, p. 1461-1463, nr. 682.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 154-156, nr. 71.

Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae
Hungariae reginae Apostolicae nec non Bohemiae reginae illustri
in Romanorum Imperatricem electae, Viduae

CLEMENS PP. XIII. Carissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

Magno cum animi nostri gaudio accepimus regiam Maiestatem Tuam Agriensi Episcopo ad te humanissime admissa, et de retinendis Graecis Munkacsensibus eorumque Vicario sub Episcopi Agriensis potestate apud te disserenti facile aures praebuisse, Qua in re, quae catholicae religionis et tua maxime interest, nostras quoque apud te, carissima in Christo filia nostra, coniunctas volumus preces, ut sinas te a praeclaro Antistite exorari. Quod etiam a te ille postulat non modo ad catholicae Ecclesiae servandam inte-

gritatem, sed etiam ad rerum tuarum securitatem existimamus magnopere pertinere.

In omnibus diocesibus, ubi essent duo diversi ritus, diversaeque gentis populi, constans fuit Ecclesiae disciplina, ut ab unico Episcopo regerentur. Quam disciplinam confirmavit habitum sub Innocentio III Concilium Lateranense; in quo sancitum fuit etiam civitatibus Orientali Imperio ademptis, ubi Graeci et Latini promiscue commorabantur, latinus Episcopus Vicarium sibi subiectum destinaret, qui Graecis iuxta eorum ritum Sacramenta administraret.

Quae saluberrima celeberrimi Concilii sanctio tota Hungaria et Italia, aliisque locis compluribus, ubi Latini cum Graecis essent permixti, servata fuit. Neque vero diffitemur vel concessione, vel tollerantia huius S. Sedis interdem ab eo, quod ea Synodus constituerat, recessum fuisse. Sed utinam (fe.me. praedecessoris nostri Ben. XIV. utimur verbis) « utinam id nunquam indultum aut toleratum fuisset; inde enim factum est, ut Graeci initio catholici, Episcopum Graecum catholicum aliquando nacti in eandem schismatis atque etiam haereseos labem adducti fuerint. Auctoque malis artibus numero subditorum Episcopi Graeci. Latinorum numerus ad nihilum fere reductus sit, nec hactenus latinis Episcopis vires sufficiant ad Graecorum schismaticorum audaciam repellendam ».

Cui malo Deus prohibeat in Hungariam aditum patefieri. Sed impedimentum quo minus illuc possit irrepere nullum arbitramur opponi posse validius illo, quod et universalis Ecclesiae consuetudo probavit, et celeberrimum Concilium sanxit, et experientia aptissimum esse docuit pro retinenda Graecorum catholica fide et unitate. Nam quemadmodum in Agriensi dioecesi sola latinorum Antistitum opera et zelo factum est, ut sancta inter Graecos coepta sit unio, sumptisque procedente tempore viribus mirum in modum excrevit, et nunc maxime vigeat, ita si Graeci Agrienses et latini Episcopi potestate subducantur, non modo ipsi Episcopo ea facultas eripitur, qua sanctam unionem fecit adhuc florere, sed occasio etiam Graecis offertur, quae suae ipsorum inconstantiae indulgeant, et propensioni ad schisma sibi quodammodo inditae obsecudent. Neque enim ignorat Maiestas Tua, quo cum in Transylvania rogatu Caroli VI. inclyti parentis tui, Graecus Episcopus ab omni latini Antistitis potestate liber constitutus fuerit, adactam te tamen fuisse, rogare memoratum Praedecessorem nostrum Benedictum XIV, ut eidem graeco Episcopo perpetuum latinum Assessorem deputaret abs te nominandum; idque non alia de causa, quam quod verebatur ne graecus Episcopus omni metu liberatus, et ab omni Latinorum cura ac vigilantia subductus, non satis retenturus esset debitam erga te fidem, et in sancta unione constantiam. Ideoque adiiciendus illi fuit eorum, quae subinde gererentur, veluti quidam inspector, cuius in te tuasque res, carissima in Christo filia nostra, tibi esse perspectissimum studium et probatissima fides. Quia igitur commodis tuarumque rerum securitati repugnant Graecam Nationem non amplius Episcopis Agriensibus in posterum esse subiectam, qui in conservandae religionis zelo et erga suum regem egregia fide summam omnes laudem sunt consecuti. Contra, si Graeca Natio potestati graeci Episcopi subiiciatur, vide quaesumus, carissima in Christo filia nostra, ne a Natione latino nomini tantopere adversa perpetuus metus debeat animo tuo insidere.

Qua in re nulla fit Graecis iniuria. Quamnam enim existimabimus facere iniuriam cum res, quo in loco sunt, in eodem volumus permanere? Quod si Graeci aliquando apud regiam Maiestatem Tuam quidquam habeant conqueri, in quo se laedi arbitrarentur, per quam facile est ipsi Agriensi Episcopo eorum sedare querelas, et ipsi Nos regiae Maiestati Tuae Apostolicam sollicitudinem nostram et curam adhibituros promittimus, quo convenientioribus quibuscumque modis Graecorum in tua ditione degentium tranquillitati consultum sit; atque ita sancta unio firmiore quodammodo glutine coagmentetur in dies, et in eorum animis alacritas ad sibi parendum augeatur et fides. Huc enim denique in hac re spectant cogitationes nostrae. Tu vero, carissima in Christo filia nostra, si ad huius rei naturam attentum, et ab omni praeiudicio vacuum animum adicias, profecto comperies, et catholicae religioni et regiis rebus tuis multo fore conducibilius, si Graeci nulla nova, sed eadem, qua usque adhuc ratione, semper in posterum gubernentur. Et regiae Maiestati Tuae, quam praecipua prosequimur caritate, Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sup Annulo Piscatoris, die XIII Iulii MDCCLXVIII, Pontificatus Nostri Anno XI.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

CLEMENS PP. XIV

(19,28.V,II.176 — 22.IX.1774)

ariminensis

(Vincentius Antonius Ganganelli)

DOCUMENTA CLEMENTIS PP. XIV

776.

Romae, 6 . VI . 1769

Appellatio ad Sedem Apostolicam contra sententiam Consistorii Berestensis et Tribunalis Nuntiaturae.

ASV, *Brev. Lat.*, vol. 733, fol. 45rv, 58.

Dilectis filius Gedeoni Horbacki³¹, Officiali et Coadiutori Venerabilis fratris nostri Episcopi Pinscensis, et Antonio Lewinski, Officiali Venerabilis fratris nostri Episcopi Leopoliensis Ritus Graeci Latino uniti, et eorum alteri.

CLEMENS PP. XIV. Dilecti filii, salutem etc.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Joannes Zielinski et Joannes Wacewicz Parochi parochialium ecclesiarum Mielnicen. Luceoriensis seu alterius civitatis vel dioecesis Ritus Graeci Latino uniti quod intorducta lite et causa in Consistorio Generali Brestensi eiusdem Ritus Graeci contra dictos Exponentes et ad instantiam dilectorum etiam filiorum Andreae Lazowski pariter Parochi parochialis ecclesiae Mielnicensis Ritus Latini et Promotoris Curiae episcopalis Luceoriensis et Brestensis etiam Ritus Latini adversariorum de et super violenta manuum iniectioe in dictum Andream Lazowski eiusque percussione per Exponentes praedictos, ut praetenditur, facta, latius in actis specificatur, Exponentes praedicti ex inquisitionibus et testium examine super praemissis constare fecerunt praedictum Andream Lazowski primariam occasionem praebuisse per avocationem populi rutheni, hac non obstante probata fuit sententia deffinitiva seu decretum deffinitivum in qua seu quo dictum Consistorium Brestense nulliter et iniuste declaravit Exponentes praedictos esse incursos in censuras et condemnavit eos demum ad carceres per sex hebdomadas et ad disciplinam ter in qualibet hebdomada subeundam aliena manu per psalmum Miserere et successive per alias sex hebdomadas ad peragendam recolectiones spirituales tum ad resarcienda praedicto Andreae Lozowski omnia damna et litis expensas ac supradictus Joannes Wacewicz tamquam assertus primarius autor percussionum beneficio curato privatus extitit prout latius in dicta sententia seu decreto continetur, adversus quam sententiam seu decretum adversarii praedicti non satis contenti ad Tribunal Nuntiaturae Apostolicae Regni Poloniae appellarunt (f. 45v), in quo Tribunali emanavit sententia seu decretum in qua seu quo praeter supradictas penas in iudicio primae instantiae inflictas privatus fuit etiam prae-

³¹ Gedeon Horbackyj, Coadiutor Episcopi Pinscensis Georgii Bulhak (1730-1769), cui anno 1769 in Sede episcopali successit (1769-1786).

dictus Joannes Zielinski alter Parochus beneficio curato ab eo possesso, reiecta reconventionem super nonnullis praetensionibus ab Exponentibus praedictis contra dictum Andream Lozowski in hoc Tribunali proposita et in Consistorio Luceoriensi iisdem Exponentibus iam reservata, prout latius in dicta sententia seu decreto, uti notorie lesi et gravati ad Sedem Apostolicam, intra legitima, ut asserunt, tempora appellarunt, nobisque humiliter supplicari fecerunt, quatenus causam et causas etc. (*prout sub data 12.VI.1760, mutatis mutandis*)... ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die VI Junii MDCCLXVIII, Pontificatus Nostri Anno primo.

C. BRUNER OFFICIALIS
C. OLIVARIUS

777.

In Arce Gandulphi, 28 . IX . 1769

Appellatio in causa vertente inter ecclesiam parochialem latinam et ruthenam Kuhizowiensem, Leopoliensis Eparchiae.

ASV, *Brev. Lat.*, vol. 733, fol. 108rv, 113.

Dilectis filiis Lucae Godurowski, Primicerio, et
Georgio Bietkowski ac Joanni Alexandrowicz, Ecclesiae
Leopoliensis Canonicis, et eorum cuilibet.

CLEMENS PP. XIV. Dilecti filii, salutem etc.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Josephus Olszewski, Curatus parochialis ecclesiae Kuhizowien. Leopoliensis Dioecesis Ritus Latini, quod orta lite inter ipsum exponentem ex una et dilectum etiam filium Joannem Piasecki, Curatum pariter parochialis ecclesiae Kuhizowien. Ritus Graeci Latino uniti adversarium partibus ex altera in Consistorio Generali Leopoliensi tum respectu fenificii Popova Loza vocitati, per ecclesiam latinam Kuhizowiensem ab antiquissimo tempore possessi, tum etiam respectu praetensae restitutionis campanae, quum dictus exponens optimis documentis et antiquis testium inquisitionibus expeditis tempore non suspecto, occasione scilicet reaedificationis dictae ecclesiae latinae ab annis ultra centum a Tartaris combustae pertinentiam simul ac possessionem utriusque suae ecclesiae faventem luculenter evicisset, sententiam obtinuit ab eodem Consistorio Leopoliensi concedendo praedictae ecclesiae latinae manutentionem in possessione dicti fenificii, eamque simul absolvendo a praetensa restitutione campanae; cumque per appellationem a dicto adversario interpositam causa devenerit ad Tribunal Nuntiaturae Apostolicae Regni Poloniae illius Auditor non minus nulliter quam iniuste, revocata dicta praecedenti sententia Consistorii Leopoliensis, posthabitisque iuribus clarissimis eiusdem ecclesiae latinae, sua mediante sententia definitiva declaravit supradictam ecclesiam ruthenam per adversarium possessam reimponendam esse in possessionem praedicti fenificii Popova Loza nuncupati condemnavitque amplius ecclesiam latinam ad fructuum restitutionem ac solum respectu campanae praecedentem sententiam

Consistorii Leopoliensis approbavit, prout latius in dicta sententia continetur. Ideo Exponens praedictus huiusmodi sententia in parte sibi praeiudiciali et contraria ad Sedem Apostolicam intra legitima, ut asserit, tempora appellavit, nobisque humiliter supplicari fecit, quatenus causam etc. (*cfr. sub. data 12.VI.1760, mutatis mutandis*) ...contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub Annulo Piscatoris, die XXVII Septembris MDCCLXVIII, Pontificatus Nostri Anno primo.

C. BRUNER OFFICIALIS
C. OLIVARIUS

778.

Romae, 17 . II . 1770

Indulgentia plenaria pro ecclesiis Basilianorum et Basilianarum diebus festis praecipuorum Sanctorum Ordinis lucranda.

Bullae et Brevia, vol. I, p. 1-2, Typis Poczajoviensibus 1788.
Akty izdavajemyje..., vol. XVI, p. 225-226.

CLEMENS PAPA XIV. Universis Christi fidelibus praesentes literas inspecturis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ad augendam fidelium religionem et animarum salutem caelestibus Ecclesiae thesauris pia charitate intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christi fidelibus vere paenitentibus et confessis, ac Sacra Comunione reffectis, qui aliquam ex ecclesiis tam monachorum, quam monialium Ord. S. Basilii M. Congregationis Ruthenae erectis et erigendis in eiusdem Sancti Basilii ac SS. Macrinae, Onuphrii, Josaphat, Joannis Chrisostomi et Joannis Damasceni festis diebus a primis vespere usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint et ibi pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione ac Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, quo die praefatorum id egerint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem misericorditer in Domino concedimus, in contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque; praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis etc. ostensae.

Dabantur Romae apud Sanctam Mariam Majorem, sub Annulo Piscatoris, die 17 Febr. 1770, Pontificatus Nostri Anno 1-mo.

A. Card. Nigrenus (L.S.)

779.

Romae, 5 . V . 1770

Conceditur indultum Alexio Piaseckyj, Praesbytero Diocesis Leopoliensis, gestandi crucem cum catena aurea, privative quoad quoscumque alios.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3699, fol. 202rv, nr. 386.

Dilecto filio Alexio Piasecki, Praesbytero Ritus Rutheni uniti Leopoliensis seu alterius civitatis vel Diocesis³².

CLEMENS PP. XIV. Dilecte fili salutem etc.

Ex Romani Pontificis, et Sedis Apostolicae beneficentia provenire dignum est, ut qui erga illos non exigua fidei et devotionis signa demonstrant, quique probitatis aliisque virtutum meritis sunt ornati, iidem ab ipso Romano Pontifice, et Sede praedicta honoribus et gratiis decorentur.

Cum itaque, sicut nobis nuper exponi fecisti, tu qui (ut asseris) Notarius, Prothonotarius Apostolicus nuncupatus, existis, et officium Cappellani in Curia Venerabilis fratris Archiepiscopi Kioviensis, et Episcopi simul Leopoliensis Ritus Rutheni uniti exerces³³, ac praeposituram insignem nuncupatam in Turynka, et Scholasteriam quoque cathedralis ecclesiae Leopoliensis obtines, quo officia et munera praedicta decentius sustinere, alioque extrinseco ornamento condecorare valeas, crucem cum torque seu catena aurea in pectore gestare posse plurimum desideras, nobis propterea humiliter supplicare fecisti, ut tibi in praemissis opportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignemur. Nos igitur te specialibus etc. volentes, et a quibusvis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut extra chori servitium crucem cum torque, seu catena aurea, in pectore privative quoad quoscumque (f. 202v) alios deferre, et gestare libere, et licite possis, ac valeas, auctoritate nostra Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Non obstantibus Apostolicis etc. innovatis. Quibus omnibus, et singulis illorum tenores etc. derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, die 5 Maii 1770, An. primo.

³² Consocii nobis sumus iam haece temporibus et antea similes concedebantur distinctiones pro Clero Ecclesiae Unitae. Sed, praeterquam investigatio in hoc campo stat difficilis est ob nominum difficultatem, honorificas has distinctiones solummodo a casu ad casum hic publici facere iuris intendimus, speciminis et exempli gratia.

³³ Leo Szeptyckyj, Episcopus Leopoliensis (1749-1778), et solummodo Coadiutor Metropolitae Kioviensis cum iure successionis, quae locum habuit tantummodo anno 1778. Obiit an. 1779 (13. V.).

780.

Romae, 28 . VIII . 1770

Licentia celebrandi seu celebrare faciendi super altare portatile pro Josaphat Siedleckyj, Ord. S. Basilii Magni, suo munere durante.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3704, fol. 157rv, nr. 34.

Dilecto filio Josaphat Siedlecki, Praesbitero monaco
Ordinis S. Basilii Magni expresse professo.

CLEMENS PP. XIV. Dilecte fili, salutem etc.

Cum sicut nobis nuper exponi fecisti, qui (ut asseris) Monachus expresse professus Ordinis S. Basilii Magni, atque Abbas monasterii de Owruetz³⁴, Kioviensis Dioecesis, existis, ratione muneris Abbatis huiusmodi per Poloniam et Magnum Ducatum Lithuaniae iter facere debeas, verens autem ne tunc temporis ob ecclesiarum deficientiam praecepto Ecclesiae de audienda Missa satisfacere valeas, cupiasque propterea opportune tibi in praemissis a nobis provideri, et, ut infra, indulgeri. Nos spirituali consolationi tuae, quantum cum Domino possumus, benigne consulere, teque specialibus etc. volentes, et a quibusvis etc. censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, tibi, ut in itinere a te per Poloniam et Magnum D. Lithuaniae huiusmodi durante tuo Abbatis huiusmodi munere facien. altare portatile debitis tamen cum honore, et reverentia habere per te ipsum, seu per quemcumque sacerdotem approbatum saecularem vel regularem sacrosanctum Missae sacrificium in locis ad id congruis, et decentibus in tua ac aliorum, qui te comitati fuerint praesentia celebrare, seu celebrari facere, libere et licite possis, ac valeas, auctoritate Apostolica tenore praesentium concedimus, et indulgemus. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 28 Augusti 1770, An. 2.

781.

Romae, 1 . IX . 1770

Appellatio a iudicio primae et secundae instantiae. Commisio revisionis causae.

ASV, *Brev. Lat.*, vol. 733, fol. 309rv.

Venerabili fratri Antonio Mlodowski, Episcopo Vlodimirien Ritus Graeci Latino uniti et Dilectis filiis Stephano Lewinski, Archidiacono Ecclesiae Leopoliensis, Augustino Nowosielski, Abbati Monasterii Cobrynensis Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum eiusdem Ritus et eorum quolibet.

³⁴ Monasterium seu Abbatia Ovrucensis in Volhinia, in suburbio civitatis eiusdem nominis, Dioecesis Kioviensis, in bonis regiis. Fundata medio seculo XVII circa.

CLEMENS PP. XIV. Venerabilis frater et Dilecti filii, salutem etc.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Simon Ostaszewki, Parochus parochialis ecclesiae Ostromiren. Ritus Graeci Latino uniti, quod ipse Exponens post amotionem dilecti filii Gabrielis Sosnowski adversarii a beneficio curato Kostomlicensi demandatam a Curia Episcopali Brestensi eiusdem Ritus, deputatus fuit in Oeconomum et sequestratorem eiusdem beneficii curati et licet dictus adversarius interiecta provocatione ad Tribunal Nuntiaturae Ap. Regni Poloniae revocari obtinisset iudicatum primae instantiae simulque reintegrari adversarium praedictum ad possessionem sui beneficii, nihilominus paulo post excessibus et delictis nova et graviora supercumulavit pro quibus iterum inquisitus et processatus ab ipsa Curia episcopali Brestensi iteratam subiit idem adversarius privationem, fuitque dictus Exponens confirmatus in officio sequestratoris. Hinc memoratus adversarius pro purgatione attentatorum et restitutione beneficii et fructuum non tam ipsum Exponentem quam Iudices adcitavit ab idem Tribunale Nuntiaturae Regni Poloniae, cuius Auditor, posthabitis iudiciis adversus Exponentem praedictum sententiam definitivam protulit, in qua nulliter et iniuste declaravit eundem Exponentem teneri et obligatum esse ad dimittendum dictum beneficium et ad restituendos omnes fructus non tantum perceptos quam etiam percepti solitos aliaque gravamina intulit, prout latius in dicta sententia continetur. Ideo Exponens praedictus ab huiusmodi sententia uti notorie lesus et gravatus ad sedem Apostolicam etc. appellavit etc. (*ut sub data 12.XI.1760, mutatis mutandis*)... contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 1-ma Septembris MDCCLXX, Pont. Nostri An. secundo.

C. BRUNER OFFICIALIS
C. OLIVARIUS

782.

In Arce Gandulphi, 10 . X . 1770

Sententia Clementis PP. XIV in negotio erectionis Eparchiae Munkacsiensis in Ucraina Carpatica, dominio Austriae subiecta.

ASV, *Ep. ad principes*, vol. 166, fol. 109-112v.

Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae Hungariae Reginae Apostolicae, necnon Bohemiae Reginae Illustri in Romanorum Imperatricem electae, Viduae.

CLEMENS PP. XIV. Carissima in Christo filia nostra, salutem etc.

Etsi Apostolicae Maiestatis Tuae postulatum, quod in humanissimis litteris ad Nos die XII Maii proxima praeteriti a te datis, ac per dilectum filium nostrum Alexandrum Cardinalem Albanum nobis redditis continebatur, et reipsa gravissimum, et deliberatu difficillimum foret, nequaquam tamen passi essemus, ut tandiu responsum nostrum desiderares, nisi illo ipso tempore, quo ad te iam perscriptam daturi eramus epistolam, allata ad Nos quaedam essent, quibus auditis suspendere consilia nostra, et cunctari aliquantulum necesse esse videremus. In iis tum ad /f. 109v/ te perscri-

bendis litteris spectabamus maxime in animi tui virtutem ac religionem, qua praeclare cognosceres, quantum est Romanorum Pontificum sententiae in iis, quae ad Ecclesiam fidemque spectant, deferendum; ac proinde plurima tum fiducia declarabamus tibi, quid de toto illo Munkacsiensi negotio sentiremus; multa scilicet obici nobis, ne Vicarium Munkacsiensem ab omni Episcopi Agriensis potestate eximamus. Animum praeterea nostrum valde in eo repugnantem esse, ut idem ab omni Episcopi latini iure omnino subtrahatur, aut intra eos tantummodo iurisdictionis fines includatur intra quos Episcopi Sufraganei suis sunt Metropolitanis subiecti. Huiusmodi animi nostri sensu tibi primum patefacto, illud deinde subiciebamus, descensuros nihilominus tandem Nos esse ad constituendum aliquem ex Latinis Vicario illiInspectorem seu Moderatorem, qui diversus ab Agriensi sit, de cuius animi duritie plurimae tibi ab eodem Vicario querelae quotidie deferuntur. Ad quod consilium inducebamur in te intuentes (f. 110), carissima in Christo filia nostra, cui Munkacsiensium rerum, locorumque ratio exploratissima esse poterat, ac prorsus acquiescebamus diuturnae tuae in Regno sapientissime moderando experientiae, summopere illi ab insita virtute fideque tua profecto studio, quo tantum abest, ut quidquam promoveas quod in spirituale tuorum populorum detrimentum redundare possit, ut quamlibet etiam offensionis, ac periculi speciem evitandam diligentissime cures. Cum ita animo comparati essemus, ac in eam tibi rescriberemus sententiam, certiores isthinc facti fuimus, Venerabilem fratrem Carolum Episcopum Agriensem in eam spem venisse fore, ut ipso tibi referente facile intelligas, Vicarium Munkacsiensem longe ab eo distare, ut vindicari a pristina subiectione ullo modo mereatur, plenamque periculi rem esse, si, pro quo tantopere ille contendit, exemptiois beneficium reportaret.

Alius paulo post allatus nobis est nuncius prope esse, ut (f. 110v) Maiestas Tua pro sui animi religione a consilio illo de Vicariatu in Episcopatum erigendo iam recedat, ac illis contentam videri minime contemnendis nec mediocribus concessionibus, ad quas Munkacsiensi Vicario conferendas paratum se esse Agriensis Episcopus est professus. Hoc enim sua liberalitate palam facere ille omnibus voluit, se nulla rerum temporalium cupiditate, aut ambitione esse inductum, sed sui tantummodo pastoralis muneris ratione cogi, ut omnem in eo det operam, ne Sancta illa Graecorum, qui in sua dioecesi sunt, cum Latinis unio ad vanum nomen ac inanem rei speciem redacta, aeternam animis perniciem imposterum importet, quae etiam illos facile comprehendat, qui suam perficiendae rei manum minus consulte admoverint. Mirari profecto non debet Maiestas Tua, si his allatis nunciis non solum Nos continere ab omni deliberatione voluerimus, sed etiam plurimas egerimus Domino gratias, eumque maxime tum precati simus, ut compleat (f. 111) ipse quod cepit, ac eiusmodi indita tibi plena sapientia ac religionis consilia cumulatissima honorum omnium remuneratione prosequatur.

Huiusmodi nostros erga te gratissimos sensus Venerabilis frater Antonius Eugenius, Archiepiscopus Ephesinus, Apostolicus noster apud te ordinarius Nuncius, sibi communicatos minime dubitamus, quin ad Maiestaem Tuam detulerit, eosdemque nos ipsi eramus tibi tum, tamquam praeterea agendum ea de re superesset, luculentissime per litteras nostras declaraturi. Sed ab eodem certiores nuper facti de iis, quas dignata est illi communicare Maiestas

Tua, dum praesentem negotii statum explicaret et per se ipsam, et multo etiam diffusius per dilectum filium Baronem Plumeghen, nostri nunc officii esse ducimus omnem iterum tractare rem, ac in deliberationem adducere, ut id tandem consilii capere possimus, quod maxime opportunum sit, quodque res ipsa, prout (f. 111v) nunc est, potissimum postulare videatur.

Illo igitur, quo semper uti solemus, animi candore quemque regiis virtutibus tuis peculiarem in modum deberi a nobis agnoscimus, id nunc tibi perspicue affirmamus, facile victum iri nostram illam, quam superius innuimus, mentis repugnantiam, ne petitae Episcopatus erectioni consentiamus, si augustam Maiestatem Tuam ita persuasam esse videamus iis rationibus, quas pro Munkacsiensi Vicariatu in suis affert litteris, ut in semetipsam recipere minime vereatur quidquid deinde fuerit ex illa novitate a nobis inducenda consecutum. Sed quoniam ea est religio tua, ut pro rei gravitate cavendum tibi maxime esse existimes, atque idcirco omne hoc iudicium a nobis liberrime proficisci velis, aequum etiam tibi profecto videri debet, ut Nos quoque in tantae rei faciendo iudicio nobis ipsis caveamus ne in illud porro incidendum discrimen sit, ut in extremo die Christus Dominus e manibus nostris exquirat suo sanguine redemptas, ac nobis a se commissas animas (f. 112), quae ob nostram illam facilitatem fortasse perierint, dum easdem credimus suspectae illorum Pastorum custodiae, quos ipsa Ecclesiae iura ab aliorum, qui propius omnino inspecturi, ac moderaturi sint, auctoritate liberos esse non sinunt.

Rogamus igitur maiorem in modum ac obsecramus Regiam Maiestatem Tuam, aequissimo ferre animo velit, ut omnia, quae ad iudicium causae illius pro opportunitate, ac aequitate faciendum pertinere possunt, ab utraque parte ad nostram cognitionem deferantur; iis enim in examen adductis, ac rite perpensis certiori sententia rem hanc ad exitum perducere, Deo iuvante, valebimus. Hisce omnibus tibi, carissima in Christo filia nostra, quae primo, quae consequenter, quae postremo tempore ea de re sentiremus, candidè perspicueque iam declaratis, ac tantummodo nunc commemorato tibi illo de Focaras exemplo, quod nobis ante oculos observatur, ac in mentem etiam revocato (f. 112v) constante ipsius Ecclesiae de huiusmodi rebus iudicio, quod refertur confirmaturque a sa. mem. Benedicto XIV, non minus zelo, quam doctrina praestante Praedecessore nostro, in suo illo praeclaro opere *De Synodo dioecesana*, lib. II, cap. XII a § IV ad §VIII; reliquum iam est, ut ex nobis intelligas Nos esse, quid sensura postremo de tota re Munkacsiensi ipsa sis, a te cupidissime expectaturos. Interea precibus ad Deum nostris pro Maiestatis Tuae, totiusque augustae Domus felicitate coniungimus Apostolicae benedictionis salutare munus, intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur.

Datum in Arce Gandulphi, Albanen. dioecesis, sub Annulo Piscatoris, die 10 Octobris 1770, Pontificatus Nostri Anno secundo.

783.

*In Arce Gandulphi, 10 . X . 1770**Archiepiscopo Agriensi in negotio erectionis Eparchiae Munkacsiensis in Ucraina Carpatica, dominio Austriae subiecta.*

ASV, Ep. ad Principes, vol. 166 fol. 113rv.
 DE MARTINIS R., op. cit., vol. IV, p. 176, in nota.

Venerabili fratri Carolo Episcopo Agriensi³⁵.

CLEMENS PAPA XIV. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Litteras Fraternitatis Tuae die XXII Augusti proxime praeteriti datas, ex quibus ea omnia intelleximus, quae de rerum Munkacsiensium³⁶ statu defers, quaeque isthic egeris, ac quo studia tua omnia, consilia, curam operamque direxeris. Unde perlibenter videmus atque cognoscimus pastoralementem sollicitudinem tuam, teque pro commisi tibi gregis salute adeo laborantem meritisimis laudibus prosequimur. Nos quidem in huiusmodi rerum deliberatione ita comparatos esse tibi persuade, ut nihil temere decreturi simus, ex quo posset fidelium animis ullum detrimentum aut discrimen inferri; certusque sis ad eam nos deventuros sententiam, quae (perspectis ac expensis omnibus, ac plurima praesertim habita ratione eorum, quae carissima in Christo filia nostra Maria Theresia Hungariae regina apostolica postremo pro suae religionis studio censura erit) aequior esse ac opportunior videbitur. His tibi de universa re per nos rescriptis, cetera ex Ven. fratre Antonio Eugenio, Archiepiscopo Ephesino, Nuncio nostro³⁷ cognosces. Ac in plurimae pontificiae benevolentiae pignus Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis frater, peramanter impertimur.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, die X Octobris MDCCLXX, Pontificatus Nostri An. II.

784.

*Romae, 17 . XI . 1770**Epistula Clementis PP. XIV ad Imperatricem Austriae in negotio erectionis Eparchiae Munkacsiensis in Ucraina Carpatica.*

ASV, Ep. ad Principes, vol. 166, fol. 129-130v.
 DE MARTINIS R., op. cit., vol. IV, p. 175-6, in nota.

³⁵ Agitur de Carolo Eszterhàzi, Episcopo Agriensi, qui sub data 31.III.1767 longam Romano Pontifici scripsit litteram, qua importunitatem erectionis Eparchiae Munkacsiensis persuadere totis conabatur viribus, scopumque suum interim obtinuit. Cfr. hac de re J. BASILOVITS, *Brevis notitia*, vol. II, pars. IV, pag. 76-125; *Opinio et informatio de Episcopatu G.R. Munkacsiensi non erigendo etc.*, Agriae 1770. Cfr. supra Breve sub data 14.XI.1767, nr. 772.

³⁶ Cfr. notam praecedentem.

³⁷ Antonius Eugenius Visconti, Nuntius Apostolicus Varsaviensis (1760-1766), et dein Viennensis (1767).

Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae, Hungariae Reginae Apostolicae, nec non Bohemiae Reginae illustri in Romanorum Imperatricem electae, viduae ³⁸.

CLEMENS PAPA XIV. Carissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

Etsi in gravissimam deliberationem inducti essemus postulato Apostolicae Maiestatis Tuae de Munkacsensi Vicariatu in Episcopatum erigendo, magnasque dubitandi causas haberemus, quas litteris die X Octobris ad te datis, attulimus, tamen quid ipsa postremo sensura pro tua sapientia ac religione esses, cupidissime nos expectaturos esse iisdem litteris declarabamus. Cum itaque isthinc certiores nunc facti sumus de non intermisso eiusmodi studio, quod a te retineri sine maxima ratione non potuit, quam quidem ab imminenti rerum a te perspecto periculo, et ab ipsa unionis Graecorum cum catholica Romana Ecclesia retinendae necessitate repeti praecipue ac deduci intuemur, statim omnem dubitationem abrumpere tibi que obsequi decrevimus. Vicit igitur in nobis sapientiae tuae ac religionis existimatio, atque ita vicit ut praeteritae quidem tuae experientiae, optimae, ut scribis, rerum magistrae, innitamur; sed potissimum tamen ponamus spem in vigilantia ac sollicitudine a te exinde ad Unionis incrementum conferenda.

Quod itaque a nobis tantopere flagitas, carissima in Christo filia nostra, efficere parati iam sumus, in eam scilicet nos venisse sententiam tibi significamus graecanico populo, qui dioecesis Agriensis fines incolit ac latinae Ecclesiae per unionem est addictus³⁹, Graeci Ritus Episcopum largiendi. Eidem tamen hanc imponemus legem, ut Episcopi Strigoniensis Metropolitanus sui auctoritati iurique subiectus sit⁴⁰; et ad cetera ab eo praestanda officia illud etiam adiungemus, ut his quotannis circa solemniora Domini festa ad eundem, ac, in ipsius defectu, ad viciniorem Episcopum accedere debeat, totiesque in eiusdem manus professionem fidei rite emittendam renovare⁴¹. Quam cautionem nos in tam gravi re adhibendam esse ducimus, ut hoc maiore religionis vinculo illius conscientiam ad confirmandam nobiscum fovendamque unionem magis magisque constringamus. Quam quidem ad publicam etiam populorum regni que tui securitatem vehementer conducere cum tibi persuasissimum esse certi sumus, minime ambigimus, quin ad consequendum utriusque pariter incrementum, sis omnem regiam curam, operam atque auctoritatem tuam maxime collatura. Atque haec de tua pietate, religione ac virtute fiducia summopere nos in suscepto consilio confirmat quodque faciendum decrevimus, id multo cupidius alacriusque praestituri sumus, ut etiam luculentissimam erga te

³⁸ Maria Theresia, post obitum Francisci I (1745-1765) vidua-Imperatrix, quae nomine filii Iosephi II regnabat (-1780).

³⁹ Inde ab anno 1646.

⁴⁰ Ante erectionem Eparchiae Munkacsensis, quae potius renovatio dici debet, territorium hoc ab anno 1689 expresse administrabatur a Vicario Apostolico, sub depectentia seu superintendentia Episcopi Agriensis. Nunc noviter renovava Eparchia iure metropolitico subditur Archiepiscopo Strigoniensi.

⁴¹ Haec clausula et obligatio Episcopis Munkacsensibus valde praeiudicialis erat, a qua iam mox dispensari pelebant, et, ut videtur, obtinuerunt. Cfr. J. BASILOVITS, *op. cit.* pars IV, pag. 206-207, ubi Basilovits etiam rationem huic inusitatae clausulae assignat, influxum nempe Episcopi Agriensis.

voluntatem nostram novis eiusmodi uberioribus pontificiae caritatis argumentis magis testatam faciamus.

Superest nunc, ut eum ipsa proponas nobis, ac nomines virum, quem magis idoneum esse ad illud pastorale munus iudicaveris, ut eundem nos in Episcopum clero populoque Munkacsiensi praefuturum eligamus. Ac Apostolicam benedictionem regiae Maiestati Tuae totique augustae nobis carissimae Domui intimo paterni cordis sensu amantissime impertimur.

Datum Romae, die XVII Novembris MDCCLXX, Pontificatus Nostri Anno II.

785.

Romae, 24 . XI . 1770

Clemens XIV Mariae Theresiae Imperatrici S.R. Imperii in negotio erectionis Eparchiae Munkacsiensis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 166, fol. 133rv.

BAŠILOVITS J., *Brevis notitia foundationis...*, vol. 2, p. 196-7.

CLEMENS PP. XIV. Charissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

Vix intelleximus ex Venerabilis fratris Antonii Eugenii, Archiepiscopi Ephesini, ordinarii Nuntii nostri litteris, qua in sententia in Munkacsiensi negotio Maiestas Tua esset, post acceptam epistolam nostram die X Octobris ad te datam, quamque certa voluntate cuperes, ut Vicariatus ille in Episcopatum constitueretur, eam omnem statim dubitationem abrumpendam decrevimus, tibi per aliam nostram ad te die XVII huius mensis datam significavimus, paratosque iam esse nos obsequi desiderio tuo, ac proinde Clero populoque Munkacsiensi nobiscum per unionem coniuncto Apostolica auctoritate suum Graeci Ritus Episcopum largituros.

Redditae porro sunt nobis humanissimae litterae tuae die VI huius mensis datae, ad quas nunc hisce nostris rescribimus, in iisdem etsi iam perspectam, exploratamque, tamen a te ipsa aperte declarari nobis voluntatem tuam ita cognovimus, ut delectati vehementer simus praestitisse iam nos tibi, quod petis, ac illa quasi responsione nostra postremam hanc tuam epistolam praevertentes palam tibi fecisse quantum in ea tam gravi re sapientiae, pietati, ac religioni tuae deferremus. Quae iudicii de te nostri ratio ita nos in suscepto consilio confirmat, ut quem optamus rei exitum certissime nobis polliceri non dubitemus. Neque ambigimus, quin Deus Optimus Maximus, qui suae gloriae causa Maiestatem Tuam id cupere nosque agere cognoscit, praesenti ope ac praesidio decreta haec nostra comprobaturus sit. Ac in singularis nostrae erga te paternae charitatis pignus Apostolicam benedictionem regiae Maiestati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXIV Novembris MDCCLXX, Pontificatus Nostri Anno secundo.

786.

Romae, 1770

Indulgentia ad tempus pro ecclesiis Monachorum Ordinis Basiliani. Textus periit, vel nondum inventus est in Registris Vaticanis.

SECRET. BREVIUM, *Indices*, vol. 117.

Fol. 549: Ruthen.: Pro ecclesiis Monachorum Ordinis S. Basilii Congregationis Ruthenae.

Similis in festo Titularium.

787.

Romae, 19 . IX . 1771

Bulla erectionis Eparchiae Munkacsensis in Ucraina Carpatica Imperatori Austriae in temporalibus subiecta.

ASV, *Reg. Lat.* vol. 2099, fol. 121-130v.

Bullarii Romani continuatio, vol. V, p. 382-385, nr. 144.

BASILOVITS J., *Brevis notitia fundationis...*, v. 2 p. 197-206.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 175-179, nr. 15.

CLEMENS EPISCOPUS Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Eximia regalium principum erga catholicam fidem sinceritas et devotio, qua ipsi in Apostolici ovilis unionem et firmitatem etiam cum proprii peculii impendio eniti procurant, ita urget cor nostrum, ut ad ea quae ab iis pie religioseque petuntur, utpote ad divini cultus incrementum tendentia, aures nostras ad exauditionis gratiam declinare non possimus, quin imo protinus Apostolica dignitate prosequimur, prout tantorum principum id exigunt preces, et Apostolicae Sedis ad illas gratias habendas convenit inclinatio.

Cum itaque alias, sicut nobis innotuit, in dioecesi Agriensi ob Ruthenorum graeci ritus uniti frequentiam ibidem cum Latinis commorantium a Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris Vicarius Apostolicus eiusdem ritus Apostolica auctoritate fuisset designatus⁴², qui in oppido Munkacs dictae dioecesis degens, ac episcopali titulo ecclesiae in partibus infidelium consistentis insignitus sacros ordines Graecis unitis conferre, aliasque sui episcopalis ministerii partes iuxta Graecorum unitorum huiusmodi consuetudinem, privilegia et indulta eidem Vicario a Sede Apostolica concessa obire posset; cumque, Deo dante, illius gentis numerus schisma deserentis adeo succreverit, ut ipsi a catholico sui ritus Antistite regi et gubernari, ac proprii pastoris solatio frui et praesidio tueri adversus Schismaticorum versutias, qui e sanctae matris Ecclesiae sinu eos divellere et in suos errores traducere saepenumero adnituntur, maxime desiderent.

Et proinde carissima in Christi filia nostra Maria Theresia, Hungariae et

⁴² Primus, ut videtur, cum hoc titulo anno 1689 erat Josephus de Camillis (- 1706). Cfr. vol. I nostrae collectionis, sub 5.XI.1689, nr. 615, pag. 658.

Bohemiae Regina Apostolica, cuius temporali ditioni iidem subsunt, pio religionis in dies augendae studio incensa et sollicita, ut ipsi orthodoxae fidei firmiter inhaereant, ac Schismatici ad eam amplectendam facilius alliciantur, loco et vice Vicariatus Apostolici huiusmodi in eodem oppido Munkacs Episcopatum graeci ritus uniti per nos pari Apostolica auctoritate erigendum vehementer exoptet, quemadmodum ipsa Maria Theresia Regina Apostolica regiis suis literis ad id nobis datis luculentius exposuerit.

Nos, matura prius deliberatione habita, dictae Mariae Theresiae Reginae Apostolicae precibus indulgere, ac Ruthenorum graeci ritus uniti nationem, quantum in Domino licet, specialibus favoribus et gratiis prosequi, tum eorum spirituali bono animarumque saluti prospicere volentes, motu proprio et ex certa scientia, deque Apostolicae potestatis plenitudine, officium Vicariatus Apostolici eiusdem ritus alias in dicto oppido Munkacs dicta Apostolica auctoritate, ut praefertur, designatum, eadem Apostolica auctoritate perpetuo supprimimus et extinguimus, ac praedictum oppidum iuxta canonicas sanctiones civitatis episcopalis titulo et honore dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuo decoramus, ac ecclesiam inibi sitam, et a dilecto filio nostro et Sedis Apostolicae Nuntio Viennensi designandam in ecclesiam cathedralem Munkacsiensem graeci ritus uniti nuncupandam pro uno Episcopo Munkacsiensi eiusdem graeci ritus uniti etiam nuncupando, qui omnibus episcopalibus insigniis et privilegiis eisdem modo et forma, quibus caeteri Episcopi graeci ritus uniti perfruuntur et gaudent, cum omnimoda iurisdictione episcopali in Graecos omnes unitos in praescripta Munkacsiensi aliisque locis et terris dictae dioecesis Agriensis existentes etiam perfruuntur et gaudent, Apostolica auctoritate praefata similiter perpetuo erigimus et instituimus.

Et pro dictae Ecclesiae episcopalis Munkacsiensis dote et ad episcopalem dignitatem decenter tuendam, summam quinque millium florenorum monetae illarum partium a dicta Maria Theresia Regina Apostolica constitutam annuatim perpetuo absque ulla diminutione persolvendam; ita tamen, ut semper et quaecumque eiusdem Mariae Theresiae Reginae Apostolicae in Hungariae regno successores pro tempore existentibus Episcopis Munkacsiensibus graeci ritus uniti de huiusmodi summa integre providere, vel eis aequivalentes fundos assignare teneantur, eadem Apostolica auctoritate perpetuo quoque constituimus et assignamus, ac quod in praedicta civitate Munkacsiensi per Nos episcopali titulo, ut praefertur, decorata domus pro decenti pro tempore existentis Episcopi Munkacsiensis graeci ritus uniti huiusmodi habitatione, nec non quod in dicta ecclesia cathedrali Munkacsiensi per Nos, ut praefertur, erecta presbyteri saeculares seu monachi eiusdem graeci ritus uniti, dummodo ad praesens non adsint qui inibi Capituli et Canonicorum aliorum eidem Ecclesiae cathedrali Munkacsiensi per Nos, ut praefertur, erectae in divinis inservientium invicem impleant officioque fungantur, instituantur dicta Apostolica auctoritate itidem perpetuo statuimus et decernimus.

Et nominationem a dicta Maria Theresia Regina Apostolica nobis de persona ad dictam Ecclesiam cathedralem Munkacsiensem per Nos, ut praefertur, erectam a primaeva illius erectione et institutione huiusmodi, ut petitur, vacantem factam, et ad illam per nos propediem dicta Apostolica auctoritate promovendam, prout etiam nominationem quae ab eius in praedicto Hungariae regno successoribus praedictis Romano Pontifici pro tempore

existenti infra tempus a iure praefixum de persona idonea ad dictam Ecclesiam episcopalem Munkaciensem per Nos, ut petitur, erectam et pro tempore vacantem fieri debebit, pari prorsus modo, quo ad nominationem huiusmodi Episcopi aliarum cathedralium Ecclesiarum in dicto regno existentium a Sede Apostolica praefata praefici consueverunt, eadem Apostolica auctoritate nunc ac etiam perpetuo admittimus; cum ea tamen lege, quod tam Episcopus in dicta ecclesia cathedrali Munkaciensi per Nos, ut praefertur, erecta, et a primaeva illius erectione huiusmodi, ut praefertur, vacante, primo instituendus, quam eius in Ecclesia cathedrali per Nos, ut praefertur, erecta huiusmodi successores omnes nullo umquam tempore ordinariae iurisdictioni Ven. fratris nostri moderni et pro tempore existentis Episcopi Agriensis praediudicium aliquod inferre praesumat.

Sed iurisdictionem suam ordinariam in clerum dumtaxat et populum Ruthenorum graeci ritus uniti aliosque qui eosdem ritus et unionem sequuntur, et degunt tam in civitate Munkaciensi praedicta per Nos episcopali titulo, ut praefertur, decorata, quam in aliis praedictae Agriensis dioecesis partibus, simpliciter exercere valeant, exacte servantes et adimplentes decreta omnia Congregationis Venn. fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium de Propaganda Fide hactenus edita vel edenda quoad Graecos qui cum Latinis immixti vivunt, quique huic novae provisioni non obstant. Et insuper non solum in dicta ecclesia cathedrali Munkaciensi per Nos, ut praefertur, erecta, et a primaeva illius erectione huiusmodi vacante primo, ut praefertur, instituendum Episcopum, verum etiam omnes alios ad eandem Ecclesiam Munkaciensem graeci ritus uniti huiusmodi per nos, ut praefertur, erectam dicta Apostolica auctoritate ad nominationem huiusmodi promovendos, tam in eorum institutione, quam in singulis quibusvis annis, vita comite, fidei professionem a fel. rec. Urbano PP. VIII, etiam Praedecessore nostro, pro Graecis unitis praescriptam emittere coram personis sui cleri aut capituli in dignitate ecclesiastica insigniori constitutis, eamque scriptis traditam propriaeque manus earundem personarum subscriptione et sigillo munitam ad pro tempore existentem Viennae Nuntium Apostolicum transmitti omnino teneri; quamque sic emissam ipse Nuntius Apostolicus ad Congregationem Venn. fratrum nostrorum eiusdem S.R.E. Cardinalium rebus consistorialibus propositam perferri curabit, eadem Apostolica auctoritate pariter perpetuo statuimus et decernimus.

Ac demum pro tempore existentibus Archiepiscopis Strigoniensibus, ut ipsi iurisdictionem omnem, quo iure metropolitico in Ecclesias suffraganeas illius provinciae eis competit, in dictam ecclesiam cathedralem quoque Munkaciensem dicti graeci ritus uniti per Nos, ut praefertur, erectam plenarie exerceant, cum facultate etiam, toties quoties eis placuerit, ea inquirendi cognoscendique, quae ad fidei puritatem animarumque spirituale bonum noverint pertinere, Apostolica auctoritate praedicta similiter perpetuo committimus et mandamus.

Decernimus, praesentes semper et perpetuo validas et efficaces esse et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus et singulis, ad quos nunc spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum, firmiter et inviolabiliter observari debere, ac ullo umquam tempore ex quocumque capite et qualibet causa quantumvis iuridica et legitima, etiam

ex eo quod causae propter quas eadem praesentes amanarunt adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vel invalidationis vitio, aut intentionis nostrae, aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali, substantialissimo, inexcogitato et inexcogitabili, ac specialem et individua mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda, servata et adimpleta non fuerint, aut ex eo quocumque alio capite, iure vel facto, seu statuto vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissima, totalisque laesionis aut quocumque alio colore, praetextu, ratione vel causa etiam quantumvis iusta, rationabili, legitima, iuridica, pia, privilegiata, etiam tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate nostra et aliis superius expressis nullibi appareret, seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, in ius vel controversiam revocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, vel adversus illas restitutionis in integrum, aperiitionis oris, reductionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris vel facti, aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quodomolibet, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus concessio et impetratio vel emanatio, quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra illud nunquam posse, neque eadem praesentes sub quibusvis similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, modificationibus, derogationibus, aliisque contrariis dispositionibus per quascumque literas et constitutiones Apostolicas, aut Cancellariae Apostolicae regulas quodcumque etiam in crastinum assumptionis nostrae et successorum nostrorum Romanorum Pontificum ad summi Apostolatus apicem ut motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam consistorialis, ex quibuslibet causis, et sub quibusvis verborum expressionibus tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et deretis, etiamsi in eis de iisdem praesentibus earumque toto tenore ac data specialis mentio fiat, editas et in posterum edendas comprehendendi, sed semper et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum et validissimum statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas fore et esse.

Sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac eiusdem S.R.E. Cardinales etiam de latere Legatos, Vice-legatos, dictaeque Sedis Nuncios, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa et privilegio fungentes, ac honore et praeeminentia fulgentes, sublata ius et eorum cuiuslibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, in quocumque iudicio et in quacumque instantia iudicari et definiri debere; irritum quoque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra et Cancellariae Apostolicae praedictae regula de iure quaesito non tollendo, aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet etiam in synodalibus provincialibus, generalibus et universalibus Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus, vel ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis quibusvis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque effica-

cioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis ac irritantibus, et aliis decretis in genere vel in specie, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus pro tempore concessis et concedendis. Quibus omnibus et singulis etiamsi pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia etiam exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum nihil penitus omisso, et forma in aliis tradita observata, et inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime ad praemissorum validissimum effectum specialiter et expresse, nec non opportune et valide. hac vice dumtaxat, harum quoque serie, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae suppressionis, extinctionis, erectionis, institutionis, constitutionis, assignationis, statuti, decreti, admissionis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Domini-cae Millesimo septingentesimo septuagesimo primo, tertio decimo Kalendas Octobris, Pontificatus Nostri Anno III.

788.

Romae. 23 . IX . 1771

Provisio noviter erectae Eparchiae Munkacsiensis in persona Episcopi Joannis Bradacs, nunc tit. Rossensis, et Vicarii Apostolici Munkacsiensis.

ASV, Reg. Lat., vol. 2099, fol. 501-504.

BASILOVITS J., *Brevis notitia foundationis...*, v. 2, p. 210-214.

CIEMENS etc. Venerabili fratri Joanni Bradacs⁴³, Episcopo nuper Rossensi in Episcopum Munkacsiensem electo, salutem etc.

Romani Pontificis etc. incrementis. Sane Ecclesia Munkacsiensis, Ritus Graeci, Sanctae Romanae Ecclesiae uniti, nuper per nos in cathedralem erecta et instituta, ad quam tam pro hac prima vice, quam dum illa pro tempore vacare contigerit, nominatio personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad charissimam in Christo filiam nostram Mariam Theresiam, Romanorum Hungariae et Bohemiae Reginam Illustrem Apostolicam ex privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, (f. 501v) spectare dignoscitur a primaeva illius erectione et institutione huiusmodi Apostolica auctoritate factis, Pastoris solatio destituita. Nos ad provisionem eiusdem Ec-

⁴³ Jannes Bradacs, iam inde ab anno 1767 Ep. tit. Rossensis et Vicarius Apostolicus Munkacsiensis (cfr. supra, nr. 774). Ipse erectioni Eparchiae Munkacsiensis ultimam apposuit manum, ad quam translatus est ut primus Episcopus Munkacsiensis residentialis. Consecratus Episcopus tit. Rossensis die 20.IV.1768 a Meletio Kovacs, Ep. Magno-varadiensi, professione religiosa pridie in cibiculo private emissa. Obiit iam anno 1772, die 23.VI, in Mukačevo. Cfr. BASILOVITS, *op. cit.*, pars III, pag. 113-119, et pars IV, pag. 42 sq.

clesiae Munkaciensis celerem etc. diligentem, demum ad te, Episcopum nuper Rossensem, consideratis etc. insignivit, et attendentes quod licet tu Ecclesiam Rossensem⁴⁴, quae in partibus infidelium consistit gubernare minime potuisti nihilominus munus consecrationis suscepisti, et uti Vicarius Apostolicus in oppido nunc civitate Munkaciensi Apostolica auctoritate praedicta deputatus pontificalia exercuisti, Sacros Ordines contulisti, solemniter celebrasti, et sacramentum Confirmationis ministrasti, praefatam (f. 502) Ecclesiam Munkaciensem scies etc. feliciter gubernare, direximus oculos etc. providere, te a vinculo quo dictae Ecclesiae Rossensi, cui praees, teneris etc. absolventes, te qui fidem catholicam iuxta articulos propositos expresse professus fuisti, quemque praedicta Maria Theresia Regina Apostolica nobis ad hoc per suas litteras nominavit ad praedictam Ecclesiam Munkaciensem etc. trasferimus. Teque eidem Ecclesiae Munkaciensi in Episcopum praeficimus et pastorem, curam etc. committendo liberamque tibi ad praedictam Ecclesiam Munkaciensem transeferendi licentiam tribuendo, firma spe etc. conceptis quod etc. propitia dicta Ecclesia M. etc. prospere dirigetur, ac grata etc. incrementa.

Quocirca Fraternitati Tuae per etc. mandamus, quatenus ad dictam Ecclesiam M. cum gratia etc. accedens curam etc. gaudeat se commissam. Tuque praeter etc. merearis.

Volumus autem et decernimus quod tu nullum ordinis et iurisdictionis actum exercere valeas, donec et quousque litterae Apostolicae super erectione et assignatione huiusmodi iam expeditae suum sortitae fuerint plenarium effectum, quodque tam tu, quam tui Successores Episcopi annis singulis fidei professionem a fel. rec. Urbano PP. VIII, Praedecessore nostro, pro Graecis unitis praescripta sub eadem omnino formula nuper per te iurata emittere coram personis tui Cleri aut Capituli in insigniore dignitate ecclesiastica constitutis illamque sic emissam scriptis traditam propriaeque manus ac dictarum personarum (f. 503v) subscriptam et sigillo munitam ad d. f. nostrum et Sedis Apostolica pro tempore existentem Nuntium Viniensem Austriae transmittere omnino teneanimi, quamque ipse Apostolicus Nuntius ad Congregationem rebus Consistorialibus vel eiusdem S.R.E. Cardinalium negotiis de Propaganda Fide praeposita etc. perferri curabit.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno etc. Millesimo septingentesimo septuagesimo primo, nono Kalendas Octobris, etc. Anno tertio.

789 - 794.

Romae, 23 . IX . 1771

De provisione Eparchiae Munkaciensis dantur litterae Capitulo, Clero, populo, Vasallis, Archiepiscopo Strigoniensi, et Imperatrici.

ASV, Reg. Lat., vol. 2099, fol. 503-504.

Simili modo.

CLEMENS etc.

DD. ff. Capitulo Ecclesiae Munkaciensis, salutem etc.

Hodie Venerabilem fratrem nostrum Joannem Bradacs⁴⁴, Episcopum nu-

⁴⁴ Cfr. Bullam provisionis, nr. 788.

per Rossensem in Episcopum Munkaciensem electum, a vinculo etc. absolventes, ipsum ad Ecclesiam vestram M. Graeci Ritus praedictae S.R.E. uniti a primaeva illius erectione et institutione Apostolica auctoritate factis, pastoris solatio destitutam, de consilio etc. in Episcopum praefecimus et Pastorem (503v), curam etc. committendo prout etc. observari.

Datum ut supra.

Simili modo.

DD.ff. Clero civitatis et Dioecesis Munkaciensis, salutem etc. Hodie etc. continetur, quocirca etc. observari.

Datum ut supra.

Simili modo.

DD.ff. populo civitatis et Dioecesis M., salutem etc. Hodie continetur etc. quocirca etc. gaudeatis.

Datum ut supra.

Simili modo.

DD.ff. universis Vassallis Ecclesiae M., salutem etc. Hodie etc. continetur, quocirca etc. observari.

Datum ut supra.

Simili modo.

Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc.

Ad cumulum etc. prosequaris. Hodie siquidem etc. continetur. Cum igitur etc. optamus Fraternitatem Tuam etc. hortamur attente tibi etc. mandantes quatenus etc. merearis.

Datum ut supra.

Simili modo.

Charissimae in Christo filiae Mariae Theresiae Romanorum, Hungariae, et Bohemiae Reginae Illustri Apostolicae, salutem etc.

Gratiae divinae etc. (f. 504) impendatur. Hodie etc. continetur. Cum itaque, filia charissima, sit virtutis opus Dei ministros etc. venerari Majestatem Tuam Regiam hortamur attente, quatenus etc. prosperari ac tibi etc. actio gratiarum.

Datum ut supra. XII-XII-XII-XII-XII-XII-XII. residuum gratis⁴⁵ de mandato SS.mi Expedit. Kalendis Octobris Anno tertio.

PANINI

795.

Romae, 23 . IX . 1771

Absolutio a censuris ecclesiasticis noviter nominati Episcopi Munkaciensis.

ASV, Reg. Lat., vol. 2099, fol. 504rv.

CLEMENS etc. Venerabili fratri Joanni Bradacs, Episcopo Rossensi, salutem etc.

Apostolicae Sedis etc. opportuna. Cum itaque Nos hodie te a vinculo

⁴⁵ Numeri hi referuntur ad singula documenta, designantque taxam Curialem pro confectioe et expeditione Brevium.

etc., absolventes et ad Ecclesiam M., Ritus Graeci praedictae S.R.E. uniti a primaeva illius erectione et institutione Apostolica auctoritate factis, Pastoris etc. destitutam, dei consilio etc. transferre, teque eidem Ecclesiae M. in Episcopum et Pastorem praeficere intendamus, Nos, ne si in aliquibus ecclesiasticis sententiis etc. ligatus sis etc. (f. 504v) providere volentes, teque a quibusvis suspensionis etc. absolvimus et absolutum fore nuntiamus, non obstantibus constitutionibus etc. dictaeque Ecclesiae Munkacsensis etc. contrariis quibuscumque. Nulli etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno etc. Millesimo septingentesimo septuagesimo primo, nono Kalendas Octobris, Anno tertio.

XII — residuum gratis, de mandato SS.mi.

PANINI

796.

In Arce Gandulphi, 25 . IX . 1771

Appellatio Gabrielis Sosnovskyj, Parochi dioec. Berestensis.

ASV, *Brev. Lat.*, vol. 753, fol. 33rv, 36.

Venerabili fratri Archiepiscopo Kioviensi sive Dilectis filiis eius
 Officiali et Francisco Mirzeiewski, Canonico Ecclesiae Livoniensis
 et Praeposito Rodnensi et eorum alteri

CLEMENS PP. XIV. Venerabilis frater sive Dilecti filii, salutem etc.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Gabriel Sosnowski Parochus parochialis ecclesiae Kostomlicensis Brestensis sive alterius civitatis vel dioecesis Ritus Graeci Latino uniti, quod cum ipse Exponens fuerit a dilecto etiam filio Officiali Episcopatus Brestensis eiusdem Ritus ad instantiam dilectorum pariter filiorum Prioris et Religiosorum Ordinis Sancti Augustini Conventus Brestensis et fiscalis Rutheni nulliter et iniuste privatus suo beneficio curato cum deputatione dilecti similiter filii Simonis Ostaszewski, Parochi Ostromerensis, uti Oeconomi eiusdem parochialis ecclesiae Kostomlicensis adversarii per sententiam definitivam seu decretum definitivum, appellavit idem Exponens ab huiusmodi sententia seu decreto ad Tribunal Nuntiaturae Ap. in Regno Poloniae, coram quo instetit ipse Exponens pro purgatione attentatorum et circumscriptione omnium actorum et sententiam definitivam seu decretum definitivum memoratus Exponens reportavit iniuncta insuper amotione dicti Oeconomi adversarii et reintegratione Exponentis ad suam parochialem ecclesiam ac restitutione omnium bonorum tam mobilium quam immobilium ei ablatorum et relaxatione censurarum contra eundem adversarium, adversus quam sententiam seu decretum appellavit praedictus adversarius ad Sedem Apostolicam, causamque appellationis huiusmodi per Breve Apostolicum committi obtinuit Augustino Nowosielski, Abbati Monasterii Kobrinensis Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum predicti Ritus Graeci Latino uniti. Verum quia iste pari nullitate et iniustitia supradictam sententiam seu decretum Nuntiaturae Ap. Reg. Poloniae favore Exponentis

praedicti latam seu factum revocavit et Exponentem praedictum de aliquo Vicariatu seu Coadiutoria circa aliquem senem Presbiterum providendum statuit per aliam sententiam definitivam seu decretum definitivum. Idcirco Exponens praedictus ab hac ultima sententia seu decreto uti notorie etc. appellavit etc. contrariis quibuscumque.

Datum in Arce Gandulphi, Albanensis dioecesis, sub Annulo Piscatoris, die XXV Septembris MDCCLXXI, Pont. Nostri An. tertio.

C. BRUNER OFFICIALIS
C. OLIVARIUS

797.

Romae, 7 . IV . 1772

Indulgentia plenaria pro prima die Dominica cuiuslibet mensis, Defunctis applicanda, conceditur ecclesiae penes monasterium Bučačense, in Ucraina Occidentali.

ASV, *Archivio dei Brevi Ap.: Indulgenze ad tempus*, vol. 7, fol 520.

CLEMENS PP. XIV. Universis Christifidelibus etc.

Ad augendum etc. intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus et confessis, qui ecclesiam Monachorum Ordinis S. Basilii Magni loci Buczacensis⁴⁶, Leopoliensis Dioecesis, in qua Communio generalis de licentia Ordinarii prima Dominica cuiuslibet mensis singulis annis agetur, dictis Dominicis devote visitaverint, ibique SS.mum Eucharistiae Sacramentum sumpserint ac pro christianorum etc., effunderint, qua Dominica praedictarum id egerint, plenariam etc. remissionem, quam etiam animabus Christifidelium quae Deo etc. concedimus. Praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem etc. nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 7 Aprilis 1772, An. 3.

798.

Romae, 15 . IV . 1772

Novum Nuntium Varsaviensem etiam Metropolitae Kioviensi Pontifex commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 167, fol. 182v-183.

Venerabili fratri Feliciano, Archiepiscopo Kioviensi,
Haliciensi et Polocensi, totius Russiae Primati.

CLEMENS PP. XIV. Venerabilis frater, salutem etc.

Ad carissimum in Christo filium nostrum Stanislaum Augustum Poloniae Regem Illustrem, ac ad vestram inclitam Rempublicam mittimus Vene-

⁴⁶ Oppidum Bučač, in Ucraina Occidentali, in Podoliae provincia situm, inde ab anno 1712 claruit monasterio Basilianorum, a Stephano Potockyj fundato, quam fundationem filius eius Nicolaus auxit scholamque ei addidit praediisque dotavit, et ecclesiam aedificavit. Monasterium ad novissima usque tempora viguit, scholisque claruit.

rabilem fratrem Josephum, Archiepiscopum Beryti⁴⁷, qui ordinarii nostri et Apostolicae Sedis Nuntii munus isthic obeat. Maxima in eo, praeter generis splendorem, virtutum ornamenta sunt ac ad singularem doctrinam et prudentiam mirificum pietatis ac religionis studium adiungitur. Minime igitur ambigere possumus, quin hac praecipue de causa commendatissimus idem tibi sit, qui pro episcopali officio omnes actiones tuas ad divinam gloriam, ad catholicam scilicet fidem hoc tempore potissimum (f. 183)) conferre debeas; cuicu quae qualesque rationes sint et Nos in nostra epistola encyclica iampridem declaravimus et noster hic Nuntius idem, ut putamus, tibi nobiscum sentienti nostro nomine confirmabit. Itaque et confidimus fore, et maiorem in modum etiam a te petimus, ut tuam opem atque operam ipsi, quotiescumque res feret, paratissimam esse velis, peragentemque mandata nostra diligenter adiuves, quae illuc unice spectant, ut incolumi religione pristinus in inclitam Nationem vestram tranquillitatis ac pacis status referatur. Illi igitur parem ac nobis ipsis adhibebis fidem, quaeque praeterea de eximia nostra in te caritate deferet, Apostolica Nos confirmamus benedictione, quam intimo nostri cordis sensu Fraternitati Tuae peramanter impertimur.

Datum etc. 15 Aprilis 1772, Anno 3.

Eodem exemplo Episcopis: Luceoriensi, Culmensi, Samogitiensi, Camenecensi, Vilnensi, Kelmensi, Polocensi, Livoniensi, Smolescensi, Premisliensi.

799.

Romae, 5 . VI . 1772

Conceditur indulgentia in ecclesia parochiali in Dolyna, in Dioecesi Leopoliensi.

ASV, *Arch. dei Brevi Ap.: Indulgenze ad tempus*, vol. 8, fol. 124.

CLEMENS PP. XIV. Universis Christifidelibus etc.

Ad augendam etc. intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui ad sonum campanae ecclesiae parochialis Conceptionis B.V.M. Immaculate oppidi civitatis nuncupatae Dolina, Leopoliensis Dioecesis, quoties ibidem aliquem Christifidelium in mortis agone constitutum esse contigerit, faciendam, pro eodem Christifideli in mortis agone, ut praefertur, consituito, ac pro Christianorum etc. effuderint, qua vice id egerint, quadraginta dies de iniunctis eis, seu alias etc. relaxamus. Praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione etc. nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 5 Junii 1772, An. 4.

⁴⁷ Josephus Garampi, Nuntius Varsaviensis (1772-1776), dein Viennensis. Archivista et Bibliothecarius S. Sedis Apostolicae gloriosus, Cardinalis S.R.E. die 14.II.1785.

Obiit Romae die 4.V.1792. W. MEYSZROWICZ, *De Archivo Nuntiatursae Varsaviensis*, Vaticani 1944 p. 24-30.

800.

Romae, 1 . IX . 1772

*Alia appellatio Simeonis Ostashevskij, e dioecesi Berestensi.*ASV, *Brev. Lat.*, vol. 753, fol. 164rv .

Dilectis filiis Antonino Mlodowski⁴⁸, Administratori Episcopatus Vladimiriensis, et antiquiori Canonico Ecclesiae Brestens, et eorum alteri.

CLEMENS PP. XIV. Dilecti filii, salutem etc.

Exponi nobis nuper fecerunt dilecti filii Fiscalis ecclesiasticus Consistorii Brestensis civitatis vel dioecesis, quod adversus sententiam definitivam per dilectum filium Abbatem Monasterii Kobrinensis Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum, Iudicem Apostolica auctoritate delegatum, contra dilectum pariter filium Gabrielem Sosnowski Parochum parochialis ecclesiae Kostomlicensis adversarium et ad favorem praedictorum Exponentium latam seu factum in qua seu quo dictus Iudex Apostolica auctoritate delegatus praevia revocatione praecedentis sententiae seu decreti Tribunalis Nuntiaturae etc. (*cfr. 25.IX.1771, de eadem agitur causa*). Ad Sedem Apostolicam appellavit praedictus adversarius causamque appellationis huiusmodi per Breve Apostolicum committi obtinuit Ven. fratri Archiepiscopo Kiovien. sive dilectis similiter filiis eius Officiali et Francisco Mirzewski, Canonico Ecclesiae Livoniensis et Praeposito Rodnensi, qui cum sint dictis Exponentibus adeo suspecti, ut ab illis vel eorum altero iustitiae complementum sperare non possint etc. ideo nobis humiliter supplicari fecerunt etc. ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 1 Septembris MDCCLXXII, Pont. Nostri An. quarto.

C. BRUNER OFFICIALIS
C. OLIVARIUS

801.

Romae, 17 . XI . 1772

*Laudat curas ab Archiepiscopo Polocensi adhibitae pro fidei integritate in suo grege servanda.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol., 168, fol. 97-98.Venerabili fratri Jasoni, Archiepiscopo Polocensi⁴⁹.

CLEMENS PP. XIV. Venerabilis frater, salutem etc.

A dilecto filio Stephano Borgia⁵⁰, nostrae Congregationis de Propaganda

⁴⁸ Antonius Mlodowskyj, Episcopus Turoviensis (1763), et Coadiutor Metropolitae Wolodkowycz in Sede Volodimiriensi. Post obitum Coadiuti (1778), ei in Sede Volodimiriensi iure Coadiutoriae successit, sed hoc eodem anno obiit (1778).

⁴⁹ Jason Smogorzewskyj (1762-1780), dein Metropolita Kioviensis (1780-1786).

⁵⁰ Stephanus Borgia, Secretarius S. C. de Prop. Fidei, dein Cardinalis S.R.E.

Erat Secretarius S. C. annis 1770-1789, Praefectus vero eiusdem Congregationis annis 1800-1804. Cfr. M. W. Dзюв, *The Sacred Congregation for the Oriental Church*, Washington 1945, p. 152-153.

Fide a Secretis accuratissime fuerunt ad Nos relata quae nuper Venerabilis frater Josephus, Archiepiscopus Beryti, ordinarius noster in Polonia Nuntius de te tuaque egregia cura ac vigilantia in tui gregis incolumitate, ac fidei integritate tuenda fuse luculenterque ad eandem Congregationem perscripsit, cum illam de praesenti religionis in Polonia statu certiozem faceret. Nos profecto in (f. 97v) tanta rerum calamitate singulare solatium percepimus ex tam ampla tuae virtutis commemoratione, teque intimo pontificiae caritatis sensu complexi, et summa commendatione prosecuti sumus ob praestantem tuam in Apostolico ministerio navatam operam, qua mirifice Nos devinctos atque obstrictos velut insigni quodam beneficio profitemur. Nemini enim maiorem a nobis haberi posse gratiam ducimus, quam iis, qui in partem sollicitudinis nostrae vocati in perfungendo Episcopatus munere tam praeclare de religione, de Ecclesia, atque adeo de nobis mereantur. Propterea Summo Pastorum Duci ac Principi, qui tibi caelestis gratiae praesidiis in re bene gerenda adfuit, quas maximas possumus laudes tribuimus, utque in persequendo, ac perficiendo suscepto opere tibi aequae praesto esse velit illum enixissime obsecramus. Hoc divino adiumento fretus, Venerabilis frater, magno atque erecto animo perge populi tui salutem operari, atque (f. 98) in fide unitatem defendere.

Intelligemus quidem in tanta rerum commutatione multa existere atque exoriri posse, quae curam ac industriam tuam impediunt, sed te locorum et temporum experientia instructum scimus eam adhibiturum esse in agendo diligentiam et cautionem quam rerum opportunitas postulat, quaeque cum evangelica prudentia coniuncta sit, atque ita ad optatos tandem exitus te omnia perducturum confidimus.

Quo facilius ad hanc pulcherrimam laborum tuorum metam pervenias, atque hanc tam praeclarae operae tuae mercedem consequare divinorum munerum auspicem, et nostrae erga te peculiaris benevolentiae pignus Apostolicam benedictionem tibi, et universo tuo gregi peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die 17 Novembris 1772, Pontificatus Nostri Anno quarto.

802.

Romae, 2 . XII . 1772

Laudat studium P. Porphyrii Ważyński, OSBM Protoarchimandritae, pro catholica religione defendenda et roboranda.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 168, fol. 106v-107v.

Dilecto filio Porhrio Skarbek Wazinski,
Protoarchimandritae Ordinis S. Basilii Magni⁵¹.

CLEMENS PP. XIV. Dilecte fili, salutem etc.

Venerabilis frater Josephus, Archiepiscopus Beryti⁵², ordinarius noster in

⁵¹ Porphyrus Skarbek-Ważyński. Protoarchimandrita Ordinis Basiliani (1772-1780; 1788-1790), dein Episcopus Chelmensis (1790-1804).

⁵² Josephus Garampi (1772-1775). Cfr. supra, nota 47.

Polonia Nuntius, ad nostram Congregationem de Propaganda Fide luculentissime perscripsit de tuis egregiis gestis, dilecte fili, deque singularibus indi-
ciis a te, et dilectis filiis, praestantissimi tui Ordinis S. Basilii monachis, nuper uberrime datis summi vestri in Ecclesiam studii, atque eximiae erga S. Apostolicam hanc Sedem observantiae; et eadem fuerunt a dilecto filio Stephano Borgia eiusdem Congregationis a Secretis fuse item accurateque ad Nos relata.

Inter plurimas sollicitudines, quibus ob catholicae religionis calamitates magnopere angimur, ingens profecto solatium ex huiusmodi tuis tuorumque (f. 107) laudibus cepimus. Vosque propterea et intimo pontificiae caritatis sensu, et debita praeclarae vestrae operae commendatione prosecuti sumus. Proinde Deo O. M. praecipuas gratias egimus, qui caelesti suo praesidio tam oportune tuam tuorumque religiosorum vivorum virtutem et constantiam excitavit. Hoc divinae gratiae adiumento fieri Instituti vestri sanctitatem, divini cultus, ac catholicae religionis incolunitatem tueri pergite. Magna enim Nos spes tenet, vos, dum haec excellentis laudis, ad evangelicae prudentiae exempla praeferetis non solum vestri Ordinis decus ac res salvas atque integras servaturos, sed aliis etiam ad praeclaram hanc imitationem excitatis catholicae religionis integritati sarctae tectae tuendae mirum in modum profuturos. Id a vobis expectamus, id vehementer flagitamus, dilecti filii, et Apostolicam benedictionem quae egregia vestra studia caelesti ope confirmet ac muniat (f. 197v) quaeque sit pontificiae nostrae in vos benevolentiae pignus, vobis peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die 2 Decembris 1772, Pontificatus Nostri Anno quarto.

803.

Romae, 4 . XII . 1772

Conceditur indultum circa Missas pro animis Defunctorum celebrandas in ecclesia S. Onuphrii, Dobromyli, in Dioec. Peremyliensi.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici: Indulta circa Missas* vol. 39, fol. 28.

CLEMENS etc. Ad perpetuam etc.

Cum sicut pro parte dilectorum filiorum Officialium, et Confratrum Confraternitatis S. Onuphrii in ecclesia Monachorum Ordinis S. Basilii Magni loci Dobromiliensis⁵³, Praemisiensis Dioecesis, canonice etc. (*cf. supra sub data 23 . I . 1767*).

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem etc., 4 Decembris 1772 Anno 3.

⁵³ Monasterium Dobromylense in Ucraina Occidentali, in Dioecesi Peremyliensi. Fundatum temporibus ignotis, sed ante an. 1600, ab aliquo Basilio Ustryckyj. Dein an. 1613 a Joanne Herburt istauratum fuit et possessionibus auctum. Saec. XIX a Leone XIII electum fuit ut centrum reformationis Ordinis Basiliani Bulla « *Singulare praesidium* » de data 12.V.1882. Cfr. infra.

804.

Romae, 4 . XII . 1772

Simile indultum perpetuum pro ecclesia loci Brusyliv, Kioviensis Archieparchiae.

IBIDEM.

CLEMENS etc. Ad perpetuam etc.

Cum sicut pro parte dilectorum filiorum Officialium, et Confratrum Confraternitatis sub tit. Conceptionis B. M. Virginis Immaculatae in parochiali ecclesia Ascensionis Domini Nostri Jesu Christi, pagi Brusilow, Kyoviensis Dioecesis, canonicè etc. reliqua ut supra (*cf. sub data 23 . I . 1767*).

Datum ut supra.

805.

Romae, 4 . XII . 1772

Simile indultum pro simili Confraternitate penes monasterium Hoscense.

IBIDEM.

CLEMENS etc. Ad perpetuam etc.

Cum sicut pro parte dilectorum filiorum Officialium, et Confratrum Confraternitatis S. Barbarae Virginis et Martyris in ecclesia Monachorum Ordinis S. Basilii Magni loci Hoscensis⁵⁴, Luceoriensis Dioecesis, canonicè etc. reliqua ut supra (*cf. sub data 23 . I . 1767*).

Datum ut supra.

806.

Romae, 4 . XII . 1772

Simile indultum pro Confraternitate penes monasterium Krystynopolitanum.

IBIDEM.

CLEMENS etc. Ad perpetuam etc.

Cum sicut pro parte dilectorum filiorum Officialium, et Confratrum Confraternitatis S. Onuphrii in ecclesia Monachorum Ordinis S. Basilii Magni, loci Christinopoliensis⁵⁵, Chelmensis Dioecesis, canonicè etc. reliqua ut supra (*cf. sub data 23 . I . 1767*).

Datum ut supra.

⁵⁴ Monasterium Hoścense in Volhynia, districtus et Dioecesis Luceoriensis. Fundatum saec. XVIII.

⁵⁵ Monasterium Krystynopolitanum ad flumen Buh. Fundatum anno 1763, die 6 Septembris, a Francisco Salesio Potocki, Palatino Kioviensi. Anno 1771 usque ad 1776 monasterium in forma hodierna simul cum ecclesia S. Georgii aedificatum fuit sumptibus Salesii Potocki. Primus Hegumennus erat P. Teodosius Hryhorovyč, qui die 25.XII.1764 simul cum aliis tribus monachis Krystynopolim venit.

807.

Romae, 8 . III . 1773

Provisio Ecclesiae Munkacsiensis in Ucraina Carpatica, dominio Austriae subiecta, in persona Andreae Bačynskyj.

ASV, Reg. Lat., volumen deperditum, fol. 173 sq.

BASILOVITS J., *Brevis notitia foundationis*, vol. 2, p. 219-222.

CLEMENS Episcopus Servus servorum Dei. Dilecto filio Andreae Bacsinszky, Electo Munkacsiensi, salutem etc.

Apostolatus officium, meritis etc. gubernare. Cum Ecclesia Munkacsiensis Ritus Graeci, Sanctae Romanae Ecclesiae uniti, ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad charissimam in Christo filiam Mariam Theresiam Imperatricem viduam, ac Bohemiae, et Hungariae Reginam Apostolicam, ex fundatione, vel dotatione, aut privilegio Apostolico, cui non est hucusque in aliquo derogatum, fore dignoscitur, spectat, et pertinet, et cui bonae memoriae Joannes Bradacs, utlimus illius Episcopus, dum viveret, praesidebat, per obitum dicti Joannis Episcopi, Pastoris solatio destituta, Nos vacatione huius fide dignis delationibus intellecta, ad provisionem eiusdem Ecclesiae Munkacsiensis celerem, et felicem, ne illa longae vacationis exponatur incommodis, paternis et sollicitis studiis intendentes, post deliberationem etc. demum ad te, de legitimo thoro ex catholicis honestisque parentibus in Dioecesi Munkacsiensi progenitum, quadragesimum tuae aetatis annum agentem, iam dudum presbyterum eiusdem Ritus Graeci, qui theologiae et iuris canonici studiis sedulam operam navasti, per aliquot annos curam animarum laudabiliter exercuisti tanquam Parochus, et Archidiaconus nonnullorum locorum, et usque ad praesens eiusdem Ecclesiae Munkacsiensis Archidiaconi et Vicarii Capitularis munia exerces, quique fidem catholicam iuxta articulos etc. quemque Maria Theresia Regina Apostolica nobis ad hoc per suas litteras nominavit, cuique apud nos de vitae munditia etc. direximus oculos mentis nostrae; intendentes igitur tam dictae Ecclesiae Munkacsiensi, quam eius gregi Dominico salubriter providere, Ecclesiae Munkacsiensi de persona tua, nobis et eisdem fratribus nostris ob tuorum meritorum etc. committendo, firma spe etc. incrementa.

Iugum igitur Domini etc. consequi merearis. Caeterum sperantes, quod licet tu doctoratus gradu insignitus non sis, quia tamen prudentia, et sufficienti doctrina praeditus, atque ad alios docendum, et ad dictam Ecclesiam Munkacsiensem esse poteris plurimum utilis, ac etiam fructuosus, tecum, ut eidem Ecclesiae Munkacsiensi in Episcopum praefici illicque praeesse libere, et licite valeas defectu gradus praetacti, ac constitutionibus etc. nequamquam obstantibus, Apostolica auctoritate praedicta earundem tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Domini-cae Millesimo septingentesimo septuagesimo tertio, octavo Idus Martii, Pontificatus Nostri Anno quarto.

Simili modo, ut videtur, expeditae fuerunt Bullae etiam Capitulo, Clero, populo, vasallis, et Imperatrici, quibus novus Episcopus commendatur. Cfr. sub data 23 . IX . 1771.

808.

Romae, 20 . III . 1773

Confirmatio concordiae initae inter Metropolitanum Kioviensem eiusque Coadiutorem, Ep. Volodimiriensem, cum assignatione partis reddituum.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3763, fol. 43-52, nr. 6.

Bullarii Romani continuatio, vol. V, p. 560-563, nr. 234.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 185-188, nr. 22.

CLEMENS PP. XIV. Ad futuram rei memoriam.

Ea omnia, quae ad pacem concordiamque fovendam, firmandam conservandamque inter christifideles, et praesertim illos, qui episcopali dignitate insigniti suae ac aliorum animarum aeternae saluti consulere debent, provide ac prudenter constituta ac praescripta dignoscimus, libenti animo Apostolicae confirmationis robore communitus, prout, omnibus mature perpensis, in Domino salubriter expedire conspiciamus.

Nuper sane magna animi nostri laetitia accepimus, quod opera ac studio Ven. fratris Iosephi Archiepiscopi Berytensis⁵⁶ nostri et Apostolicae Sedis Nuntii in regno Poloniae, et magno ducatu Lithuaniae, concordia inita fuerit inter Ven. fratrem Felicianum Wolodkowicz totius Russiae Metropolitanum et simul quoque Episcopum Uladimiriensem ac Brestensem ex una⁵⁷, et Ven. quoque fratres Leonem Szeptycki Episcopum Leopoliensem⁵⁸, ac Antonium Strus Mlodowski Episcopum Brestensem⁵⁹ eiusdem Metropolitanani respective Coadiutoris cum futura successione Apostolica auctoritate deputati ex altera parte cuius quidem concordiae articuli sunt tenoris, qui sequitur, nempe:

1. Excellentissimus et Reverendissimus Dominus Nuntius Apostolicus promittit, se reintegraturum Illustrissimum et Reverendissimum Dominum Metropolitanam in universa plenaria et libera administratione tum spirituali utriusque dioeceseos, tum bonorum temporalium, ad eandem mensas metropolitaniticam et episcopalem respective competentium, ad normam decreti sacrae Congregationis de Propaganda Fide, editi die 11 Aprilis anni MDCCLXX, nec non epistulae Secretariae Status Sanctissimi Domini nostri Clementis Papae XIV, datae die XXVIII Augusti, ac demum decreti Excellentissimi ac Reverendissimi Domini Angeli⁶⁰ Durini, Archiepiscopi Ancyrani, tunc temporis Nuntii Apostolici in hoc regno expediti die XIX Septembris eiusdem anni. Quae reintegratio habebit effectum eo ipso, quo Illustrissimus et Re-

⁵⁶ Iosephus Garampi (1772-1775). Cfr. nota, 47.

⁵⁷ Philippus Wolodkowycz, Metropolita Kioviensis (1762-1778), cum retentione Sedis Volodimiriensis (1758-1778); in una et altera Sede Coadiutorem habuit.

⁵⁸ Leo Szeptycky, Episcopus Leopoliensis (1749-1778), et Coadiutor Metropolitanae an. 1762 in Sede Metropolitana cum futura successione. Dein Metropolita Kioviensis an. 1778-1779. Obiit anno 1779.

⁵⁹ Antonius Strus Mlodowskyj, Episcopus Turoviensis (1763), et Coadiutor Metropolitanae in Sede Volodimiriensi. Post obitum Coadiuti (1778) ei in Sede Volodimiriensi successit, sed statim hoc eodem anno obiit.

⁶⁰ Angelus Maria Durini, Nuntius Varsaviensis (1766-1772).

verendissimus Metropolita officia et obsequia sua exhibuerit serenissimo Rege iuxta mandata summi Pontificis.

II. Cum Illustrissimum et Reverendissimum Metropolitam poenituerit complanationis dudum factae inter ipsum et eosdem suos coadiutores, die XVI Ianuarii anno MDCCLXVIII, praedicti Coadiutores in obsequium ac venerationem, quam ex toto corde profitentur erga Coadiutum, plena, libera ac deliberata voluntate renuntiant omni iuri ac actioni ex dicto contractu sibi quomodolibet competentibus; adeo ut ex utraque parte dicta complanatio haberi debeat ac si nunquam facta, aut effectum ullum sortita fuisset.

III. Retractantur ex utraque parte quaecumque occasione litium et praetensionum super administratione, tam spirituali, quam temporali utriusque dioecesis, ab ipsis partibus vel earum agentibus et procuratoribus contra alterius honorem, famam, existimationemque tam in iudicio, quam extra, dicta, prolata, vel scripta fuisse constaret; eaque ab actis publicis ac privatis deleri mandantur, sine praeiudicio tamen iurium utriusque partium competentibus super praetensis resarcitionibus damnorum, de quibus in sequenti articulo cavetur.

IV. Unicuique parti reservantur illaesa et integra omnia et singula iura, et actiones (si quae, vel quas habent) ad agendum in iudicio contra alteram pro resarcitione damnorum et violentiarum (si quae, vel quas aut sustinuerit, aut se sustinuisse praetendat) tam in personis propriis, quam pro officialibus et curialibus aulicis, caeteris alterius partis servitio addictis, nec non pro quibuscumque aliis interesse habentibus, tam occasione administrationis spiritualis vel temporalis ab Illustrissimis et Reverendissimis Dominis Coadiutoribus susceptae, quam occasione revindicationis et occupationis secutae ex parte Illustrissimi et Reverendissimi Metropolitanis; super quibus omnibus concordia procurabitur amicabiliter, qua non secuta, unus iudex compromissarius nominabitur ab Illustrissimo et Reverendissimo Domino Metropolitanis, alius vero ab Illustrissimis et Reverendissimis Coadiutoribus, qui ambo iudices compromissarii debeant in termino quatuor mensium a die nominationis computandorum, et nullo modo ulterius prorogando, suum laudum vel arbitramentalem sententiam pronunciare. Iis vero non plenarie et uniformiter in omnibus et singulis punctis concordantibus vel intra praedicti temporis spatium suum arbitrium vel sententiam non profertibus, tunc totum negotium devolvetur ad iudicium sacrae Nuntiaturae Apostolicae, quae summarie, simpliciter, de plano, ac omni appellatione remota, quia sic inter partes fuit specialiter et expresse conventum, ad finalem sententiam procedet.

V. Reservat sibi Illustrissimus et Reverendissimus Metropolita actionem adigendi Illustrissimos et Reverendissimos Coadiutores ad reddendam rationem administrationis honorum temporalium ad easdem mensas spectantium, nec non proventuum ab ipsis perceptorum vigore decreti sacrae Congregationis de Propaganda Fide editi die XXVIII Augusti anni MDCCLXVIII. In qua quidem re, quidquid investigationem reddituum perceptorum concernet, eadem servabitur methodus, quae supra num. 4 superius est expressa. Quoad vero eorundem adiudicationem, vel divisionem, si quae fieri debeat, unaquaeque partium se submittit iudicio Excellentissimi Nuntii, qui similiter procedat, ut supra num. 4.

VI. Cum Illustrissimus et Reverendissimus Metropolitā propter labores hucusque susceptos, et ob gravem suam aetatem, nec non valetudinis incommoda, vix se sufficere in posterum posse credat regimini utriusque dioeceseos, multoque minus eas personaliter (ut decet et canonicae, nec non Zamoscensis Synodi sanctiones praescribunt) visitare, eosdem suos Coadiutores in partem solitudinis suae pastoralis ex nunc vocare constituit. Proindeque reservata sibi metipsi, suaeque propriae administrationi, ea dioecesis metropolitanae parte, quae totum magnum ducatum Lituaniae comprehendit, reliquam, quae nempe per Ucrainam, ac palatinatum Braclaviensem, aliasque adiacentes regiones protenditur, committit et assignat Illustrissimo et Reverendissimo Domino Szeptycki, Episcopo Leopoliensi, cum plena, libera et absoluta ac irrevocabili administratione spirituali; pari quoque modo et forma Illustrissimo et Reverendissimo Domino Mlodowski, Episcopo Brestensi, regendas et gubernandas ac administrandas committit, et assignat dioeceses sibi invicem unitas Uladimiriensem et Brestensem. Ad quem effectum Illustrissimus et Reverendissimus Metropolitā patentes dictarum respective administrationum literas eisdem modo, forma, facultatibus, conditionibus et clausulis, quas in aliis vicariatus literis die XX Decembris MDCCLXVII expeditis continentur, a se ipso subscriptas tradet, et deponet infra tres dies in manus Excellentissimi et Reverendissimi Domini Nuntii Apostolici, publicandas deinde et executioni demandandas tempore eisdem beneviso, postquam tamen praesens concordia fuerit beneplacito Summi Pontificis roborata et confirmata.

VII. Idem tamen Illustrissimus et Reverendissimus Metropolitā reservat sibi plenam et liberam administrationem et curam bonorum temporalium utriusque mensae, quocumque nomine censeantur, et ubicumque sita sint; quorum redditus in sui usum ac in utilitatem ecclesiarum suarum, ad normam canonicarum sanctionum, fideliter procurare et administrare promittit, eorum statum hodiernum per commissarium suum, una cum commissario ab ipsis Coadiutoribus designando, describi quam primum curabit intra quatuor mensium spatium, a die publicatae administrationis suorum Coadiutorum, de quibus duo similia inventaria et commissariorum praedictorum iuramento firmata, legaliter conficientur, quorum unum etiam a respectivo Coadiutore subscriptum Illustrissimus Metropolitanus apud se retinebit; alterum vero Illustrissimo Coadiutori, ad quem spectabit, tradet e reddet, eaque Illustrissimus Metropolitanus, ut quotannis ad instantiam suorum Coadiutorum renoventur, minime detractet.

VIII. Quia vero monet Apostolus eum, qui altari inservit, de altari vivere debere, volens Illustrissimus et Reverendissimus Metropolitā Coadiutoribus suis se se etiam liberalem exhibere, sponte dimittit Illustrissimo et Reverendissimo Domino Mlodowski, praeter obventiones illas, quae ex actuali exercitio iurisdictionis tam contentiosae, quam gratiosae per universam Uladimiriensem et Brestensem dioecesim provenire possunt ac debent, etiam cathedraticum assignat, quod sacri canones Episcopis permittunt, ut annuatim a subiectis sibi presbyteris exigat; quia vero dicta cathedratici exactio vix, si etiam plenarie fieri posset, ad summam quatuor millium florenorum polonicalium ascendet, nec etiam aequum est, quod calamitosis hisce temporibus clerus huiusmodi exactione praeter vires suas gravetur; ideo Il-

Illustrissimus et Reverendissimus Metropolita summam decem millium florenorum polonicalium in parata pecunia quotannis (sed ratione nempe 2500 singulis trimestribus postecipate) se soluturum promittit, vel si Illustriss. Coadiutori magis placuerit, tot villas ad mensam Uladimiriensem spectantes, a suo Coadiutore vel Episcopis residentiae magis commodas et vicinas, ex quibus aequa extimatione facta et iudicio Excellentissimi Nuntii absque ulteriori recursus aut appellationis remedio, approbanda possit tam in rebus, quam in pecuniis summam decem millium florenorum polonicalium similitum quotannis percipere, administrationi et curae eiusdem Coadiutoris irrevocabiliter comittet, ut idem Illustriss. Coadiutor possit necessitatibus suis commodius consulere et providere. Haec autem villarum designatio, quatenus loco assignationis pecuniariae adoptetur, fieri debet statim a publicatione literarum administrationis spiritualis, ac iudicio et auctoritate Excellentissimi Nuntii confirmari; adeo ut ab eo die in potestatem Coadiutoris transeat una cum fructibus pendentibus et inexactis, absque eo, quod pro expensis et laboribus antea factis aliquid vel minimum praetendere possit Illustrissimus Metropolita.

IX. Pari modo Illustrissimus Metropolita Illustrissimo Domino Szeptycki pro suo assignamento praeter obventiones ex iurisdictione contentiosa et gratiosa in parte dioecesis sibi commissae provenientes, etiam exactionem cathedratici committit, quod felicioribus annis ad viginti quinque millia et amplius ascendebat florenos; hac tamen conditione, quod ipse pro suo congruo assignamento quindecim millia florenorum dumtaxat sibi reservet, reliquam vero summam in tuto loco, et apud fidam personam deponat, non inde amovendam, nisi ex dispositione Illustrissimi Metropolitae, qui pro eo, quo flagrat, zelo erga ecclesiam sibi commissam, nequaquam vult eos in usum proprium derivare aut convertere, sed omnino ex nunc consecrat et devovet bono et utilitati ecclesiarum suarum, expendendos nempe in processibus, vel continuandis, vel incipiendis, pro recuperatione bonorum ecclesiarum praedictarum, pro stipendiis agentium et procuratorum, ubicumque existentium, vel pro aliis utilibus seu necessariis causis inter Dominum Metropolitam et unum vel alterum ex suis Coadiutoribus in ea re interesse habentem concordandis et iudicio Excellentissimi Nuntii approbandis⁶¹.

X. Praeterea, ut idem Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Coadiutor Szeptycki visitando dioecesim sibi commissam habeat domum aptam et congruam, in qua residentiam figere possit, Illustrissimus et Reverendissimus Dominus Metropolita assignabit ei domum et locum ad dictum effectum idoneam, nempe domum metropolitam de Radomysl⁶² nuncupatam, absque tamen perceptione fructuum et reddituum ex adnexis bonis provenientium, eidem tamen dimittit ac cedit bona dicta Barachty, iam per de-

⁶¹ Quaestio haec « oeconomica » considerari debet una principalium causarum dissidiorum Coadiutum et Coadiutores inter. Proin in hac concordia bene circumscribi et determinari debuit.

⁶² Domus haec sita erat in praedio metropolitico in oppido nuncupato Radomysl, in parte Dioecesis, quae in Ucraina extendebatur. Oppidum situm ad flumen Teteriev, 15 fere millaria a Kyjiv. Ecclesiam cathedralem et aedes Seminarii extruxit Metropolita Jason Smogorzevskij (1780-1786).

cretum recuperata vel recuperanda; si quae tamen aliae expensae in eam causam essent faciendae, relinquuntur arbitrio et oneri Illustrissimi Coadiutoris.

XI. Demum reservat sibi Illustrissimus et Reverendissimus Metropolitanus omnia iura etiam honorifica suae metropolitanae iurisdictionis in literis patentibus vicariatus superius enunciatis, nempe de data XX Decembris MDCCLXVII anno expressa et nunc in novis literis administrationis spiritualis iterum exprimenda.

XII. Postquam unaquaeque partium contrahentium huic concordiae pro suo peculiari interesse consensum praestiterit, eamque sua subscriptione firmaverit, eius effectus in suspenso habeantur, donec constet de serenissimi Regis satisfactione, et Sancta Sedes Apostolica beneplacitum et approbationem impertiri dignata fuerit.

Actum Varsaviae die XXVIII Novembris Anno MDCCLXXII.

Nos igitur, qui pacem et quietem inter Metropolitanum et Episcopos praedictos paterno desideramus affectu, de Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, insertos articulos concordiae, una cum omnibus et singulis in eis contentis et expressis auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis ac perpetuae firmitatis robur adiicimus, omnesque iuris et facti ac solemnitatum defectus, si qui desuper intervenerint, supplemus et sanamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate Congregationis eorumdem Cardinalium.

Decernentes ipsas praesentes literas firmas, validas et efficaces existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat, et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, et Sedis praedictae Nuncios, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non quibusvis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, et literis Apostolicis superioribus et personis, sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, ac insolitis clausulis, irritantibusque, et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris die XX Martii MDCCLXXIII, Pontificatus Nostri Anno IV.

809.

Romae, 11 . V . 1773

Indulgentia 100 dierum pro assistentibus expositioni SS.mi Sacramenti, in ecclesiis Monachorum Basilianorum.

ASV, Arch. dei Brevi Ap.: *Indulgenze ad tempus*, vol. 9, fol. 500.

CLEMENS PP. XIV. Universis Christifidelibus etc.

Ad augendam etc. intenti, omnibus et singulis etc., qui expositioni SS.mi Eucharistiae Sacramenti de licentia Ordinariorum respective locorum in ecclesiis Monachorum Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Ruthenorum nuncupatae, singulis anni diebus faciendae per aliquod temporis spatium devote interfuerint et ibi pro etc. effuderint, quoties id egerint, centum dies de iniunctis etc. relaxamus. Praesentibus ad septennium tantum valituris. Volumus autem, ut si pro impetratione etc. nullae sint; utque praesentium litterarum transumptis etc. ostensae.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 11 Maii 1773 An. 4.

810.

Romae, 17 . IX . 1773

Indulgentia conceditur plenaria pro peragentibus exercitia spiritualia octiduana in ecclesia Olycensi, Luceoriensis dioecesis.

ASV, Arch. dei Brevi Ap.: *Indulg. ad tempus*, vol. 10, fol. 377.

CLEMENS PP. XIV. Ad futuram rei memoriam.

Cum sicut accepimus in insigni, ut asseritur, Collegiata ecclesia loci Olycensis, Luceoriensis Dioecesis, Christifideles utriusque sexus, seorsim tamen viri a faeminis, spiritualibus exercitiis per octo dies continuos, de licentia Ordinarii, non sine magno animarum suarum fructu, vacare consueverint, Nos eorundem Christifidelium, qui operi adeo pio, et salutari deinceps dabunt operam, devotionem caelestium Ecclesiae thesaurorum eleargitione magis excitare volentes, de omnipotentis Dei etc. confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus, qui in dicta ecclesia exercitia spiritualia huiusmodi per octidui spatium separatim, ut praefertur, quancumque peregerint, et interea temporis vere poenitentes, et confessi SS.mum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ac pro christianorum etc. effuderint, plenariam semel dumtaxat in anno per unumquemque Christifidelem lucrificandam omnium etc., concedimus. Praesentibus ad decennium tantum valituris. Volumus, autem, ut si pro impetratione etc. nullae sint.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 17 Septembris 1773, An. 5.

811.

Romae, 18 . XI . 1773

*Confirmatio foundationis alicuius monasterii in Dioecesi Chelmensi.*ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3778, fol. 143rv+146.

CLEMENS PP. XIV. Ad futuram rei memoriam.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius modernus Abbas Generalis Monachorum Ordinis S. Basilii Magni Ruthenorum⁶³, quod alias tunc in humanis agens Comitissa Theophila Jerwielski Wilga studio dilatandae sanctae fidei et procurandae salutis animarum permota fundavit monasterium in bonis suis hereditariis Puhynki nuncupatis, et in Dioecesi Chelmensi existentibus, assignato pro sustentatione octo Monachorum dicti Ordinis, et Provinciae Polonae Protectionis B.mae Mariae Virginis fundo quadraginta milliun florenorum polonicorum annuatim redentium duo mille et octingentos florenos similes, nec non eidem monasterio cessit ecclesiam parochialem sui iuris patronatus sub invocatione seu titulo B.mae Virginis Mariae Assumptae in caelum cum omnibus fundis et redditibus ad eandem ecclesiam pertinentibus. Cum autem, sicut eadem expositio subiungebat, praedicta fundatio acceptata fuerit a Patre Provinciali Russiae nomine etiam Abbatis Generalis dicti Ordinis, atque insuper confirmata sit decreto Ordinarii loci, qui defacto univit et incorporavit novo monasterio dictam ecclesiam parochialem, hinc dictus Exponens praemissis omnibus, pro quorum confirmatione memorata Comitissa Theophila postmodum defuncta suas porrexerat preces, per Nos approbari et confirmari plurimum (f. 143v) desiderat, nobis proponere humiliter supplicando fecit, ut in praemissis oportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur ipsum Exponentem specialibus etc. censentes huiusmodi supplicationibus inclinati, de Cardinalium etc. consilio foundationem praedictam novi monasterii huiusmodi, ut praefertur, factam, auctoritate etc. robur adiicimus, omniaque iuris etc. et sanamus, salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis eorundem Cardinalium. Decernentes ipsas praesentes litteras etc. observari. Sicque in praemissis etc. attentari. Non obstantibus etc. innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 18 Novembris 1773, An. 5.

⁶³ Porphyrius Ważyński (1772-1780). Cfr. etiam notam 51.

812.

Romae, 16 . IV . 1771

Pontifex congratulatur cum Archiepiscopo Polocensi, recepta relatione de statu huius Archieparchiae.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 169, fol. 140v-141.

Venerabili fratri Jasoni, Archiepiscopo Polocensi⁶⁴.

CLEMENS PP. XIV. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Accepimus litteras tuas, Venerabilis frater, quibus nobis accurate describis, qui nunc sit religionis in tua Dioecesi status, quamque ipse des operam ad commissarum tibi ovium incolumitatem pro pastoralis tua sollicitudine tuendam. Nos quidem idcirco vehementer zelum, ac sedulitatem tuam commendamus, nec minus Apostolicam hortationem adiungimus, Venerabilis frater, ut nunquam intermissa vigilantia strenuum te semper, atque impigrum, ut facis, in Apostolico curando munere praestes, ac divinam gloriam in diligentissima gregis tui custodia magis magisque in dies augeas. Quae porro a nobis postulasti, Venerabilis frater, eorum omnium intelliges exitum ex litteris nostrae de Propaganda Fide Congregationis.

Demum ut amplius tibi persuasum esse faciamus parem esse nostrae plurimae de tua virtute exstimationi benevolentiam, in pontificiae caritatis pignus Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuae populoque tuae fidei concedito peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XIV Aprilis MDCCLXXIV, Pontificatus Nostri Anno quinto.

813.

Romae, 16 . VII . 1774

Aliud exemplar eiusdem argumenti sub alia tamen data.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 169, fol. 225v-226.

Venerabili fratri Jasoni, Archiepiscopo Polocensi.

Accepimus litteras tuas etc. (*ut sub data 16 Aprilis 1774*)... impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XVI Julii MDCCLXXIV, Pontificatus Nostri Anno sexto.

⁶⁴ Jason Junoša-Smogorzewskij, Archiep. Polocensis (1762-1780), dein Metropolita Kiowiensis (1780-1786).

814.

Romae, 12 . VII . 1774

Indulgentia plenaria perpetua diebus festis S. Nicolai penes ecclesiam eiusdem S. Nicolai in loco Drohomyrčany.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici: Indulg. perpetuae*, vol. 41, fol. 504.

CLEMENS PP. XIV. Universis Christifidelibus etc.

Ad augendam etc. intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus vere poenitentibus etc. reffectis, qui ecclesiam parochialem S. Nicolai, Episcopi, loci Drohomirczanen., Leopoliensis Dioecesis⁶⁵, die nona Mensis Maii, ac die sexta Mensis Decembris a primis vesperis usque ad occasum solis dierum huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum etc. effuderint, quo die praedictorum id egerint, plenariam etc. remissionem perpetuis futuris temporibus valituram misericorditer in Domino concedimus et impertimur. In contrarium etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 12 Iulii 1774, Anno 6.



⁶⁵ Ecclesia S. Nicolai in pago Drohomyrčany, hodie in Eparchia Stanislaopolitana, in Decanatu eiusdem nominis, filialis eccl. parochialis in Krechivei. Cfr. *Schematismus dioec. Stanislaopolitanae*, Stanislaopoli 1938.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

PIUS PP. VI
(15,22.II.1775 — 29.VIII.1799)
caesenatensis
(Angelus Braschi)

DOCUMENTA PII PP. VI

815.

Romae, 8 . IV . 1775

De reductione dierum festorum in Ecclesiis Ritus Graeci in dioecesibus Regno Hungariae subiectis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 175, fol. 64v-66v.

Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Teresiae, Hungariae Reginae Apostolicae, necnon Bohemiae Reginae Illustri, in Romanorum Imperatricem electae, Viduae.

PIUS PP. VI. Carissima in Christo filia nostra, salutem etc.

Accepimus litteras Apostolicae Maiestatis Tuae, die IX Martii ad Nos datas, in quibus diligenter nobiscum agis de imminutione festorum dierum facienda pro Graeci Ritus Ecclesiis, quae in tuo sunt Hungariae Regno, pro Fogarasiensi nimirum, Muncaciensi et Suidnicensi. Eam enim dierum festorum legem, quae per fel. rec. Praedecessorem nostrum Clementem XIV, te petente, pro Regnorum ac Provinciarum tuarum Ecclesiis est constituta, in illis, licet unitae cum Latinis sint, Graeci Ritus Ecclesiis promulgari non potuisse scribis, cum apud eas alia in festorum retinendorum delectu ratio haberi debeat. Itaque cum ibidem etiam ex festorum dierum copia existere plurima incommoda atque abusus videas nec proinde remedia amplius esse differenda, cumque ea caute adhibenda cognoscas cum illis populis, qui ad deserendam cum Latinis unionem ob Schismaticorum propinquitatem proclives sunt, vehementer petis a nobis, carissima in Christo filia nostra, ut iis trium Ecclesiarum Episcopis, quos unice Graeci Ritus homines audiunt et verentur, concedatur per Nos facultas dierum festorum numerum ea ratione diminuendi, quam in sua quisque Dioecesi pro rerum statu et conditione magis congruam ac opportunam esse censuerit. Nos sane eo excepimus animo hanc tuam postulationem, qui maxime et singulari, qua erga Maiestatem Tuam sumus, paternae caritati, et certissimae nostrae de tua sapientia ac religione opinionioni est consentaneus. Etsi nova ea nobis visa sit ratio, ac a servatis hactenus ab Apostolica Sede regulis usuque dissentiens, ut tam amplum ullis Episcopis in re tam gravi concederetur statuendi sine praevia cognitione nostra arbitrium, tamen ne voluntati tuae, cui plurimum a nobis merito deferendum esse statuimus, in hoc nostri Pontificatus initio adversari videamur, duas damus ad illos Graeci Ritus Episcopos litteras, primas eo tenore perscriptas, qui tuae postulationi respondet; eo vero alteras, qui Apostolicae Sedis regulis et consuetudini congruit, quibus eos Venerabiles fratres Episcopos hortamur, ut

qualem suae quisque Dioecesi opportuniorem esse imminutionis festorum rationem existiment, ad Nos diligenter perscribant, ut eandem ex Pontificio iudicio nostro, ac Apostolica auctoritate consequi valeant. Utrasque has litteras ad te transmittimus, carissima in Christo filia nostra, teque vehementer rogamus ut hisce alteris uti velis, tuaque regia auctoritate efficere, ut quem optamus exitum sortiantur. Habes vero primas eas litteras, quas, si necesse esse cognoveris, exhiberi facias, atque ita exequendi consilii tui difficultatem, si quam pro tua regnandi intelligentia extitiram certe praevideris, amovere hac nostra concessione possis. Amplam ibidem Episcopis pro Dioecesium conditione imminuendorum festorum potestatem damus, nisi quod ea tantummodo festa excipimus, quae nullo modo tolli atque aboleri posse tu ipsa pro tua religione facile intelligis. Ex his omnibus constare tibi perspicue potest, carissima in Christo filia nostra, quam de sapientia, de pietate, deque tuo in Nos ac Apostolicam Sedem studio fiduciam habeamus, quaque iis rebus, quae ad te tuaque Regna pertinent, perinde ac nostris affecti simus. Hanc paternae in te summae voluntatis declarationem confirmamus Apostolica benedictione, quam Regiae Maiestati Tuae ad felix etiam rerum peragendarum auspiciam amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum etc., die 8 Aprilis 1775, Pontificatus Nostri Anno primo.

816.

Romae, 2 . V . 1775

Conceditur aliqua indulgentia pro ecclesia Lipiensi, Ritus Graeci, in dioecesi Luceoriensi.

ASV, *Arch. dei Brevi Ap.*: *Indulgenze ad tempus*, vol. 14, fol. 91.

PIUS PP. VI. Universis Christifidelibus etc.

Ad augendam etc. intenti, omnibus et singulis utriusque sexus, qui ecclesiam parochialem S. Demetrii loci Lipiensis Luceoriensis Dioecesis⁶⁶, singulis quadragesimae etc.

Datum ut supra (apud S. Petrum, 2 Maii 1775, An. 1).

817.

Romae, 1 . VII . 1775

Gratias agit Metropolitae Kioviensi de congratulationibus, nec non dolet de controversiis cum Suffraganeis et Coadiutoribus

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 175, 119v-120v.

⁶⁶ Agitur de ecclesia Ritus Orientalis, prout monstrat nomen Sancti, titularis ecclesiae (S. Demetrius).

Venerabili fratri Archiepiscopo Kioviensi⁶⁷, Haliciensis, et Polociensis,
totius Russiae Primati.

PIUS PP. VI. Venerabilis frater, salutem etc.

Litteras tuas, quibus de Summi Pontificatus dignitate nobis gratularis, Venerabilis frater, et plurimam nostra causa laetitiam a te susceptam significas, libenti ac pergrato animo excepimus. Ex ipso luculentissimo officio hoc tuo eximium ac singulare Fraternitatis Tuae erga Apostolicam hanc Cathedram obsequium, reverentiam, fidem, atque erga Nos etiam, qui in eadem licet immerentes collocati sumus, mirificam pietatem cognovimus. Speramus atque abs te petimus, ut hos praeclaros tuos sensus episcopali tuo muneri, mutuaeque nobiscum coniunctioni summopere consentaneos pleniores, ac in dies cumulationes facias; quod praestare egregie poteris, si nostram in gravissimo onere sustinendo imbecillitatem tuis assiduis ad Deum precibus sublevabis. Hunc in modum plurimam, qua te complectimur benevolentiam augere, optimeque de nobis mereri perges.

Permolesta nobis acciderunt, quae de Coadiutoribus tuis, et controversiis inter vos exortis, tuisque angustiis ac vexationibus scribis⁶⁸. Remedium aliquod tuis curis ac huiusmodi laboribus affere Nos vehementer cupimus, Deumque Optimum Maximum precamur, ut ea nobis consilia suppeditet, quae maxime idonea, atque istis tam perturbatis rebus opportuna sint. Interim referimus Nos ad ea, quae a nostra de Propaganda Fide Congregatione, cui rem omnem comisimus, ad te perscribentur, ac nostram tibi benevolentiam ex animo deferentes Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis frater, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die 1 Julii 1775, Pontificatus Nostri Anno primo.

818.

Romae, 19 . VII . 1775

Diversae conceduntur indulgentiae pro Confraternitate penes ecclesiam S. Joannis Bapt. in Lisky, Chelmensis Dioecesis.

ASV, Arch. dei Brevi Ap.: Indulg. perp., vol. 42, fol. 572rv.

PIUS PP. VI. Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, in ecclesia S. Joannis Baptistate ritus graeci oppidi seu villae Liski, Chelmensis Dioecesis, una pia et devota utriusque sexus Christifidelium Confraternitas sub titulo Beatae Mariae Virginis septem Dolorum nuncuptata (non tamen pro hominibus unius specialis artis) canonicè erecta seu erigenda existat, cuius Confratres et Consorores quam-

⁶⁷ Philippus Felicianus Wolodkowycz, Metropolita Kioviensis (1762-1778).

⁶⁸ Controversia haec inter Coadiutum et Coadiutores iam inde ab ipsis initiis eius officii metropolitici ortum habet. Circumstantiae personales horum Episcoporum nec non diversae circumstantiae politicae dissensiones has quasi necessarias fecerunt. Haec eadem causa controversias has saepe saepius in asperrimas lites mutabat.

plurima pietatis etc. seu intendunt. Nos, ut Confraternitas huiusmodi maiora etc. confisi, omnibus utriusque sexus Christifidelibus qui dictam Confraternitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si vere poenitentes, et confessi SS.mum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, plenariam etc., ac tam descriptis quam pro tempore ad divinam gloriam, ad catholicam scilicet fidem hoc tempore describendis in dicta Confraternitate Confratribus et Consororibus in cuiuslibet eorum mortis articulo, si vere quoque poenitentes etc. reflecti, vel quatenus etc. invocaverint, etiam plenariam etc. Nec non iisdem nunc et pro tempore existentibus dictae Confraternitatis Confr. et Consor. etc. vere poenitentibus etc. reflectis, qui praedictae Confraternitatis ecclesiam seu cappellam vel oratorium feria sexta intra hebdomandam Passionis a primis etc. visitaverint, et ibi pro christianorum etc. effunderint, plenariam similiter omnium etc. concedimus. Insuper Confratribus et Consororibus praedictis vere poenitentibus etc. reflectis ecclesiam seu cappellam vel oratorium (f. 527v) huiusmodi in sex Dominicis continuis immediate antecedentibus super feriam sextam intra hebdomandam Passionis, ut supra, visitantibus et ibidem orantibus, qua Dominica praedictarum id egerint, septem annos et totidem quadragenas, quoties vero Missis et aliis divinis officiis in ecclesia seu etc. reliqua ut in formulario cum facultate applicandi Defunctis etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 19 Iulii 1775, Anno 1.

819.

Romae, 31 . X .1775

Archiepiscopo Kioviensi commendatur novus Nuntius Varsaviensis.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 175, fol. 195rv.

Venerabili fratri Feliciano. Archiepiscopo Kioviensi, Haliciensi.
et Polocensi, Russiae Primati.

PIUS PP. VI. Venerabilis frater, salutem etc.

Quem ad carissimum in Christo filium nostrum Stanislaum Augustum, Poloniae Regem Illustrum, ac ad vestram inclitam Republicam mittimus Venerabilem fratrem Joannem Andream, Archiepiscopum Chalcedonensem⁶⁹, qui ordinarii nostri et Apostolice Sedis Nuntii munus obeat, iam praeter generis splendorem ob singulare ingenium, prudentiam, rerum usum, praecipuumque pietatis ac religionis studium nobis est acceptissimus. Itaque nullo modo dubitare possumus, quin huius nostri de illo iudicii plurimam habendam rationem ducas, Venerabilis frater, qui pro episcopali officio omnes actiones tuas ad divinam gloriam, ad catholicam scilicet fidem hoc tempore potissimum conferre debeas. Nihilominus tamen minus idipsum maiorem in modum a te petimus, ut nimirum tuam opem atque operam ipsi, quotiescumque res feret, paratissimam esse velis, peragentemque mandata nostra diligenter adiuves, quae illuc unice spectant, ut incolumi religione pristinus in

⁶⁹ Joannes Andreas Archetti, Nuntius Varsaviensis (1775-1784).

inclita Natione vestra post difficilima tempora laudis et gloriae splendor efflorescat. Illi igitur parem ac nobis ipsis adhibebis fidem, quaeque praeterea de eximia nostra in te caritate deferet Apostolica Nos confirmamus benedictione, quam intimo nostri cordis sensu Fraternitati Tue peramanter imper-
timur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 31 Octobris 1775, Pontificatus Nostri An. primo.

Eodem exemplo.

Episcopo Luceoriensi, Samogitiensi, Camenecensi, Vilnensi, Kelmensi, Livoniensi, Smolescensi.

Episcopo Plocensi post verbum *caritate* addatur: « tuaeque virtutis perspectissimae nobis meritorumque existimatione deferet etc. ».

Episcopo Culmensi, dentis lineatis primo loco, et pro lineatis secundo loco dicatur: « ut incolumis religionis status istic esse possit. Illi igitur etc. ».

820.

Romae, 16 . III . 1776

Laudatur et hortatur Archiepiscopus Polocensis pro praeclare gestis in conservanda et amplianda Unione.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 176, fol. 44-45.

Venerabili fratri Jasoni, Archiepiscopo Polocensi.

PIUS PP. VI. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Allatum ad Nos illud est ac te, Venerabilis frater, quod animum nostrum plurima iucunditate tuique existimatione complevit. Tu nimirum in isto perdifficili ac periculi pleno rerum statu eam animi virtutem, ac episcopalem constantiam praestas, ut nullis artibus, nullis pollicitationibus aut minis te ab hoc proposito dimoveri posse patiaris, Hunc tamen opportunum consilii ac fortitudinis spiritum a celesti in te gratia derivari sane agnoscimus, ac vehementer laetamur, et honorum omnium Auctori quas maximas possumus gratias idcirco persolvimus; tamen te ipsum una, Venerabilis frater, Apostolicae vocis preconio commendamus, ornamus, extollimus, tibi eximia singularis benevolentiae, paternaeque caritatis studia, atque officia deferimus. Pontificios hos de te sensus, has tibi debitas ob perspecta tua in Ecclesia merita laudes ita velimus excipias, ut nostras ab his non disiungi ad Deum pro te tuoque grege hoc praecipue tempore tuendo, sublevando deprecationes existimes. Iam vero, Venerabilis frater, perge ut cepisti tui animi robur tamquam murum pro Dono Israel opponere, ac fideliter familiam, super quam constitutus es, Christo Domino conservare. Non haec hortandi tui, quod minime necesse est, sed nostrae tibi de tua virtute fiduciae declarandae causa dicimus, atque idcirco has ad te dare litteras voluimus, ut ex nobis ipsis intelligeres, quantum cupidi ac studiosi de tuorum meritorum tuaeque verae laudis incrementis simus. Hunc nostrum erga te animum re atque opera ipsa tibi libentissime comprobaturos esse pollicemur, si qua unquam se dederit eximiae, qua te prosequimur, tibi eum in modum confirmandae caritatis opportunitas. Ac in

amplius huiusmodi voluntatis pignus Apostolicam benedictionem, coelestis praesidii auspicem, tibi, Venerabilis frater, tuaeque fidei commisso populo peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XVI Martii MDCCLXXVI, Pontificatus Nostri Anno secundo.

821.

Romae, 20 . VI . 1776

Indulgentiae diversae pro ecclesia parochiali loci Lohnicensis, Pinscensis Dioecesis.

ASV, *Arch. dei Brevi Ap.*: *Indulg. perp.*, vol. 44, fol. 240rv.

PIUS PP. VI. Ad perpetuam rei memoriam.

Ad augendam etc. intenti, omnibus et singulis utriusque sexus Christianidelibus vere poenitentibus etc. refectis, qui ecclesiam parochialem Exaltationis S. Crucis loci Lohnicensis, Pinscensis Dioecesis, in eiusdem Exaltationis S. Crucis, ac S. Basilii Magni festis diebus⁷⁰ a primis vesperis etc. visitaverint, et ibi pro christianorum etc. effunderit, quo die praedictorum id egerint, plenariam etc. concedimus. In contrarium etc. quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, die 20 Juniii 1776, Anno 2.

PIUS PP. VI. Ad perpetuam, etc.

Ad augendam etc. intenti, omnibus etc., qui ecclesiam parochialem Exaltationis S. Crucis loci Lohnicensis, Pinscensis Dioecesis, in qua communio generalis de licentia Ordinarii prima Dominica cuiuslibet mensis agetur, dictis Dominicis devote visitaverint, ibique SS. mum Eucharistiae Sacramentum sumpserint, ac pro christianorum etc. effunderint, qua Dominica praedictarum id egerint, plenariam omnium etc. remissionem, quam etiam animabus Christianidelium, quae Deo etc. concedimus. In contrarium etc. quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum ut supra.

PIUS PP. VI. Ad perpetuam etc.

Ad augendam etc. intenti, omnibus etc. qui ecclesiam parochialem Exaltationis S. Crucis loci Lohnicensis, Pinscensis Dioecesis, in una ex feriis sextis mensis Martii per Ordinarium designandis ab ortu usque ad occasum solis feriae huiusmodi singulis annis devote visitaverint, et ibi pro christianorum etc. effunderint, plenariam etc. concedimus. Insuper iisdem Christianidelibus et vere poenitentibus etc. refectis, praedictam ecclesiam in reliquis feriis sextis mensis Martii huiusmodi, ut supra, visitantibus, et ibidem orantibus, qua feria praedictis id egerint, septem annos et totidem quadragenas de iniunctis eis seu etc. relaxamus. In contrarium etc. quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum ut supra.

⁷⁰ Quod agitur de ecclesia Ritus Orientalis inde conicitur, quod hisce temporibus Eparchia Pinscensis Ritus Latini nondum existerat.

822.

Romae, 6 . VII . 1776

*Commendatur Ordo Basilianorum protegendus in Comitibus Regni.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 176, fol. 102v-104.

Carissimo in Christo filio nostro Stanislao Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

PIUS PP. VI. Carissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Inter plurima detrimenta, quae rebus Catholicorum in istis Regionibus quotidie pene inferri nobis renutiantur, singularem sane molestiam nobis attulit calamitosus status in quo versari istam Congregationem Ruthenorum Ordinis S. Basilii Magni, et praesertim Monasterium Bitinense⁷¹ scimus. Nam ob plures controversias a Nuntiorum potentia hoc tempore excitatas eandem Congregationem, et insigne hoc Lithuanae Provinciae Monasterium periclitari de antiquissimis suis iuribus amittendis intelligimus, ac nisi valide atque opportune subventum fuerit, omnibus fere fundis, ac plurimis Monasteriis brevi privatum iri magnopere veremur. In metu, ac dolore hoc nostro maximae quidem Nos sublevat egregia nobisque perspectissima tua virtus, carissime in Christo fili noster, neque enim dubitamus pro summo tuo in religionem studio proque eo patrocinii erga Ecclesiam munere, quod una cum regia dignitate assumpsisti, quin in hoc illius Congregationis ac Monasterii discrimine iisdem spe ac praesidio tuo sis omnino affuturus. Tamen Apostolici nostri officii esse duximus, ut signa studii huius tui atque alacritatis in subsidio afferendo, precibus etiam nostris fieri possit accessio, easdem enixe, uti facimus, adiungeremus, et Maiestatem Tuam sua sponte egregie animatam ac flagrantem nostra etiam flagitatione excitaremus. Quapropter quam maxime possumus a te petimus, teque obsecramus, ut optime meritum de Catholica Religione Ordinem, eiusque iura tua potestate ac patrocinio tuearis, neque sinere velis, ut in oppugnanda Congregatione Basiliana sub peculiari tutela tua posita, cuiuspiam vis plus possit, quam tua regia auctoritas in defendenda. Statim ac in fide, et clientela tua esse illum Ordinem, teque illius defensorem ac patronum (quod a te valde exposcimus) declaraveris, reque ipsa praestiteris, non solum incolumem hunc ipsum Ordinem, eiusque iura sarta ac tecta te redditurum, sed etiam aliorum Sacrorum Ordinum, ac templorum incolumitati mirifice esse consulturum confidimus.

Ut enim impetus nunc in Basilianos suscepti, si semel adversariis procederent, alacriores eosdem efficerent ad alios pari spe invadendos, suisque possessionibus evertendos Ordines, ita cum validissime reprimi suos conatus sentient a ceteris Ordinibus aggrediendis, ac templis Catholicorum adoriendis fient tardiores. Quare unius Congregationis S. Basilii, ac Monasterii Bitinensis

⁷¹ Monasterium Basilianorum Bytenense, situm in Bielarusj prope oppidum Slonim, iam inde ab ipsa efformatione Congregationis SS. Trinitatis Vilmensis claruit, quia in ipso novitiatus inveniebatur. Fundatum a Gregorio Tryzna anno 1610 cca. Medio saec. XVIII adhuc plus quam 20 monachos alebat. Dein suppressum insimul cum Ecclesia Unita saec. XIX.

defensione, et Ordinem tibi addictissimum, et bonos omnes ad meliorem rerum suarum spem, ac tranquillitatem adduxeris, ac proinde singulari beneficio, ac laetitia affeceris. Hos etiam mirum in modum, carissime in Christo fili noster, una devinceris. Quidquid enim commodi atque utilitatis ex regio patrocinio tuo in Congregationem Basilianorum et in reliquos Ordines redundaverit, id omne tamquam in Nos ipsos a te esse collatum reputaturos profitemur. Interim pontificii ac paterni in te amoris pignus, et coelestis gratiae auspicem Apostolicam benedictionem Regiae Maiestati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die VI Julii MDCCLXXVI, Pontificatus Nostri Anno secundo.

823.

Romae, 6 . VII . 1776

Ordo Basilianorum et in specie monasterium Bytenense commendatur Episcopo Plocensi defendendum in Comitibus Regni contra impetus inimicorum,

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 176, fol. 104-105v.

Venerabili fratri Michaeli, Episcopo Plocensi⁷².

PIUS PP. VI. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Molestiam ac metum a nobis perceptum ex controversiis ac litibus a Non-unitorum potentia in istam Congregationem Ruthenorum Ordinis S. Basilii Magni, ac praesertim in insigne eiusdem Bitinense Monasterium⁷³, fere omnem nobis ademit spes patrocinii, ac tutelae, quam eidem Congregationi minime defuturam scimus nec a carissimo in Christi filio nostro Stanislao Augusto, Poloniae Rege Illustri, germano fratre tuo, nec a te ipso, Venerabilis frater, in quorum praecipua fide et clientela est posita et tutissimam proinde fore confidimus. Nihilominus ad Maiestatem suam nostras litteras dedimus, eique defensionem ac incolunitatem illius Congregationis ac Monasterii, quam maxime potuimus, commendavimus. Ad Fraterintatem Tuam has dare item litteras propterea voluimus, neque solum ut tibi ipsi hunc praeclare de Ecclesia meritum Ordinem commendarem, verum etiam, ut tua apud fratrem Regem gratia nostram apud illum commendationem validiorem redderemus. Quare id a te, Venerabilis frater, quantum possumus flagitamus, ut et tua omni opera, industria, auctoritate enitare, et contendas, ut sarta tecta iura, ac possessiones Basilianorum Congregationis in hoc gravissimo discrimine praestes, et Maiestatem suam ad parem auxilii ferendi voluntatem impellas. Nulla sane episcopali tuo ministerio convenientior res esse possit, nulla perspectissimae tuae pietati, tuoque singulari in Ecclesiam studio accommodatior. Defensione hac suscepta Non-unitorum impetus summopere retarda-

⁷² Michael Georgius Poniatowski, princeps, frater Regis Poloniae Stanislai Poniatowski, Ep. Polocensis (1773-1782), ab anno 1782 Administrator Cracoviensis, anno vero 1784 Primas Poloniae, seu Archiepiscopus Gnesnensis (1784-1794). Cfr., *Enc. Pow.*, vol. 3, p. 124.

⁷³ Cfr. supra, nota 71.

bis et repelles, et ne alios Ordines ac ecclesiarum possessiones adoriri conentur, facile comprimes. Quo egregio facto tuo pacem et tranquillitatem, et Basilianorum Congregationi, et ceteris item Sacris Ordinibus ac templis abs te restitutam esse laetari, ac in Domino gloriari poteris. De nobis certe singularem in modum te bene esse meritum hac eximia tua opera existimato, et nullam rem esse, quae a nobis proficisci in te possit, qua gratissimum nostrum animum non libentissime declaraturi simus. Demum in pontificiae caritatis manifestius argumentum Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die VI Julii MDCCLXXVI, Pontificatus Nostri Anno secundo.

824.

Romae, 6 . VII . 1776

Similis commendatio Ordinis Basilianorum.

ASV, Ep. ad Principes vol. 176, fol. 105-106v.

Dilecto filio, nobili viro, Principi Alexandro Sapieha,
Supremo Magni Ducatus Lithuaniae Cancellario⁷⁴.

PIUS PP. VI. Dilecte fili, nobilis vir, salutem et Apostolicam benedictionem.

Congregationem istam Ruthenorum Ordinis S. Basilii Magni singulari caritate ob illius praeclara de Ecclesia et Catholica Religione merita prosequimur. Cumque eandem Congregationem, ac praesertim insigne illius Bitinense Monasterium versari intelligamus in gravissimo iurim, ac rerum suarum discrimine ob controversias ac lites a Non-unitorum potentia ac pleisque aliis in Regio isto Magni Ducatus Lithuaniae Tribunali contra illam excitatas, magnopere cupimus, ut eidem in sartis ac tectis rebus servandis opitulari ac praesto esse possimus. Nulla qua id praestemus paratiorem rationem habemus quam si Nobilitatem Tuam ad has nostrae in antiquissimum hunc Ordinem voluntatis ac patrocinii partes sustinendas advocemus, a teque, prout enixe facimus, postulemus, ut loco nostri eidem adsis, et illus iura aequitate tua et auctoritate, qua polles, tueare. Quae tua singularis est pietas ac in eximio tuo munere optime gerendo integritas, persuasissimum est nobis te, dilecte fili, nobilis vir, tua sponte id ipsum esse facturum, neque commissurum, ut post tot damna, atque incommoda sacris rebus hactenus illata haec nova illa detrimenta accedant, quarum successu adversariorum conatus ad alios religiosos Ordines et Catholicorum templa adorienda alacriores fierent. Nihilominus speramus nostra etiam causa nostraque hac flagitatione non mediocriter hortatum iri egregium tuum erga Basilianos studium, et praesidio tuo illorum incolumitas brevi Nos esse potissimum de-

⁷⁴ Alexander Sapieha, Cancellarius Magni Ducatus Lithuaniae (1775-1793). Antea Palatinus Polocensis et Magnus exercituum Lithuaniae dux campestris. Deposuit sigillum Cancellarii tempore confederationis Torhovicensis. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 13, p. 895.

bituros. Quamquam cum Basilianos et istius Regni Sacros Ordines, et bonos omnes demereberis, tum Sanctam hanc Sedem, ac Nos mire devincies, nobisque iucundissimas futuras profitemur opportunitates omnes, quibus paternum nostrum tibi propterea gratum animum re ipsa declarare possimus. In cuius nostrae eximiae erga te voluntatis argumentum interea Nobilitati Tuae Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die VI Julii MDCCLXXVI, Pontificatus Nostri Anno secundo.

825.

Romae, 13 . VII . 1776

Commendatur diversa negotia tum Ordinum religiosorum, tum Basilianorum et Unitorum in genere. In specie agitur de limitationibus pro ingredientibus in Ordines Religiosorum.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 176, fol. 109-113.

Carissimo in Christo filio nostro Stanislao Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

PIUS PP. VI. Carissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Incredibile est, carissime in Christo fili noster, quantam quamque in dies maiorem ex rerum vestrarum cogitatione animi aegritudinem capiamus. Assidue nobis obversatur ante oculos, quae istius inclyti Regni laus antea in tuenda ornandaque Catholica Religione fuerit, et quae nuper facta sit tristissima rerum omnium, ut publicarum, ita et Ecclesiae rationes pertinentium inclinatio. Ex vestris illis Anni 1768 Comitibus, ac ex alteris anni 1773 ea Decreta manarunt, e quibus plurima Catholicae Ecclesiae, rebusque sacris illata sunt detrimenta; inde data Dissidentibus sui cultus libertas, abrogatae contra Apostatas poenae, inde promiscua matrimonia, ad indigenarum ius civiliaque Reipublicae munera Dissidentes admissi, ipsorumque et Catholicorum novum Tribunal erectum, erepta bona, spoliataeque a Schismaticis Graecorum Unitorum Ecclesiae, mixtaque itidem quam dicunt commissio pro examinandis horum in Ukraina polona damnis instituta⁷⁵; inde alia etiam quae magis deflenda universim sunt, quam singillatim commemorando retractanda Ecclesiae vulnera. Sed Nos ipsum hoc tempus harum rerum admonet ac plurimum auget sollicitudinem nostram; cum enim proxime habenda esse vestrae Reipublicae Comitibus intelligamus maiorem in modum excitamur, ut his ipsis, quoad geri potest, remedia aliqua comparari afferique flagitemus. Tua Nos huc inducit, qua maxime nitimur, carissime in

⁷⁵ « Ucraina polona » ex parte dextera fluminis Dniro, excepta Kiovia. Prima Poloniae divisio statum rerum in hac parte quod spectat territorium ipsum, nondum mutavit. Sed influxus praepotentia moschoviticae in res et eventus internos funestissimus iam primos monstrabat fructus. Ecclesia catholica Ucraina primum solvere debuit pretium insufficientiae politicae Regni Poloniae.

Christo fili noster, regii animi religio, tua Nos in Ecclesiam studia nunc erigunt animumque nostrum sustentant, ut post Deum tua opera, praesidio, auctoritate confidamus.

Igitur damus has ad te litteras eximiae nostrae cum caritatis, tum fiduciae testes, quibus virtutem tuam magis magisque inflammemus, ne modo commemorata detrimenta perennia esse sinas, ipsaque diuturnitate confirmari. Id a te maiorem in modum petimus, teque summa pontificii animi nostri contentione rogamus, atque absecramus, et ad haec consilia atque opera pro Ecclesia suscipienda, et urgenda, quae religiosissimae Nationi utilissima, tibi-que gloriosissima sint Apostolica paternaque voce advocamus, atque hortamur. Sed cum in hoc solitudinum nostrarum argumento versemur, praeterire etiam silentio non possumus illam superiorum Comitiorum Constitutionem, qua sancitum est, ne iuvenes nisi post vigesimum quartum annum, virgines post decimum sextum ingredi religiosum Ordinem, eiusque habitum induere possint, Scimus quidem nullam adhuc isthic, quod ad executionem spectat, habitam eiusdem esse rationem, planeque percipi, quae inde, si vim suam illa habent, derivanda essent in universam Nationem incommoda. Tu ipse certo pro tua sapientia optime vides, atque intelligis, quantum id adversaretur Decretis sacrosancti Tridentini Concilii, quod iam a primis temporibus apud istam religiosissimam Nationem in maxima semper veneratione fuit, quantum ab Ecclesiae disciplina dissentiret, quantum cuiusque naturali iuri, ac libertati officeret, ne ut in ceteris, in maximo etiam aeternae salutis negotio mature sibi consulere possint. Sed aliae praeter ea ad has accedunt propriae ac peculiariae quae a publica istius Regni utilitate praesertim repetuntur. Exiguus certe isthic est universim pro Regni amplitudine Regularium numerus, quibus maxime nunc pro educatione iuventutis indiget Polona Natio. Itaque dilata ad ingressum in Sacros Ordines et ad professionem religiosam aetate, necesse omnino erit, ut ad maiorem adhuc, ac ad immensam pene paucitatem et Regularium una, et Educantium numerus cum summo Nationis detrimento redigatur. Post abolitum Societatis Jesu Ordinem in ceteros isthic Regulares recidit Scholarum publicarum munus, quod iisdem commissum auctoritate pontificia, vehementerque postulante istius, Litterariae quam vocant, Commissionis Magistratu. Novo huic imposito oneri quo modo sufficere illi poterunt, nisi assidue abundeque suppleatur? Huic autem tam necessario supplemento illa Constitutio quantum difficultatis, ac impedimenti afferat, quis non videt. Quare fatendum omnino est pugnare illam cum publico ipsius Nationis bono, scholas ipsas quodammodo evertere, viam omnem ad educandam iuventutem obstruere. Viderunt id iampridem illi ipsi legislatores viri, ac ceteris consiliis suis praeferendam esse publicam educationem censes, ab illa Constitutionis lege iam tum Societatem Jesu, et Scholarum Piarum Institutum edixerunt. Cum nunc eadem ratio in Regulares omnes extensa sit, quare non eadem etiam in eos omnes extendi debeat exceptio? Si hoc ad bonarum artium, ac disciplinarum retinendam instructionem valere adeo potest, quid de ipsa morum, catholicaeque fidei instructione sentiendum? Optime tibi, qui in re praesens es perspectum esse debet quanta sit in Polonia Parochiarum amplitudo ac vastitas. Universus qui isthic est cum saecularis tum regularis Clerus satis esse non potest, ut quibuscumque locis praesto sint, qui fideles de Christi lege divinoque cultu rite infor-

mare, eisdemque Sacramenta ministrare valeat. At mutlo adhuc pauciores ea vigente Constitutione Sacerdotes extituri, qui in prosterum cum Episcopis tum Parochis in colenda Domini vinea subsidiariam operam praestent, unaque in spiritali populorum cura, ac aedificatione laborent. Haec Nos omnia paterna plenaque caritatis cogitatione recensentes non possumus non vereri, ne qua nova vis ex proximorum Comitiorum Decretis illi Constitutioni accedat, unde et in Ecclesiae iura, et in istius Nationis rationes plurimum detrimenti redundare possit, proindeque haec etiam nostra ad te accurate deferimus pro amantissima Natione studia teque etsi tua sponte tuaque virtute optime animo comparatum, tamen pro nostra etiam parte ad illa aggredienda, et enixissime promovenda accendemus. Demum universa quae commemoravimus intima paterni animi sollicitudine complectentes Maiestati Tuae commendamus, carissime in Christo fili noster, in te post Deum spes nostras coniicimus, tua virtute, religione, sapientia nitimur, contra Catholicorum hostes, legumque ac libertatis ecclesiasticae oppugnatores te, fidemque tuam imploramus. Nullum maius habere, atque illustrius argumentum potes ad animi tui fortitudinem exerendam, ad perennem tuo nomini comparandam gloriam, ad divinae benignitatis, in qua omnis est vere felicitatis sita ratio, fructus magis magisque consequendos. Ac illius auspiciem Apostolicam benedictionem in nostrae etiam singularis benevolentiae pignus Regiae Maiestati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XIII Julii MDCCLXXVI. Pontificatus Nostri Anno secundo.

Fol. 113-115x: Similis epistula etiam « Venerabili fratri Andreae Stanislao, Episcopo Posnaniensi, Supremo Regni Poloniae Cancellario ».

Quae in postremis duobus vestrae Reipublicae etc. impertimur. Datum etc. die XIII Julii MDCCLXXVI, Pontificatus Nostri Anno secundo.

826.

Romae, 30 . X . 1776

De reordinatione dioecesium Ritus Orientalis in Hungaria, et in specie de dioecesi Munkacsensi in Ucraina Carpatica, Imperio Austriae subiecta.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 176, fol. 167v-170.

Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae,
Hungariae Reginae Apostolicae, necnon Bohemiae Reginae Illustri,
in Romanorum Imperatricem electae, Viduae.

PIUS PP. VI. Carissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

Statim responsum, ut cupiebamus, dare non potuimus litteris Apostolicae Maiestatis Tuae, quibus diligenter nobiscum egisti de novis in tuo Hungariae Regno constituendis Episcopatibus, partim Latini Ritus Sabariensi, partim Ritus Graeci-Uniti Magno-Varadiensi et Zagabriensi, deque attribuenda iis omnibus Dioecesi, praetereaque de Munkacsensi Dioecesi amplian-

da⁷⁶. Magni haec omnia, ut ipsa optime pro tua sapientia intelligis, momenti erant, atque aliquod temporis spatium ad mature deliberandum consultandumque postulabant. Nunc igitur cum omnia accuratissime considerassemus, certoque iam aliquid de tuorum postulatorum parte decrevissemus, hoc ipsum ad te rescribere iam volumus, Carissima in Christo filia nostra, tibi que, quoad in his rebus hactenus licet, nostrorum in te tuasque res omnes animum comprobare. Itaque quod ad Latinos Episcopatus eorumque Dioeceses pertinet, plurimam sane in consultatione nostra habendam a nobis duximus rationem, non solum eorum omnium, quae allata a te sunt, sed voluntatis etiam tuae, quam Ecclesiae ac salutis animarum studio ad id ipsum potissimum inductam fuisse non dubitamus. Quapropter et erigendum, ut postulasti Sabinensem Episcopatum statuimus, et eius conflandam Dioecesim ex iis, quae designatae a te sunt, partibus a Dioecesibus Episcopatum Veszprimiensem nempe Javarinensem, et Zagrabiensem subtrahendis. Hunc in modum pariter, prout ipsa descripsisti, visum nobis ac decretum est Albaregalensem Episcopatum nunc pro eo tempore constituendum quo nempe Praepositura et Custodiatu albaregalensis vacaverint, nec non et Capitulum in forma Collegiatae erigendum, idemque interim Capitulum cum suo Praeposito, accedente tamen huius consensu, Episcopo Veszprimiensi subiiciendum.

Cum haec ex Tuae Maiestatis sententia de latinis Episcopatibus sponte constituivissemus, eundem animum attulimus ad illa etiam, quae proposita nobis a te sunt de novis Graeci-Catholici Ritus Episcopatibus instituendis; at quod vehementer displicuit aliam ibidem rerum conditionem esse agnovimus, quae deliberationem nostram difficiliorem reddidit ac retardavit. Etsi consiliis his tuis, quae religionis rationibus inniti intelligimus, acquiescere quantum in nobis est maxime velimus, dubitationes tamen quasdam ex animo nostro eximere non possumus, quae plurimam nobis anxietatem inferunt. Non enim ignoramus quae sit Graecae Nationis indoles, quamque tecta ac subdola eisdem agendi ratio, multisque iam didicimus, ac in dies experimur exemplis incerta esse quae ipsa saepe religiose ac sancte promittit, valdeque periculosum quibuscumque illius pollicitationibus fidere; ac non raro contingit, ut per quos lucrari alios speramus, illi ipsi a nobis desciscant. In hoc igitur rerum statu differendam esse rem censemus, tibi que ipsi proponendas interea has dubitationes ac difficultates nostras, si quo modo poterimus easdem nova allata a te, quae quodammodo in re praesenti es, rationum vi dissolvere. Itaque eas ad te nostro nomine deferet Venerabilis frater Josephus Bervti Archiepiscopus, noster apud te Nuntius⁷⁷, ut ipsi diligenter in mandatis damus. Quapropter maiorem in modum a Maiestate Tua petimus, teque rogamus, ut cunctationem hanc nostram ex ea ipsa, quam maxime in his rebus utriusque spectare debemus, religione proficisci, atque illum idcirco his cum mandatis ad Te advenientem benigne excipere, quaeque ab eodem afferentur audire ac tecum ipsa considerare pro regia tua aequitate ac prudentia velis. Summopere confidimus fore, ut tibi certissime constet, nihil Nos magis cupere, carissima in Christo filia nostra, quam ut ea omnia quae dubios Nos, incertosque hactenus reddunt perspicua rationum tuarum luce collustrentur,

⁷⁶ Cfr. J. BASTILOVITS, *Brevis notitia...*, vol. I-II, Cassoviae 1799-1804.

⁷⁷ Josephus Garampi, Nuntius Varsaviensis (1772-1775), dein Viennensis (1775).

ac illa porro ad Nos a te perscribat Venerabilis frater, quae nostro animo metum ac solitudinem prorsus omnem debrahent ,ut et summae nostrae ad tibi gratificandum voluntati satisfacere, et alacres in id pontificia nostra auctoritate incumbere possimus, quod ex tuis consillis susceptum optimos deinde sortiri exitus ad plurimam Ecclesiae utilitatem, ad parem iucunditatem utriusque nostrum, ac ad praecipuum tuae gloriae tuaeque felicitatis incrementum videamus .Ac in paternae caritatis pignus Apostolicam benedictionem caelestium munerum auspiciem Apostolicae Maiestati Tuae amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXX Novembris MDCCLXXVI, Pontificatus Nostri Anno secundo.

827.

Romae, 19 . IV . 1777

De erectione Episcopatus Crisiensis litterae ad Mariam Theresiam datae.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 176, fol. 224v225.

Carissimae in Christo filiae nostrae Mariae Theresiae,
Hungariae Reginae Apostolicae nec non Bohemiae Reginae Illustri,
in Romanorum Imperatricem electae, Viduae.

PIUS PP. VI. Carissima in Christo filia nostra, salutem et Apostolicam benedictionem.

Tandem a nobis decretam esse ex tui animi sententia duorum Graeci Ritus Catholicorum Episcopatum in tuis Hungariae et Croatiae Regnis, nimirum Magno-Varadiensis, et Crisiensis⁷⁸, institutionem Apostolicae Maiestati Tuae hisce nostris litteris nunciamus. Dubitationes illae nostrae an ii Episcopatus erigendi, quibusque conditionibus essent, iam sublatae fuerunt iis rationibus, quas tu ipsa nobis et per Venerabilem fratrem Nuntium istic nostrum, et per postremas tuas litteras die XX Martii attulisti. Ne ipsis tamen rationibus maximus accessit cumulus ex certissima nostra de te fiducia, quae nimirum non solum nihil unquam inde accidere in Sanctae Unionis detrimentum pateris, sed etiam efficeres, ut uno religionis orthodoxae vinculo colligati animi inter se magis adhuc coniungerentur et coalescerent. Hac potissimum tuae virtutis tuaeque religionis cogitatione inducti ultro devenimus ad ea statuenda quae circa eisdem Episcopatus optari a te ac summo studio expeti significaveras. Quod nunc est reliquum, Deum Optimum Maximum enixe obsecramus, ut consilia haec nostra sua ipsa gratia in Ecclesiae bonum tuorumque Regnorum utilitatem vertat, ac optimo rerum exitu magis in dies comprobet, et confirmet. Interea magnopere gaudemus, carissima in Christo filia nostra, te ex hoc etiam intellecturam, quam maxima in te sin-

⁷⁸ Eparchia Crisiensis Ritus Orientalis instituta est die 17.VI.1777, ut Suffraganea Zagabriensis. A saeculo XIX commorantur in hac dioecesi etiam plurimi coloni ucraini, modo speciali prope Kerestur in Bačka. Numerus fidelium an. 1950 erat 50.000 circa, qui in 50 subdividebantur parochias, cum 58 sacerdotibus.

gularique voluntate simus, quamque tibi omnia, quaecumque ad tuae gloriae, ac felicitatis incrementum facere possint, studiosissime cupiamus. Ac in paternae huius caritatis pignus Apostolicam benedictionem Regiae Maiestati Tuae, universaeque Augustae Domui amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XIX Aprilis MDCCLXXVII, Pontificatus Nostri Anno tertio.

828.

Romae, 28 . VI . 1777

De hac erectione certioratur Archiepiscopus Strigoniensis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 176, fol. 243v-244v.

Venerabili fratri Josepho, Archiepiscopo Strigoniensi.

PIUS PP. VI. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Maximo apud Nos egit studio carissima in Christo filia nostra Maria Theresia, Imperatrix Regina, ut duos institueremus catholicos Graeci Ritus Episcopatus in suis Hungariae et Croatiae Regnis, nimirum Magno-Varadiensem, et Crisiensem, quos illa valde utiles pro confirmanda illius Nationis nobiscum unione futuros existimat. Diu Nos in perdifficili tantae rei consultatione fuimus, quod instabile, ac infidum eius gentis ingenium pluribus exemplis edocti valde veremur. Vix atque aegre tandem animum nostrum ad Augustissimae Reginae postulata inclinavimus, inducti allatis ab illa rationibus, ac ea potissimum causa, quod eandem sua religione, sua auctoritate, atque opera prestaturam omnino confideremus, ne Nos nostri huius consilii paenitere posset. Tu etiam, Venerabilis frater, expeditiorem nobis eius deliberationis exitum effecisti. In tuam enim intuentes pastoralis animi sollicitudinem tuaeque Sedis istius dignitatem, Nos ipsi facile nobis persuasimus fore, ut te quodammodo praesente ac super istum Domini gregem vigilante nihil inde accidat ex quo ullum Sanctae Unioni detrimentum inferatur. Itaque has ad te dare litteras voluimus, ut hanc nostram de tua episcopali virtute iamdudum nobis perspectam fiduciam tibi significarem, teque nostra hac cohortatione adhuc magis inflammarem ad eam suscipiendam curam ac vigilantiae partem, quam is novus duorum Graeci Ritus Episcopatum status a te praesertim efflagitat, ex qua certe plurima fieri poterit tuorum de Ecclesia meritum ad ceteras tuas laudes accessio. Eum in modum nobis omnem detrahes, si qua animo adhuc inheret, anxietatem, nostraeque in te eximiae respondebis et benevolentiae et existimationi, quarum tibi luculentius argumentum dare non possumus, quam quod hac ipsa tantae rei commendatione, tuique fiducia continetur. Ac in amplius nostrae huius singularis in te paternae voluntatis pignus Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis frater, tuaeque fidei commissis populis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXVIII Junii MDCCLXXVII, Pontificatus Nostri Anno tertio.

829.

Romae, 5 . III . 1778

*Appellatio a sententia Tribunalis Nuntiaturae Varsaviensis.*ASV, *Brev. Lat.*, vol. 773, fol. 244rv, 259.

Venerabilibus fratribus Antonino Mlodowski,
Episcopo Brestensi, et Cypriano Stecki, Episcopo Luceoriensi,
sive Dilectis filiis eorum Officialibus
ac Dilecto filio Augustino Nowosielski, Abbati Kobrynensi.

PIUS PP. VI Venerabiles fratres sive Dilecti filii, salutem etc.

Exponi nobis nuper fecit dilectus filius Andreas Tulinski, Parochus seu Rector parochialis ecclesiae Janovien, Luceoriensis dioecesis aliique litis consortes quod alias introducta lite et causa coram Consistorio Janoviensi nuncupato inter ipsum Exponentem ex una et dilectos etiam filios Priorem, Subpriorem totumque Conventum Janoviensem Ordinis S. Dominici Praedicatorum nuncupatorum partibus ex altera de et super solutione nonnullorum decimarum per Exponentem praedictum praetensarum vel alias latius in actis causae specificatorum, Iudices praefati Consistorii per eorum sententiam definitivam seu decretum illius vim habentem dictum Priorem et Conventum ad persolutionem decimarum praedictarum condemnarunt, ac Exponentis praedicti favore pronunciarunt. Interposita tamen, infra legitima tempora, per eundem Priorem et Conventum ad Nostrum et Sedis Apostolicae Nuntium in Regno Poloniae commorantem appellatione, dilectus pariter filius Auditor Nuntiaturae per parem suam definitivam sententiam ...priorem sententiam in omnibus et per omnia confirmavit, ...a qua posteriori sententia interposita iterum per Priorem etc. ad Sedem Apostolicam appellatione, et commissa causae cognitione dilecto similiter filio Archidiacono Brestensi nuncupato, ipse per suam definitivam sententiam seu decretum illius vim habentem binas priores sententias revocavit ac contra Exponentem praedictum pronunciarunt, nobisque humillime supplicari fecit Exponens praefatus quatenus causam et causas appellationis et appellationum huiusmodi ad quam et quas dictus Exponens super praemissis contra praedictos adversarios omnesque alios sua interesse putantes habet et movet habereque et movere vult et intendit aliquibus Ordinariis illarum partium et eorum cuilibet audiendi et decidendi committere aliasque ei in praemissis de opportuno iuris remedio subvenire paterna sollicitudine curaremus. Nos igitur unicuique iustitiam ministrari etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatori, die V Martii MDCCLXXVIII, Pont. Nostri An. quarto.

J. TORSI

830.

Romae, 9 . V . 1778

Congratulatur Pius VI cum novo Metropolita Kioviensi, eique Monachos Basilianos commendat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 177, fol. 44v-45v.

Venerabili fratri Ludovico Leoni,
Archiepiscopo Metropolitano totius Russiae⁷⁹.

PIUS PP. VI. Venerabilis frater, salutem etc.

Etsi molestissimus nobis fuerit Venerabilis fratris Feliciani Archiepiscopi Metropolitanus totius Russiae mortis nuncius⁸⁰, cuius pastoralem sollicitudinem, et de animarum salute studium plurimi semper fecimus, ex ipso tamen officio tuo, quod nobiscum diligenter peregisti per litteras die XXVIII Februarii datas non mediocrem nostri huius doloris levationem cepimus, cum praeserferri a te impigram ad explendum omne episcopale munus animam videremus. Id quidem etsi nobis a te, prout significas, omnino polliceamur, Venerabilis frater, summa tamen paternae caritatis contentione te hortari nequaquam praetermittere possumus, nimirum ut praeclaris tui Praedecessoris vestigiis insistens nihil unquam in vita potius habeas, quam ut incolumem serves commissum tuae fidei Dominicum gregem, eiusque propulsandis damnis, ac periculis omnibus nunquam excubare ac laborare desistas; teque ipsum pro caeterorum salute, si ita necesse fuerit, opponere non detrectes. Deum Optimum Maximum obsecramus, ut illius tibi auxilia suppetant, teque eo consilii ac fortitudinis spiritu pollere semper faciat, quem istius Ecclesiae res et tempora a te potissimum requirunt. Illud etiam tibi praecipuae curae esse cupimus, ut Monachos ruthenos omnes, qui in tua Dioecesi sunt, tuo patrocinio tuearis ac foveas, eisque nunquam deesse tuae benevolentiae, prout oportunitas tulerit, fructus sinas. Proinde ut quod tua sponte in eos feceris, impensius etiam nostrae huius commendationis gratia praestes, a te etiam atque etiam, Venerabilis frater, flagitamus; ac ut in novo, quod aggredieris, munere amplissima extare possint merita tua, Apostolicam benedictionem, divinorum munerum auspicem, nostrique paterni amoris ac studii testem tibi, Venerabilis frater, tuaeque sollicitudini concreditae populis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum etc., die 9 Maii 1778, Pontificatus Nostri Anno quarto.

⁷⁹ Leo Ludovicus Szeptyckyj, Episcopus Leopoliensis (ab an. 1749), et Coadiutor cum iure successionis ab an. 1762. Successit post obitum Coadiuti anno 1778, sed obiit iam die 13.V.1779.

⁸⁰ Philippi Feliciani Wolodkowycz (1762-1778).

831.

Romae, 19 . I . 1780

Confirmatio foundationis Seminarii Chelmensis, et ut in directione PP. Basilianorum permaneat, nec summa erogata ad alios usus converti possit.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3924, fol. 7-8.
DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 250-51, nr. 30.

PIUS PP. VI. Ad perpetuam rei memoriam.

Praecipuae summi Ecclesiae catholicae pastoris partes sunt in iis studium operamque impendere, per quae religioni et bonis artibus consulatur.

Exponi siquidem nobis nuper fecit Venerabilis frater Maximilianus⁸¹ Episcopus Chelmensis Ritus Rutheni, quod ipse pro eximio quo flagrat catholicae religionis et ecclesiasticae disciplinae zelo, seminarium clericorum in sua dioecesi fundavit, attributis pro eiusdem dote fructibus centum millibus florenor. monetae Poloniae, et electis in regentem, professores et procuratores eiusdem seminarii monachis Ordinis Sancti Basilii Magni provinciae Lithuaniae. Cum autem ad evertenda incommoda, quae ad huiusmodi foundationem labefactandam insurgere aliquando possent, electionem monachorum huiusmodi in regentem, professores et procuratores dicti seminarii, ut praefertur, factam confirmare, ac alias, ut infra, a nobis provideri summo pere cupiat, nobis propterea humiliter supplicari fecit, ut in praemissis oportune providere, et ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Nos igitur eiusdem Maximiliani Episcopi erga Dominicum gregem sibi commissum diligentiam, studium animique contentionem plurimum in Domino commendantes, eumque specialibus gratiis et favoribus prosequi volentes, et a quibusvis excommunicationis, interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo et quacumque de causa latis, si quas forte incurrit, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum consilio, foundationem seminarii clericorum huiusmodi, nec non electionem regentis, professorum et procuratorum eiusdem seminarii in personas monachorum praedicti Ordinis S. Basilii Magni provinciae Lithuaniae a memorato Maximiliano Episcopo, ut praefertur, factas auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus et approbamus, illisque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiicimus, omnesque et singulos iuris et facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus et sanamus.

Praeterea, ut dicti seminarii regimen apud eosdem monachos in perpetuum permaneat, ut summa ab eodem Maximiliano Episcopo pro fundatione huiusmodi erogata, eidemque seminario attributa, nullo umquam tempore in alios usus converti aut ullo modo a suis in dicto episcopatu successoribus amoveri possit, statuimus, decernimus et declaramus.

⁸¹ Maximilianus Rylo, Episcopus Chelmensis (1759-1785), dein Peremyliensis (1785-1793). Cfr. J. ЧОМА, *Maximilianus Rylo, Episcopus Chelmensis et Peremyliensis* (1759-1793), Romae 1953, in *Analecta OSBM*, sec. II, vol. I, fasc. 4, p. 441 sq. et separatim.

Decernentes easdem literas semper et perpetuo firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, ac ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis omnibus et singulis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum palatii Apostolici auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus praemissis ac constitutionibus et ordinationibus Apostolicis nec non dictae Ecclesiae Chelmenensis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoris, aliisque efficacioribus, efficacissimis ac insolitis clausulis, irritantibusque et aliis decretis in genere vel in specie, ac aliis in contrarium quomodolibet concessis, approbatis et innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus pro plene et sufficienter expressis, ac de verbo ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum, hac vice dumtaxat, specialiter et expresse derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XIX Januarii MDCCLXXX, Pontificatus Nostri Anno V.

832.

Romae, 23 . VI . 1781

Provisio Ecclesiae Metropolitanae Kioviensis in persona Jasonis Smogorzewskyj.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi Moscovia etc.*, vol. 14, fol. 403-408.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Jasoni Junosza Smogorzewski⁸² nuper Archiepiscopo Polocen. et Mohilovien. in Archiepiscopum Kiovien. et Halicien. electo salutem et Apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis quem Pastor ille celestis etc.

Dudum siquidem provisiones Ecclesiarum omnium tunc vacantium etc. Postmodum vero Kiovien et Halicien. Ecclesiis Ritus Graeci invicem perpetuo canonice unitis, quibus bon. me Leo Ludovicus Szeptycki ultimus illarum Archiepiscopus dum viveret presidebat per obitum dicti Leonis Ludovici

⁸² Jason Junosza Somogorzewskyj, Archiepiscopus Polocensis (1762-1780) electus in Metropolitam Kioviensem, quam ob rem Archiepiscopatum Polocensem relinquere debuit, quia in confinibus Moscoviae inveniebatur post annum 1772, id est post primam Poloniae divisionem.

Archiepiscopi⁸³, qui extra etc. demum ad te, nuper Archiepiscopum Polocen. et Mohilovien. Ecclesiarum dicti Ritus etiam invicem perpetuo canonice unitarum, quem Venerabiles etiam fratres nostri Episcopi praefati Ritus Graeci Sanctae Romanae Ecclesiae uniti in Metropolitam de more elegerunt, quique fidem catholicam iuxta articulos iam pridem a Sede Apostolica propositos in manibus duorum vel unius Archiepiscoporum vel Episcoporum in illis partibus degentium expresse professus fuisti, consideratis grandiam virtutum donis quibus personam tuam illarum largitor Altissimus multipliciter insignivit, et quod tu qui eisdem Polocen. et Mohilovien. Ecclesiis hactenus laudabiliter prefuisti et pontificalia munia exercuisti, ordinationes habendo ac solemniter celebrando, praedictas Kiovien. et Halicien. Ecclesias scies, voles et poteris salubriter regere et feliciter gubernare, direximus oculos nostrae mentis. Intendentes igitur tam Kiovien. et Halicien. Ecclesiis praedictis quam illarum gregi Dominico salubriter providere, teque a quibusvis suspensionis etc. censentes, iuxta decretum in Congregatione eorundem fratrum nostrorum negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per nos approbatum, a vinculo quo eisdem Polocen. et Mohilovien. Ecclesiis praedictis, quibus praees, teneris de eorundem fratrum consilio et Apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad Kiovien. et Halicien. Ecclesias praefatas de simili consilio Apostolica auctoritate transferimus, teque illis in Archiepiscopum praeficimus etc. tibi quoque Archimandriatum Kiovio-Peczarensem, quo immediatus Praedecessor et alii Metropolitanae Antecessores tui gaudebant et respective ob necessitates consueverunt in administrationem concedendo, cum onere tamen quod tam tu quam successores tui Ecclesiam, et Sedem Archiepiscopales ac residentiam Rotomiric⁸⁴ oppidi Ucrainae Poloniae, in Palatinatu Kioviensi aut alio in loco praedictarum Kiovien. et Halicien. Dioecesium, qui ipsas, consulto prius Venerabili etiam fratri nostro Nuncio in eodem Poloniae Regno commoranti iuxta concurrentes necessitates videbitur opportunior, intra saltem Quinquennium constituere et aedificare omnino teneris, firma spe fiduciaque conceptis quod dextera Domini tibi assistente propitia, etc. consequi merearis. Nec non Venerabilibus fratribus nostris universis Suffraganeis ac dilectis filiis, etc. observari. Rogamus quoque et hortamur attente charissimum in Christum filium nostrum Stanislaum Augustum, etc. actio gratiarum. Volumus autem quod tu antequam regimini, etc. destinare procures. Nos etiam eidem Antistiti per easdem praesentes committimus, etc. recipere curet. Volumus praeterea quod metropolitanae ecclesiae et domus archiepiscopalis reparationi pro viribus incumbas conscientiam tuam super his onerando.

Forma iuramenti quod praestabis haec est: Ego Jason Junosza Smogorzewski Electus Kiovien. et Halicien. ab hac hora in antea etc. Evangelia.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Domini Millesimo septingentesimo octuagesimo primo, septimo Kalen. Julii, Pontificatus Nostri Anno septimo.

⁸³ Leo Ludovicus Szeptyckyj, Metropolita Kioviensis (1778-1779). Obiit 13.V.1779

⁸⁴ Agitur de Radomyśl in Ucraina, prope Kioviam. Cfr. notam 62.

833.

Romae, 1781

Coadiutoria Ecclesiae Metropolitanae Kioviensis in persona Gedeonis Horbackyj, Ep. Pinscensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici.*

APF, *Scritt. rif. n. Congressi Moscovia etc.*, vol. 14, fol. 393-396.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Gedeoni Horbacki⁸⁵ moderno Episcopo Pinscen. et Turovien. Ritus Graeci Rutheni Sanctae Romanae Ecclesiae Uniti, salutem et Apostolicam benedictionem.

Romanus Pontifex in potestatis plenitudine a celesti Pastore constitutus, etc. incrementis. Sane venerabili fratri Jasoni Junoska Smogorzewski⁸⁶ moderno Archiepiscopo Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum Ritus Greci Rutheni S. R. E. uniti ob eius ingravescentem aetatem et adversam valetudinem ad episcopalia aliaque pastoralia munia obeunda ope aliqua indigenti ne Ecclesiae Kiovien. et Halicien. Ritus Graeci Rutheni praedicti perpetuo canonicae unitae quibus idem Jason Archiepiscopus praestitit aliqua in spiritualibus et temporalibus detrimenta patiantur de Coadiutore idoneo cum futura in dictis Ecclesiis Kiovien. et Halicien. Ritus praedicti successione providere cupientes, Nos post deliberationem quam de praeficiendo seu deputando in Coadiutorem huiusmodi personam utilem ac etiam fructuosam cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus habuimus diligentem, demum ad te qui Ecclesiis Pinscen. et Turovien. hactenus laudabiliter praefuisti, munus consecrationis suscepisti, apud tuas Ecclesias resedisti, solemniter celebrando, Ordinationes habendo, Sacramentum Confirmationis administrando, Ecclesiam Cathedralis et Domum Episcopalem Pinscen. reparasti, Sacrarium suppellectili sacra ornavisti necnon per duodennium officia aliaque episcopalia munia laudabiliter exercuisti, quique Fidem Catholicam iuxta articulos iampridem a Sede Apostolica propositos expresse professus es et pro quo charissimus in Christo filius Stanislaus Augustus, Poloniae Rex Illustris, nobis ad hoc per suas patentes litteras supplicavit direximus oculos nostrae mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis te a quibusvis suspensionis etc. censentes, te iuxta Decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum negociis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per Nos approbatum eidem Jasoni Archiepiscopo in Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione dictarum Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. quoad... ac praedictis Ecclesiis praefuerit in spiritualibus et temporalibus cum plena libera et omnimoda facultate potestate et auctoritate omnia et singula quae ad huiusmodi Coadiutoris officium de iure, usu et consuetudine aut alias quomodolibet spectant et pertinent faciendi, gerendi et ordinandi ac pontificalia munia etc. exercendi, expresso eiusdem Jasonis Archiepiscopi ad hoc accedente consensu de eorumdem etc. providemus teque dictis Ecclesiis Kio-

⁸⁵ Gedeon Horbackyj, Episcopus Pinscensis et Turoviensis (1769-1784), antea iam Coadiutor praedecessoris Georgii Bulhak ab an. 1766, cum tit. Turoviensis.

⁸⁶ Archiepiscopus Kioviensis et Metropolita totius Russiae iam ab anno 1780, confirmatus Bulla de data 23.VI.1781. Cfr. supra.

vien. et Halicien. in Archiepiscopum et Pastorem praefectum esse et fore decernimus curam regimen et administrationem dictarum Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo firma spe fiduciaque conceptis quod dextera Domini etc. incrementa. Quocirca Fraternitati Tuae per Apostolica scripta mandamus etc. merearis. Necnon Venerabilibus fratribus nostris universis Suffraganeis ac dilectis etc. observari. Rogamus quoque et hortamur attente eundem Stanislaum Augustum etc. actio gratiarum. Praeterea ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentiam decentius tenere valeas etc. una cum praedictis Ecclesiis Kiovien. et Halicien. praefatas Ecclesias Pinscen. et Turovien. Ritus praedicti quibus ad praesens praeesse dignosceris ut prius ad nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum retinere et illarum regimen et administrationem tam in spiritualibus, quam temporalibus exercere illarumque fructus, redditus et proventus percipere, exigere, levare ac in tuos usus et utilitatem etiam ut prius convertere libere et licite possis et respective valeas non obstant. quibusvis Apostolicis etc. dispensamus, decernentes propterea Pinscen. et Turovien. praedictas non vacare, irritum quoque et inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Volumus autem quod Pinscen. et Turovien. Ecclesiae praedictae in spiritualibus non defraudantur et in temporalibus detrimentum non substineant, sed earum congrue supportentur onera consueta. Volumus etiam quod tu antequam Coadiutoris officium huiusmodi exercere incipias etc. destinare procures. Nos eidem Antistiti per eandem praesentes committimus etc. recipere curet. Volumus quoque quod tu etiam Coadiutoris officio huiusmodi durante ab alienatione qualibet etc. rationem reddere tenearis. Volumus praeterea quod successioni huiusmodi loco facto tu Archiepiscopalis Ecclesiae ac Domus Archiepiscopalis Kiovien. reparationi pro viribus incumbas conscientiam tuam super his onerando. Forma autem iuramenti quod prestabis haec est: Ego Gedeon Horbacki Episcopus Pinscen. et Turovien. Ritus Graeci Rutheni, Coadiutor datus per Sedem Apostolicam R.ndo in Christo Patri Jasoni Junoska Smogorzewski Archiepiscopo Kiovien. et Halicien. eiusdem Ritus in regimine et administratione praedictarum Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. et futurus illarum Archiepiscopus ab hac hora in antea etc. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Datum Romae apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicae MDCCLXXXI.

834.

Romae, 26 . II . 1782

Cum novo Metropolita Kioviensi Pontifex congratulatur Coadiutoremque ei appromittit.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 179, fol. 134-135.

Venerabili fratri Jasoni, Archiepiscopo Kioviensi et Haliciensii,
totius Russiae Primati⁸⁷.

⁸⁷ Cfr. notam praecedentem.

PIUS PP. VI. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Litteris tuis, die 23 Decembris ad Nos datis, magnopere delectati sumus, Venerabilis frater, cum ex iisdem intelligeremus, quo animo susceperis istius Ecclesiae regimen, quoque ipsum studio sustineas, ut maior inde Dei gloria animarumque utilitas efflorescat Sanctaeque Unionis vinculum magis in dies astringatur. Id ipsum de te nobis amplo testimonio suo comprobavit haec nostra de Propaganda Fide Congregatio, proindeque nostrum confirmavit, auxitque iudicium, quo inducti fuimus, ut ad istam Ecclesiam te transferremus, tibi que etiam, prout petieras, idoneum Adiutorem futurumque Successorem tribueremus. Quae porro subiicis de Polocensis Dioecesis statu, cuius etsi curam dimiseris, amorem tamen ex animo dimittere non potes, quamque nobis diligenter commendas, eadem nostram excitarunt sollicitudinem, quo ipsi iis omnibus quae opportunum videbuntur maxime consulamus. Demum Deum Omnipotentem obsecramus, ut ipsius benignitate maiora in dies ex tua episcopali virtute percipiamus solatia, Apostolicam benedictionem in coelestium munerum incrementum, nostraeque etiam benevolentia pignus tibi, Venerabilis frater, tuaeque fidei commisso gregi peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 23 Februarii MDCCLXXXII, Pontificatus Nostri Anno octavo.

835.

Romae, II . 1782

Michaeli Prymovyč, Praesbitero, conceditur usus Pontificalium modo Archimandritarum Basilianorum.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3972, fol. 21rv.

Dilecto filio Michaeli Prymowicz, Praesbytero rutheno.

PIUS PP. VI. Dilecte fili, salutem etc.

Ex Romani Pontificis et Apostolicae Sedis beneficentia provenire dignum est, ut qui erga illos non exigua fidei, et devotionis signa demonstrant, iidem ab ipso Romano Pontifice, et Sede praedicta honoribus et praerogativis decorentur. Proinde Nos te, qui Praesbyter ruthenus, et Metropolitanus totius Russiae in Ukraina Vicarius in spiritualibus Generalis existis, quique nuper pro egregio tuo catholicae religionis studio summam ducentorum millium florenorum monetae polonicae in substentationem Missionariorum Ritus Rutheni liberaliter contulisti, praemissorum meritorum tuorum intuitu aliquo singulari privilegio prosequi volentes, et a quibusvis etc. censentes, de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum consilio, tibi, ut de Venerabilis fratris moderni, et pro tempore existentis Metropolitanus totius Russiae licentia, in quibuscumque locis Metropoliarum huiusmodi, et intra illius fines tantum, ubi te pro tempore adesse contigerit, Pontificalia iisdem modo, et forma, quibus Archimandritae rutheni ea exercent, pari modo et ad eorum istar exercere libere, et licite valeas, auctoritate Apostolica, tenore praesentium de speciali gratia concedimus, et indulgemus; salva tamen (f. 21v) in praemissis auctoritate Congregationis eo-

rundem Cardinalium. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ac, quatenus opus sit, Metropolitae praedictae etiam etc. consuetudinibus, privilegiis etc. innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores etc. derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, 26 Febr. 1782, Anno 8.

836.

Romae, 13 . VI . 1782

Appellatio a sententia Consistorii Polocensis et Nuntiaturae Varsaviensis. Formula generalis prout sub data 12.VII1760.

ASV, *Brev, Lat.*, vol. 784, fol. 469rv.

Dilectis filiis Francisco Gzowski, Iudici subrogato dioecesis Vilmensis,
Onuphrio Gzowski, Canonico Cathedralis Ecclesiae Vilmensis,
ac Joani Jachimowicz, Iudici subrogato Minscensi.

PIUS PP. VI. Dilecti filii, salutem etc.

Exponi etc. Timotheus Skoryna, Parochus loci Czereja, Polocen. dioecesis, quod intorducta lite seu causa coram Consistorio Generali Polocensi inter ipsum Exponentem ex una et famatos Oppidanos et Parochianos dicti loci Czereja de et super nonnullis falsissimis calumniis et querelis vel alias latius prout in actis causae specificatur in eodem Consistorio non minus nulliter quam iniuste contra praedictum Exponentem iudicatum emersit, quo praedictus Exponens a sua parochiali amotus extitit obstrictusque ad restituendas nonnullas summas pretensive perceptas, a quo sentiens se lesum et gravatum appellationem interposuit ad Tribunal Nunt. Ap. Poloniae, cuius Auditor non minus nulliter quam iniuste praedictum iudicatum approbavit et confirmavit magis magisque idem Exponens lesus et gravatus ad Sedem Apostolicam infra legitima tempora, ut in actis causae appellavit. Ideo etc. quibuscumque.

Datum Romae de speciali mandato Nostro sub Annulo Piscatoris, die XIII Junii MDCCLXXXII, Pont. Nostri Anno octavo.

J. TORSI

837.

Romae, 9 . VII . 1782

Procurator Metropolitae Kioviensis Varsaviensis nominatur Protonotarius Apostolicus.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 3982, fol. 9, nr. 2.

Dilecto filio Michaeli Meleniewski, Praesbitero saeculari rutheno.
PIUS PP. VI. Dilecte fili, salutem etc.

Pastoris aeterni etc. fortiores. Nos itaque te, qui (sicut accepimus) Procurator Metropolitanus in oppido civitate nunc Varsaviae, Posnaniensis Dioe-

cesis, ac Collegii Pontificii Vilmensis Alumnus existis⁸⁸, quique ad expedienda Metropoliae negotia diligentiam omnem et studium conferes, et nostris et huius S. Sedis obsequiis insistere intendis grato affectu prosequi, ac personam tuam dignioris nominis titulo decorare volentes, teque a quibusvis etc. censentes, te in nostrum et dictae Sedis Notarium Apostolica auctoritate, tenore praesentium recipimus, et admittimus, ac aliorum nostrorum et dictae Sedis Notariorum numero et consortio favorabiliter aggregamus. Reliqua ut in formulario.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 9 Julii 1782, Anno 8.

838.

Romae, 23 . VII . 1782

Indulgentia pro Confraternitate Protectionis B. V. Mariae in oppido Mežyrіče, Berestensis Dioecesis.

ASV, Arch. dei Brevi Ap.: Indulg. prep. vol. 68, fol. 352rv.

PIUS PP. VI. Ad perpetuam rei memoriam.

Cum, sicut accepimus, in ecclesia parochiali SS. Apostolorum Petri et Pauli loci Miedzyrzecz, Brestensis Dioecesis⁸⁹, una pia et devota utriusque sexus Christifidelium Confraternitas sub tit. Protectionis nunc. B. M. Virginis (non tamen etc.) canonice erecta existat, cuius Confr. et Cons. quamplurimas consueverunt, Nos ut Confraternitas huiusmodi maiora etc. confisi, omnibus etc. in posterum ingredientur (*cf. supra 19 . VII . 1775*) etc. vel Oratorium die prima mensis Octobris, ac die festo SS. Petri et Pauli Apostolorum, a primis etc. concedimus. Insuper dictis Confratribus etc. reffectis, ecclesiam, seu capellam vel oratorium huiusmodi in Conceptionis et Annuntiationis B. M. V. Immaculatae, nec non SS. Trinitatis et Exaltationis S. Crucis festis diebus, ut supra visitantibus et orantibus, quo die scilicet praedictorum id egerint, septem annos etc. reliqua ut in formulario cum applicatione et revocatione etc.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 23 Julii 1782, Anno 8.

⁸⁸ Michael Melenievskyj, sacerdos saecularis; Ut videtur commorabatur Varsaviae penes ecclesiam Assumptionis B. V. Mariae, fundatam ab ipso Metropolita Jasone Smogorzewskyj an. 1781; fortasse etiam laboribus in exaedificanda hac Residentia invigilabat. Residentia haec temporibus novissimis ad Basilianorum pertinebat Ordinem, ad provinciam nempe Haliciensem SS. Salvatoris.

⁸⁹ Ex indicatione «dioecesis Berestensis» patet agi de ecclesia Ritus Rutheni, quia similis Eparchia Ritus Latini tunc temporis et hodie deest. Eparchia Berestensis Ritus Rutheni Eparchiae Volodimiriensi erat perpetuo invicem unita. Tantummodo sub finem saeculi XVIII Coadiutores Episcoporum Volodimiriensium assumebant hunc titulum. Postea Sedem hanc obtinebat Josaphat Bulhak, antea Coadiutor Pinscensis, qui ab anno 1818 ut Metropolita Kioviensis considerabatur. Obit an. 1838.

839.

Romae, 14 . IX . 1782

*Commendatur novus Abbas Kanioviensis in Ucraina.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 179, fol. 187v-188v.

Dilecto filio, nobili viro, Principi Stanislao Poniatowski.

PIUS PP. VI. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Dilectus filius Bonificius Fizikiewicz, Monachus Basilianus, Ruthenus, cum promotus sit ad Abbatiam de Kaiow (!), quae est in finibus Russiae Moscoviticae, omnino promittit se in hoc novo munere (f. 188) curaturum maxime, ut sua opera ac labore animarum sibi commissarum saluti catholicaeque religioni prodesse possit. Minime dubitare possumus, quin id ex animo polliceatur ac praestare, quantum in se erit, contendat. Sed si huic eius voluntati accesserit, dilecte fili, nobilis vir, qui earum ditionum es Dominus, patrocinium tuum, multo certe inflammator fieri poterit ad ea omnia, quae in eius munere sunt curanda exequendaque. Itaque damus has ad Nobilitatem Tuam litteras a teque summo studio petimus, ut eundem tua ope, subsidio, auctoritate niti velis, qua praesertim Sancta ista Unio contra perpetuos Schismaticorum conatus omnino tecta ac defensa sit. Nihil potius neque convenientius facere tuae animi generositati valeas, nihil quo magis amplifices praeclaram illam, qua te prosequimur existimationem nostram. Nobis ipsis Nos praestitum putabimus quidquid a te erit illi ad expeditiorem prosperioremque sui officii perfuentionem collatum. Hac de tua virtute fiducia freti, Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, nobilis vir, in eximiae nostrae (f. 188v) benevolentiae pignus peramanter impertimur.

Datum Romae etc. die 14 Septembris 1782, Pontificatus Nostri Anno octavo.

840.

Romae, 19 . VII . 1783

*Appellatio et commissio revidendi causam Xaverii Michalowski.*ASV, *Brev. Lat.*, vol. 795, fol. 2rv.

Venerabili fratri Petro Bielanski, Episcopo Leopoliensi
Ritus Graeci uniti, dilectis filiis Antonio Podhajecki,
Archidiacono Ecclesiae Leopoliensis
et Mathiae Pruski, Canonico dictae Ecclesiae Leopoliensis.

PIUS PP. VI. Venerabilis frater ac dilecti filii, salutem etc.

Exponi etc. Xaverius Michalowski, Praepositus ecclesiae parochialis Iampoliensis, quod introducta lite et causa inter ipsum Exponentem ex una et Mathiam Iwanowski et Promotorem fiscalem Luceoriensem partibus ex altera coram Officiali Generali Luceoriensi de et super illius privatione de dicta parochiali ecclesia, idem Officialis Generalis non minus nulliter quam iniuste procedens sententiam protulit definitivam, qua dictum Exponentem de eadem parochiali ecclesia privavit, nec non ad solvendum quatuor mille Marcas no-

tato Iwanowski, et viginti alias Marcus dicto Promotori fiscali condemnavit aliaque intulit gravamina, adversus quae interposita ab Exp. appellatione ad Tribunal Nunt. Ap. Poloniae, auditor eiusdem Tribunalis pari nullitate et iniustitia procedens praedictam sententiam in puncto privationis Exponentis de dicta parochiali ecclesia et solutionis Marcarum confirmavit, ab hisce sententiis idem Exponens sentiens se valde lesum et gravatum denuo ad Sedem Apostolicam appellavit. Ideo nobis humiliter etc. (*prout sub data 12.VI.1760*) ...contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XIX Julii MDCCLXXXII, Pont. Nostri Anno nono.

J. TORSI

841.

Romae. 30 . III . 1784

Coadiutoria Ecclesiae Luceoriensis in persona Michaelis Stadnicki OSBM.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 4020, fol. 39-46.
DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 284-286, nr. 47.

Dilecto filio Michaeli Stadnicki, monaco expresse professo Ordinis Sancti Basilii Magni⁹⁰.

PIUS PP. VI. Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Romanus Pontifex in potestatis plenitudine a coelesti Pastore constitutus, etc. proficiant incrementis.

Cum itaque Ven. frater Cyprianus⁹¹, Ecclesiarum Luceoriensis et Ostrogiensis. invicem perpetuo canonice unitarum, Episcopus ruthenus ob graves causas felicem Ecclesiarum administrationem respicientes cupiat sibi de idoneo Coadiutore in spiritualibus et temporalibus provideri, Nos eisdem Ecclesiis, cum vacaverint, ne interim ullis exponantur incommodis, paterno studio providere cupientes, post deliberationem, quam ea super re cum Venn. fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis habuimus diligentem, demum ad te in sacro presbyteratus ordine et aetate legitima constitutum, ac de legitimo matrimonio procreatum, qui, prout ex legitimis constat documentis, in Ordine monachorum S. Basilii Magni regularem professionem, iuxta decretum dictae Congregationis, die VII Aprilis anni mox elapsi MDCCLXXXIII desuper editum, emisisti, atque ad Ritus Ruthenum transiisti, et cui apud Nos de vitae munditia, honestate morum, temporalium providentia et spiritualium circumspectione, aliisque multiplicum virtutum donis fide digna testimonia perhibentur, direximus oculos nostrae mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis, te a quibusvis etc. censentes, memorato Cypriano Episcopo, quoad vixerit dictisque Ecclesiis

⁹⁰ Stadnickyj Michael, antea Ritus Latini sacerdos, qui transit ad Ritus Ruthenum et professionem fecit in Ordine Basiliano. Cypriano Steckyj, Ep. Luceoriensi in Coadiutorem cum futura successione datus, mox Coadiuto in Sede successit (1787). Sed necessum fuit etiam ipsi Coadiutorem assignare in persona Stephani Lewinskyj. M. Stadnickyj obiit an. 1793. Anno vero 1795 Catharina II Eparchiam hanc suppressit, eiusque ultimo Episcopo Stephano Lewinskyj pensionem annum assignavit. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.* vol. II, p. 713.

⁹¹ Cyprianus Steckyj, Episcopus Luceoriensis (1778-1786).

praefuerit in Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione earundem Ecclesiarum Luceoriensis et Ostrogiensis in spiritualibus et temporalibus, assumpto interim titulo ecclesiae Ostrogiensis huiusmodi, cum plena, libera et omnimoda facultate et auctoritate omnia et singula, quae ad huiusmodi Coadiutoris officium de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet pertinent, etiam in iis, quae sunt ordinis et officii pontificalis faciendi, gerendi, procurandi, exequendi et exercendi; ita tamen ut, durante huiusmodi Coadiutoris officio, tu nisi quando et pro tempore, quo dictus Cyprianus Episcopus voluerit et expresse permiserit, te in regimine ac administratione spiritualium et temporalium dictarum Ecclesiarum, illarumque mensarum episcopalium, bonorum, fructuum, reddituum, proventuum, iurium, obventionum et emolumentorum quovis modo seu quaesito colore per te vel alium seu alios interponere nequeas, ipsius Cypriani Episcopi accedente consensu, de fratrum eorundem consilio, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, constituimus et deputamus.

Nec non, cedente vel decedente eodem Cypriano Episcopo, seu regimini et administrationi dictarum Ecclesiarum quomodolibet praeesse desinente, et illis quovis modo vacantibus, etiamsi tempore vacationis huiusmodi dictum Coadiutoris officium exercere non inceperis, et per te steterit quominus illud exercueris, ex nunc prout ex tunc et e contra, de eadem persona tua Ecclesiis Luceoriensi et Ostrogiensi praedictis auctoritate et tenore similibus providemus, teque illis pariter in Episcopum praeficimus et pastorem, ac de persona tua eis praefectum fore decernimus, curam, regimen et administrationem earundem Ecclesiarum tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie similiter committendo.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus apostolicis etc. innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum tenores praesentibus etc. contrariis quibuscumque, firma spe fiduciaequae conceptis... incrementa.

Volumus autem, ut ab alienatione qualibet bonorum immobilium et pretiosiorum mobilium dictarum mensarum episcopalium te penitus abstineas, ac de gestis et administratis per te, Coadiutoris officio huiusmodi durante, rationem etc. consequi merearis. Nec non dilectis filiis Capitulo et Vassallis etc. inviolabiliter observari.

Datum Romae, apud S. Petrum, sub annulo Piscat. die XXX Martii MDCCLXXXIV, Pontificatus Nostri Anno X.

842.

Romae, 13 . VII . 1784

Auctoritate Apostolica confirmatur Decretum S. C. de Prop. Fide de cruce aurea gestanda a sacerdotibus saecularibus benemeritis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 4028, fol. 1, nr. 2.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 288-290, nr. 49.

Akty izdavajemyje..., vol. XVI, p. 252-254, nr. 192.

PIUS PP. VI. Ad perpetuam rei memoriam.

Cum certum sit pro Omnipotenti Deo laborantibus ineffabilia aeterni Regni praemia reservari, nobis tamen eis necesse est honorum et gratiarum

beneficia tribuere, ut in spiritualis operis studio ex remuneratione valeant multiplicius insudare, et quia Venerabilis frater Jason, Archiepiscopus Kioviensis et Hallicensis, totius Russiae Metropolitanus, unversi etiam Cleri saecularis Graeco-Rutheni nomine exponi nobis nuper fecit, quod ad excitandam augendamque ipsius Cleri saecularis pro catholica religione sollicitudinem, ac vigilantiam illosque una iungendos compage summopere conferret, si iis, qui inter caeteros in Vinea Sabaoth uberiores fructus proferre satagunt aliquod signum ex speciali dono gratiae concederemus, Nos, cui ex debito Apostolici Ministerii humilitati nostrae concrediti officio maxime cordi est, christianam fidem, sic Domino largiente, quotidie in populis extendere (f. 1v) ac Christifidelium, praecipue vero illorum qui in sortem Domini fuerunt vocati zelum multiplicare, ut votis etiam nobis hisce desuper a carissimo in Christo filio nostro Stanislao Augusto, Poloniae Rege Illustri, porrectis annueremus, preces praesentes Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide remisimus; qui ad relationem dilecti filii Magistri Stephani Borgia, eiusdem Congregationis Secretarii, decretum a nobis approbatum tulerunt tenoris, qui sequitur: Ab eo usque tempore, quo inclityta Ruthenorum Natio sub s. m. Clemente PP. VIII, divino aspirante Numine rediit ad petram fidei, supra quam aedificata est Ecclesia, et cum Romano Pontifice Beati Petri Apostolorum Principis Successore, christianorum omnium patre ac Magistro, tamquam cum ecclesiasticae unitatis centro communi fidei, et charitatis vinculo coniuncta est, mirum quantum catholica fides laetiores ubique fructus in Ruthenorum regionibus reportaverit, et quantum pacis, atque unionis nexus ex hac vera sinceraque membrorum cum suo capite compactione firmior, ac validior evaserit. Quamobrem cum nuper R.P.D. Jason Junosza Smogorzewski, Archiepiscopus Kioviensis et Halli-ciensis, totius Russiae Metropolitanus, unversi Cleri saecularis Graeco-Rutheni nomine SS.mo Domino Nostro Pio PP. VI, accedentibus etiam Serenissimi Stanislai, Poloniae Regis, officiis, ac commendationibus, humili obsecratione supplicaverint, ut sacerdotes ex saeculari Clero, qui in Vinea Domini ardentius collaborant, ac de Unione catholica magis benemerentur, una quadam societatis compage colligare, et aliquo pontificiae benignitatis monumento insignire dignaretur, ad Nos acrius etiam ad tam pium opus coniunctis insimul studiis promovendum incitandos, cumque Sanctitas Sua huiusmodi preces ad S. Congregationem Propagandae Fidei rebus praepositam commisit,

Eadem Sacra Congregatio, ad relationem super praemissis factam per R.P.D. Stephanum Borgia, Secretarium⁹², secum animo perpendens id, quod S. Gregorius Magnus Syagrio Augusthodunensi Episcopo scribebat, cum scilicet qui in praedicatione, et opera sollicitum, devotum adiutoremque in omnibus Augustino ad Anglorum conversionem misso, fuisse cognoverat, dignum esse, cui exterioris quoque habitus honorem deferret, censuit Apostolica auctoritate eidem Jasoni totius Russiae Metropolitanus eiusque in eadem Metropolia Successoribus, concedendam esse facultatem ornandi cruce aurea triginta Praesbyteros ex Clero saeculari Graeco-Rutheni Ritus uniti, qui huiusmodi ornamentum semper, et quandocumque in omnibus, et quibuscumque

⁹² Stephanus Borgia, Secretarius S. C. de Prop. Fide (1770-1789).

actibus, congressibus et congregationibus publicis et privatis in ecclesia vel extra, et coram quibuscumque personis qualibet dignitate ecclesiastica vel saeculari fulgentibus, ad collum appensam gestare possint, et valeant.

Crucis autem forma erit octogona instar Melitensis encausto caerulei coloris oblita, in eius anteriore orbiculo erit depicta vel insculpta S.R.E. imago, in posteriori vero SS.Petri et Pauli Apostolorum, ut sic cunctis pateat hanc honoris accessionem ex illius Sedis benedictione, et gratia prodire, quae ab iis, qui illiam gestabunt ampliores in Sancta Catholica Unione progressus sibi pollicetur. Supra imaginem ecclesiae erit insculptum stemma regium, quoniam iamdudum Poloniae Reges, atque hodie tum Serenissimus Rex Stanislaus pro suo eximio pietatis, ac religionis studio Sanctam Unionem fovet, suoque patrocinio tuetur.

Hoc autem crucis ornamentum seu distinctorium ex delegata Apostolica auctoritate, non ab alio, quam a Metropolitano conferatur, ea tamen lege, ut in singulis Episcoporum Ruthenorum Dioecesibus tria semper distinctoria tribus ecclesiasticis viris uniuscuiusque Dioecesis ab Episcopo eidem Metropolitano praesentandis, conferantur ad hoc, ut huiusmodi honoris premium, ac laboris incitamentum in singulis quibusque Dioecesibus tribus viris semper largiatur unoque sublato, alter a dioecesano Episcopo Metropolitano praesentetur, qui si illum spectatae virtutis ac meritorum preconio commendatum comperit, eadem cruce seu distinctorio ornare non recusat. Reliquas vero cruces, ac distinctoria idem Metropolitanus dignioribus Praesbyteris Mertopolitanae Dioecesis ad sui arbitrium indulgere poterit.

Merita vero ac requisita quorum potissimum ratio, tam a Metropolitano quam ab Episcopis in iis designandis, qui hac cruce ornandi erunt, habenda erit, sint huiusmodi: sacerdotalis ordo, institutio ac saedula studiorum opera in Pontificiis Seminariis impensa, Commentaria ac libri in lucem editi pro catholicae religionis incremento, patriae missiones, ac sacra Catechesis cum laude peracta ac Sancta Unio magis propagata, Seminariorum regimen, servitium in paroeciis, atque in Episcoporum Curiis praestitum. Demum natalium nobilitas, seu saltem honestas, ac, si fieri poterit, gradus aliquis in Universitatibus assequutus.

Ne autem hoc crucis, ac distinctorii ornamentum solam superfluae elationis pompam praeseferat, quemadmodum idem S. Gregorius aiebat, sed potius sit devotionis indicium erga Apostolorum Principem, Pastorem ac Nutritorem nostrum eiusque Apostolicam Cathedram, ad quam propter eius potentio rem principalitatem omnem necesse est convenire Ecclesiam, atque eos, qui undique sunt fideles, eadem S. Congregatio iussit Praesbyteros his gloriae et splendoris insignibus decorandos a Metropolitano, atque etiam ab aliis Episcopis monendos, ut in sanctis operibus, ac praesertim in tuenda atque amplificanda Catholica Unione perseverent, et si ex merito actionum suarum hoc laudis testimonium ab Apostolica Sede sunt adepti, novis laborum, ac virtutum accessionibus videantur collato sic honori cumulatissime respondere. Nam ut idem S. Gregorius prosequitur, cum honoris augmento cura quoque sollicitudinis debere excrescere, ut cultui vestitum, actioni quoque ornamenta convenient; oportet ut enixius in cunctis se studiis vestra Fraternalitas exerceat. Circa Subiectorum actus sit cura vigilans, vestrum il-

lis exemplum, instructio, et vita Magistra sit, linguae vestrae exhortatione discant, quod metuant, et doceantur, quod diligant.

Ut vero ad haec persequenda acrius inflammentur, et ad externum honoris insigne internum ac spirituale aliquod animarum lucrum adiciatur, decrevit pariter Sacra Congregatio supplicandum esse Sanctissimo, ut Praesbyteris illis, quos Metropolitanus et Episcopi deferendae crucis honore dignos iudicabunt, altaris privilegiati personalis gratiam bis in hebdomada elargiatur ac praeterea ut plenariam suorum peccatorum indulgentiam quottannis in die festi Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, atque etiam in eiusdem festi octavo die, demumque ut in eorum mortis articulo plenariam pariter suorum peccatorum indulgentiam consequi possint, ex Apostolica benignitate concedere dignemur.

Hoc autem Sacrae Congregationis Decretum SS.mo Domino Nostro Pio Papae VI relatum in audientia habita per eundem R.P.D. Stephanum Borgia, Secretarium, die 13 Junii 1784, Sanctitas Sua in omnibus adprobavit, et per Apostolica in forma Brevis literas auctoritatis suae robur adiciendum esse mandavit.

Datum ex Aedibus dictae Sacrae Congregationis die 19 Junii 1784. (L.S.).
L. Card. Antonellus, Praefectus. Stephanus Borgia, Secretarius.

Cum autem memorati Exponentes praeinsertum decretum pro firmiori illius subsistentia et observatione Apostolicae confirmationis nostrae patrocinio communitate summo desiderarent, Nos ipsos Exponentes specialibus etc. volentes, et eorum singulares personas a quibusvis etc. censentes, supplicationibus eorum nomine etc. inclinati, decretum praeinsertum auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, illicque inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adiciemus (f. 6), salva tamen semper in praemissis auctoritate memoratae Congregationis Cardinalium. Decernentes easdem praesentes litteras firmas etc. observari. Sicque in praemissis per quoscumque Iudices etc. attentari. Non obstantibus etc. innovatis. Quibus omnibus et singulis illorum etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 13 Julii 1784, Anno 10.

843.

Romae, 21 . VIII . 1784

Metropolitae Kioviensi commendatur novus Nuntius Varsaviensis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 180, fol. 211v-212v.

Venerabili fratri Jasoni, Archiepiscopo Kioviensi, Haliciensi,
et Polocensi, totius Russiae Primati.

PIUS PP. VI. Venerabilis frater, salutem etc.

Mittimus isthuc Venerabilem fratrem Ferdinandum, Archiepiscopum Carthaginensem⁹³, ad obeundum apud carissimum in Christo filium nostrum

⁹³ Ferdinandus Maria Saluzzi, Nuntius Varsaviensis (1784-1794).

Stanislaum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, et inclytam vestram Republicam nostri et Apostolicae Sedis ordinarii Nuntii munus. Eidem propterea fidem a te in omnibus praestavi cupimus, ac si Nos ipsos coram loquentes audires. Ille vero praecipue aget, quae a nobis diligenter mandata sunt, ut nimirum quae ad religionis catholicae statum istic pertinent, summa ope, studio, prudentia adhibita ex nostra, vestrumque omnium sententia procedant. Certi plane sumus, ipsum haec praeclare gesturum esse, cum ingenio, pietate, rerum usu, consiliique vi sit instructissimus. Tanta igitur ad praeclari generis splendorem virtutis adiungentem decora proque istius Ecclesiae rationibus laborantem, quin adiuncturus ipse sis, Venerabilis frater, etsi minime dubitamus, pro nostro tamen munere hortamur, ut quantum ab episcopali dignitate requiritur, tua animi fortitudine, constantiaque pro Dei gloria, pro fidei integritate, pro universo Nationis bono contendas. Et Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuae in egregiae pontificiae voluntatis pignus peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 21 Augusti 1748, Pontificatus Nostri Anno decimo.

Eodem exemplo Episcopo Luceoriensi, Samogitiensi, Camenecensi, Vilnensi, Kelmensi, Livoniensi, Smolescensi, Plocensi, Culmensi, Cuiaviensi, Varmiensi, Posnaniensi, Supremo Regni Poloniae Cancellario.

844.

Romae, 11 . IV . 1785

Bulla Coadiutoriae Metropolitae Kioviensis in persona Theodosii Rostockyj, Ep. Chelmensis, cum iure successionis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 4377, fol. 153-160v.

APF, *Scritt. rif. n. Congressi Moscovia etc.*, vol. 15, fol. 495-499.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Theodosio Rostocki⁹⁴, Electo Chelmen. Ritus Graeci Rutheni S.R.E. Uniti, salutem et Apostolicam benedictionem.

Romanus Pontifex in potestatis plenitudine etc. incrementis. Nunc Venerabili fratri Jasoni Junoska Smogorzewski moderno Archiepiscopo Kiovien. et Halicien. Ecclesiarum Ritus Graeci Rutheni S.R.E. uniti ob eius ingraescentem aetatem et adversam valetudinem ad episcopalia aliaque pastoralia munia obeunda ea qua par est sedulitate atque alacritate ope aliqua indigenti ne Ecclesiae Kiovien. et Halicien. Ritus Graeci Rutheni praedicti perpetuo canonice unitae, quibus idem Jason Archiepiscopus praestet aliqua in spiritualibus et temporalis detrimenta patiantur de Coadiutore idoneo cum futura tamen in dictis Ecclesiis Kiovien. et Halicien. Ritus praedicti successione providere cupientes. Nos post deliberationem etc. demum ad te Mona-

⁹⁴ Theodosius Rostockyj, Basilianus, filius Casimiri et Annae; natus an. 1724 (vel. 1728), Alumnus Collegii Graecorum in Urbe ab anno 1750, ubi et ordinatus sacerdos anno circiter 1760. Chronica Coll. Graecorum de Urbe, nr. 13: *Catalogo...*

chum Ordinis S. Basilii Magni expresse professum ex catholicis nobilibus ac legitimis Parentibus in Dioec. Vilnen. procreatum in quinquagesimo septimo tuae aetatis, et a viginti quatuor annis et ultra in sacro Presbyteratus ordine constitutum et Sacrae Theologiae magistrum, qui in dioecesis monasterii praedicti Ordinis eiusdem Theologiae Lectoris, Confessarii, Secretarii, Rectoris, Administratoris, Visitoris et ab octennio usque ab praedictis Provincialis munia cum probitate ac doctrina explevisti nec non in praesentiarum Ecclesiae Chelmen. dicti Ritus in Episcopum delectum fuisti, optimis quoque moribus imbutum rerumque experientia praeditum et in ecclesiasticis functionibus recte versatum, quique fidem catholicam etc., censentes, te iuxta Decretum in Congregatione eorumdem fratrum nostrorum negotiis de Propaganda Fide praepositorum emanatum et per Nos approbatum eidem Theodosio electo Episcopo Chelmen. qui in Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine dictarum Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. nec non eis uniti Archimandritatus Kiovo-Peczaren. quoad vixerit ac praedictis Ecclesiis praefuerit in spiritualibus et temporalibus cum plena libera et omnimoda potestate facultate et auctoritate omnia et singula etc., providemus teque dictis Ecclesiis Kiovien. et Halicien. in Archiepiscopum et Pastorem praefectum esse et fore decernimus curam regimen et administrationem dictarum Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo firma spe fiduciaque conceptis etc., consequi merearis. Nec non Venerabilibus fratribus nostris universis Suffraganeis ac dilectis filiis etc., inviolabiliter observari. Rogamus quoque et hortamur attente eundem Stanislaum Augustum etc., praedictam Ecclesiam Chelmen. Ritus praedicti, cui ad praesens praeesse dignosceris, ut prius ad nostrum tamen et Sedis Apostolicae beneplacitum retinere et illius regimen et administrationem tam in spiritualibus quam temporalibus exercere, fructus, redditus et proventus percipere, exigere, levare et in tuos usus et utilitatem etiam ut prius convertete libere et licite possis et respective valeas, non obstant. quibusvis apostolicis etc. dispensamus, decernentes propterea Chelmen. Ecclesiam praedictam non vacare, irritum quoque et inane si secus etc. onera consueta. Volumus etiam quod tu antequam Coadiutoris officium huiusmodi exercere incipias etc. recipere curet. Volumus quoque quod tu etiam Coadiutoris officio huiusmodi durante ab alienatione qualibet bonorum etc. rationem reddere tenearis. Volumus praeterea quod successioni huiusmodi loco facto praedicta Ecclesia Chelmen. vacet et ipse quoque domus archiepiscopalis reparationi pro viribus incumbas, sacrarium suppellectilibus sacris ad Divina peragenda et ad pontificalia exercenda sufficienter instruas ac Seminario provideas pro alendis Alumnis, conscientiam tuam super his onerando.

Forma autem iuramenti quod praestabis talis est: Ego Theodosius Rostocki, Electus Ecclesiae Chelmen., Ritus Graeci Rutheni Coadiutor datus per Sedem Apostolicam Reverendo in Christo Patri Jasoni Junoska Smogorzewski, Archiepiscopo Kiovien. et Halicien. Ritus Rutheni praedicti in regimine et administratione praedictarum Ecclesiarum Kiovien. et Halicien. et futurus illarum Archiepiscopus ab hac hora in antea fidelis et obediens ero Beato Petro etc.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Domini Millesimo septingentesimo octuagesimo quinto, tertio Idus Aprilis, Anno undecimo.

845.

Romae, 23 . VII . 1785

*Commendantur Regi Poloniae res Unionis.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 181, fol. 124v-127.DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 299-300, nr. 55.

Carissimo in Christo filio nostro Stanislao Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

PIUS PP. VI. Carissime in Christo fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quoties aliqua religionis causa ad scribendum Maiestati Tuae Nos inducit, mirifica alacritate id aggredimur muneris, nam tum vel ob eximia iam a te inita tuae pietatis merita agenda nobis sunt gratiae vel virtuti tuae suppeditandae novae benemerendi opportunitates. Utriusque in praesentia argumenti habemus copiam; nam primum immortales tibi gratias persolvimus, quod nostrae de Propaganda Fide Congregationi, nobismetipsis scilicet et Apostolicae Sedi dono dederis amplam cum horto domum in urbe Camenecensi, in qua domo Pontificium Ruthenorum et Armenorum Collegium illi, qui iam Leopoli erat, substituatur⁹⁵. Quod tam illustre pleneque beneficium tuae virtuti ac religioni acceptum omnino referimus, ac in Nos ad caetera cumulatam agnoscimus, Deumque O. M. precamur, ut ob ista a te profecta suae gloriae incrementa uberes velit in te tuumque regnum verae felicitatis fructus profundere.

Post hoc nostrae gratissimae voluntatis officium, alteram huius epistolae partem suscipimus, tecumque sollicitudinem nostram communicantes, te ad nova pro re catholica studia novasque tibi comparandas laudes advocamus. Vehementer enim Nos quidam allatus huc rumor perterruit, futurum, ut novus Episcopus Perejaslaviensis graecus non unitus, non iam Pereiaslaviae sedem suam sit fixurus, ut praedecessores sui fecerant, sed Slukii⁹⁶, qui locus est in tuo regno, in Lithuania scilicet, a nobilem familiam Radziwilliensem pertinens, idque eo obtentu, ut facilius nimirum commodiusque possit iurisdictionem suam in monasteria omnia ecclesiasque non unitas tam in Lithuania quam in Polonia exercere. Si hoc illi consilium succederet, quis non videt, quanta inde pericula, quae perturbatio in Unitorum religione existeret, ut foverentur errores, ut schisma suas latius radices diffunderet, atque illa publica omnis

⁹⁵ Collegium Pontificium Armenorum et Ruthenorum Leopoliense inde ab anno 1665-1666, fundatum a P. Galano, Teatino. Ab initio saec. XVIII etiam Alumni rutheni ibi studiis vocabant. Cfr. G. PERROWICZ, *L'unione degli Armeni di Polonia con la Santa Sede* (1626-1686), Romae 1950.

⁹⁶ Sluck, oppidum in Volhinia, ad flumen Sluč. Fundatum temporibus Principatus Kioviensis. Prima vice commemoratur anno 1116 in Annalibus. Saeculo XVIII centrum spirituale non Unitorum in Regno Poloniae et Lithuaniae. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 23, p. 688-693. Revera Eparchia Perejaslaviensis erat confirmata decreto imperiali de data 27.III.1785. Sed iam anno sequenti tota Ucraina subdivisa est in tres Eparchias: Kioviensem, Cernyhiensem et Novhorod-Severiensem. Inde Episcopus Perejaslaviensis devenit potius Coadiutor Eparchiae Kioviensis. Anno 1785 Episcopus Perejaslaviensis erat Victor Sadkovskyj, et simul Coadiutor Kioviensis; antea Archimandrita Slucensis, et caput omnium non Unitorum in Regno Poloniae. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 3, p. 659-660.

fidelium regnique tranquillitas everteretur? Quid enim non timendum foret a turbulentis Dissidentium animis, statim ac illi praecipuum aliquod essent sortiti caput, cuius ductu ac praesidio palam ac libere possent antiqua in nostros odia effundere; ac illud renovare funestissimum in Polonia exemplum, cum Augustus II. Rex eisdem erectionem novi Luceoriae episcopatus inconsulte permisisset? Cum haec ad te delata res fuisset, scimus planeque laetamur, carissime in Christo fili noster, qui tui sensus fuerint, quam expressa tuendae religionis studia, ut proinde nihil sub te Re formidandum nobis esse videatur. Acquiescimus nos certe religioni ac sapientiae tuae, planeque memoria retinemus, quid ipsa iam ab anno MDCCLXXV Nuncio nostro promiseris, nunquam scilicet te passurum, ut in regno tuo novus Schismaticis episcopatus concederetur. Sed ut in Tuam Maiestatem intuentes erigimur animo ac recreamur, ita cum ad haec adversissima tempora convertimur, non possumus in gravissima hac re aliquo timore non permoveri. Hunc igitur in sinum tuum effundimus, tecum quanta maxima valemus animi nostri contentione precamur, ne permittas ut ille graecus non unitus Episcopus propius accedat, ac in tui regni ditione sedem statuatur, unde periculum formidari posset plurimorum a Sancta Unione per eiusdem praesentis studia conatusque avertendorum.

Ad has tecum partes peragendas, etsi Nos Apostolicum, quod sustinemus, munus atque ipsa praedecessorum nostrorum exempla simili in re posita excitarint, ac praesertim repetitae Clementis XI ad Augustum II, Poloniae Regem, literae studiosissime cum illo agentes, ne schismaticus Episcopus in Luceoriensem Ecclesiam graeco-unitam intruderetur; tamen maiorem in modum apud Nos valuit singularis virtutis religionisque tuae insita animo nostro existimatio, semperque novis tuarum laudum monumentis confirmata. Proinde in maximam erigemur fiduciam, positum in tua animi magnitudine esse certissimum orthodoxae fidei publicaeque tranquillitatis praesidium ac tutamen. Deum Omnipotentem precamur, ut regis consiliis et conatibus tuis adsit, suaeque sapientiae et fortitudinis spiritu te pro ipsius gloria laborantem sustentet et roboret. Ac in coelestium munerum auspiciis, summique in te amoris nostri pignus, Apostolicam benedictionem regiae Maiestati Tuae intimo paterni animi sensu amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXIII Iulii MDCCLXXXV, Pontificatus Nostri Anno XI.

846.

Romae, 26 . IV . 1786

Conceditur indulgentia pro ecclesia S. Praxedis in Kudryče, Pinscensis Dioecesis.

ASV, *Arch. dei Brevi Ap.: Ind. perp.*, vol. 84, fol. 102rv.

PIUS PP. VI. Ad perpetuam rei memoriam.

Ad augendam etc. intenti, omnibus etc. relictis, qui ecclesiam Sanctae Praxedis Virginis et Martyris, villae Kudrycze, filialem parochialis ecclesiae Ostrovincensis, Pinscensis Dioecesis, in eiusdem S. Praxedis Virginis et Marty-

ris ac Transfigurationis D.N. Jesu Christi festis diebus, et Josaphat Archiepiscopi et Martyris, a primis etc. effunderint, quo die etc. plenariam etc. concedimus. In contrarium etc. quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, 26 Aprilis 1786, Anno XII.

847.

Romae, 26 . VIII . 1786

Gratiae diversae conceduntur ecclesiae parochiali Siehnievicensi in Eparchia Berestensi.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 182, fol. 110rv.

Dilecto filio, nobili, viro, Josepho Prozor, Palatino Vitebscensi.

PIUS PP. VI. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Ex coniunctis litteris nostris intelliges, dilecte fili, nobilis vir, quantam postulorum tuorum rationem habuerimus, cum in iis tibi, quaecumque pro renovata Parochiali Siehnievicensi ecclesia ad pietatem in ea magis magisque promovenda exoptaveras, liberaliter concessissemus. Ad te nunc pertinet, ut easdem nostras litteras Ordinario exhibeas pro publicatione. Eae Apostolicae Sedis gratiae ut tibi praecipue pro tuo religionis studio salutare esse possint, a Deo Opt. Max. poscimus ac precamur, ac in amplius paternae benevolentiae nostrae testimonium Apostolicam benedictionem Nobilitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 26 Augusti 1786, Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

848.

Romae, 26 . VIII . 1786

Conceditur indulgentia pro ecclesia parochiali Siehnievicensi in dioecesi Berestensi.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 182, fol. 111-112.

PIUS PP. VI. Ad perpetuam rei memoriam.

Cum exposuit nobis dilectus filius, nobilis vir, Joseph Prozor Palatinus Vitebscensis, ecclesiam parochialem Siehnievicensem, Dioecesis Brestensis⁹⁷, quae antea lignea, desolata, et vetustate temporis attrita, sub titulo Patrocinii B.M.V. meliorem in formam e lapide extruere se curasse, valdeque idcirco supplicasset, ut ad maiorem Omnipotentis Dei laudem fide-

⁹⁷ Agitur de ecclesia Ritus Rutheni, quia sita in dioecesi Berestensi. Cfr. supra, nota 89.

liumque utilitatem eadem adhuc magis Apostolicae huius Sedis gratiis decoraretur; Nos ipsius eiusmodi meritis pietatisque propensi, suaque paterno animo excipientes vota, minime dubitamus eandem novam ecclesiam potioribus ab ipsa nempe religione petitis ornamentis illustriorem reddere ac frequentiore. Itaque quemadmodum ipse postulavit a nobis, omnibus et singulis utriusque sexus fidelibus, qui vere paenitentes, et confessi, ac Sacra Communione refecti illam parochialem ecclesiam devote visitaverint tribus per annum infrascriptis diebus, nimirum ipso titulari festo Patrocinii B. Mariae Virginis, S. Annae Matris Deiparae, et S. Antonii de Padua, ibique pro Christianorum Principum concordia, haeresum extirpatione, ac Matris Ecclesiae exaltatione, pias ad Deum preces fuderint, plenariam indulgentiam Apostolica auctoritate per hasce nostras in forma Brevis litteris in perpetuum concedimus, ac impertimur. Praeterea tenore praesentium in eadem ecclesia Altare S. Annae in privilegiatum perpetuo constituimus, atque indulgemus, ut quaelibet Missa in eodem quavis die celebranda a quocumque Sacerdote, qui cum applicaverit pro defuncti Christifidelis anima, quae Deo in caritate coniuncta ab hac luce migraverit, eidem animae per Domini Nostri Jesu Christi, ac B.V. Mariae, Sanctorumque Omnium merita ad liberationem a Purgatorii poenis suffragetur. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 26 Augusti 1786, Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

849.

Romae, 2 . IX . 1786

Commendatur Vicarius Generalis Ordinis Basiliani ipseque Ordo in proximis Comitibus Regni defendendus.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 182, fol. 113v-115.

Akty izdavajemyje..., vol. XVI, p. 248-249, rv.185.

Carissimo in Christo filio nostro Stanislao Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

PIUS PP. VI. Carissime etc.

Etsi litteris nostris die 19 Augusti datis obsecraverimus Regiam Maestatem Tuam, ne quid in proximis sui Regni Comitibus fieri, ex quo ullum catholica res detrimentum percipere posset, tamen nunc minime praetermittendum duximus novas hasce pro singulari re tibi accuratissime commendanda litteras adiungere. Scripsit ad Nos dilectus filius Hierotheus Korczynski⁹⁸, Ordinis S. Basilii Congregationis Ruthenorum Vicarius Generalis, se valde vereri, ne in ipsis Regni Comitibus sua Congregatio multorum invidiae iam exposita prorsus concidat, et obruatur; atque idcirco ad paternam nos-

⁹⁸ Hieroteus Korczynskyj, Basilianus, Alumnus olim Pont. Coll. de Prop. Fide (an. 1760), et dein Procurator generalis in Urbe (1772-1780). Post mortem Protoarchimandri-tae Josephi Morhulec (1780-1786), Vicarius Generalis Ordinis (1786-1788).

tram pietatem confungit, a nobisque implorat, ut, quanta possumus, interponamus apud Te officia, quibus sibi, suisque regium tuae auctoritatis praesidium comparetur. Nos cum eandem Congregationem pro suo Sanctae Unionis studio plurima benevolentia prosequamur, valdeque cupiamus, ut in suo statu tuta pergat incolumisque subsistere, non dubitamus, eiusdem a nobis suscipiendum esse patrocinium, praesertim apud te, Carissime in Christo fili noster, cuius animum semper experti sumus ad nostras sublevandas sollicitudines, sustinendasque religionis rationes omnes paratissimum. Itaque eadem, quam semper de te praetulimus, fiducia, Maiestatem nunc Tuam precamur, ut, qua soles, animi tui magnitudine non permittas illam Ruthenorum Congregationem in futuris Comitii adversantium odiis succumbere, sed tuo potenti fulcias, ac tuearis auxilio, quo ipsa facile agnoscat suam se incolumitatem religioni tuae, ac nostris hisce apud te precibus commendationique debere. Non mediocre accedat inde ad cetera tua de Ecclesia, deque nobis ipsis merita argumentum, pro quo gratissimam iam nunc exhibentes voluntatem nostram Regiae Maiestati Tuae Apostolicam benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae etc., die 2 Septembris 1786, Pontificatus Nostri Anno XII.

850.

Romae, 2 . IX . 1786

Idem Vicarius Generalis idemque Ordo Basilianus commendatur etiam Archiepiscopo Gnesnensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 182, fol. 115-116v.

Venerabili fratri Michaeli, Archiepiscopo Gnesnensi⁹⁹.

PIUS PP. VI. Venerabilis frater, salutem etc.

Scriptis ad Nos dilectus filius Hierotheus Korczynski, Ordinis S. Basilii Congregationis Ruthenorum Vicarius Generalis, valde se vereri, ne in proximis istius Regni Comitii sua Congregatio multorum invidiae iam exposita prorsus concidat et obruatur; atque idcirco ad paternam nostram pietatem confugit, a nobisque implorat, ut quanta possumus interponamus et apud religiosissimum Regem, et apud te, Venerabilis frater, officia nostra, quibus validum sibi suisque in tanto discrimine constitutis praesidium comparetur. Nos, etsi alias nostras ad te die 19 Augusti litteras dederimus, quibus tibi universum religionis, Ecclesiaeque res in ipsis Comitii sustinendas maiorem in modum commendavimus, tamen minime praetereundum duximus his ipsis litteris renovare apud te studia nostra pro peculiari hac re, quae ad Ecclesiae rationes pertinet; cum praesertim de eius Congregationis agatur statu, quae Sanctae Unioni semper profuit, quaeque merita a nobis est, ut Apostolicae Sedis patrocinium, opemque praesto ipsi faciamus. Ad ipsum

⁹⁹ Michael Poniatowski, Archiepiscopus Gnesnensis et Primas Poloniae (1784-1794), frater Regis Poloniae Stanislai. Antea Ep. Polocensis, et Administrator Cracoviensis (1782-1784).

nunc scribimus Regem, eumque precamur, ut eandem sua auctoritate contra adversantium odia tegere, ac tueri pro sui animi magnitudine velit, unaque te etiam compellamus, hortamur, ac obsecramus, ut pari virtute, fraternaque plane animorum coniunctione eandem sustineatis in sui status incolumitate, omnesque in eam inimicorum impetus vanos irritosque potenti ope, atque auxilio vestro faciatis. Magnum nobis id erit argumentum, quantopere ad iustam quamlibet suscipiendam religionis causam permovearis, quantumque etiam apud te pondus habeat nostra plena de te fiduciae existimationisque commendatio. Ac in amplius eximiae voluntatis erga te nostrae testimonium Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis frater, peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 2 Septembris 1786, Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

851.

Romae, 9 . IX . 1786

Hierotheus Korczynskij certioratur de commendatione negotiorum Ordinis Basiliani apud Regem et Archiepiscopum Gnesnensem.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 182, fol. 117rv.

Akty izdawajemyje..., vol. XVI, p. 248, nr. 184.

Dilecto filio Hierotheo Korczynski,
Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Ruthenorum Vicario Generali.

PIUS PP. VI. Dilecte fili, salutem etc.

Ut ex tuis, dilecte fili, litteris intelleximus timorem tuum, ne in proximo Regni Comitii tua Congregatio multorum invidia succumbat, et obruatur, statim suscipiendum a nobis duximus eiusdem patrociniū, et apud Carissimum in Christo filium nostrum Stanislaum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, et apud Venerabilem fratrem Michaelē, Archiepiscopum Gnesnensem. Eis igitur accuratissime paternique erga vos studii plenas perscripsimus litteras, vestrasque rationes omnes, ut eorum praesidio, atque auctoritate in ipsis Comitiiis fulciantur, quanta potuimus animi nostri contentione commendavimus. Confidimus sane fore, ut eorum religione subnixā Congregatio vestra ex eo periculo salva, atque incolumis evadat, libereque pergat, ut hactenus ab ea factum affirmas Sanctae Unioni prodesse, uberesque, quos imposterum polliceris in eam fructus non intermissis afferre conatibus. Haec te scire per hasce nostras volumus, ut tuae Congregationis incolumitatem cordi nobis esse agnosceres, quam paterna benevolentia prosequimur, atque in huius pignus Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, tuisque omnibus peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 9 Septembris 1786, Pontificatus Nostri Anno duodecimo.

852.

Romae, 24 . IV . 1787

Bulla Coadiutoriae Josaphat Bulhak, cum futura successione in Eparchia Pincensi et Turoviensi.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 4091, fol. 19-28.

Akty izdavajemyje..., vol. XVI, p. 254-256.

THEINER A., *Die neuesten Zustände...*, p. 102-106.

Dilecto filio Josaphat Bulhak, Monacho expresse professo
Ordinis S. Basilii Magni.

PIUS PP. VI. Dilecte fili, salutem etc.

Romanus Pontifex in potestatis plenitudine etc. (*solita forma pro Coadiutoribus*) incrementis. Cum itaque Venerabilis frater Joachimus Ecclesiarum Pincensis et Turoviensis invicem perpetuo canonice unitarum Episcopus, Rutheni Ritus, pro meliori concediti sibi gregis servitio, cui ob exactam aetatem infirmamque valetudinem non admodum prodesse potest, cupiat sibi de idoneo Coadiutore in spiritualibus et temporalibus provideri, Nos eisdem Ecclesiis cum vacaverint, et ne interim ullis exponantur incommodis paterno studio providere cupientes, post deliberationem quam ea super re etc. demum ad te, de legitimo matrimonio procreatum, Monachorum Ordinis S. Basilii Magni Ritus Rutheni Professorem, moribus, scientia et caeteris virtutibus gravem, et cui apud Nos de vitae munditia etc. perhibentur, licet in aetate legitima constitutus non sis (etenim annum nonum supra vigesimum vix explevisti), direximus oculos nostrae mentis; quibus omnibus etc. te a aquibusvis excommunicationis etc. censentes, etque super defectu aetatis huiusmodi ad effectum, ut infra, benigne dispensantes, memorato Joachimo Episcopo, quoad vixerit dictisque Ecclesiis praefuerit, in Coadiutorem perpetuum et irrevocabilem in regimine et administratione earundem Ecclesiarum Pincensis et Turoviensis in spiritualibus et temporalibus, assumpto interim titulo Ecclesiae Turoviensis huiusmodi, cum plena, libera, et omnimoda facultate et auctoritate omnia et singula quae ad huiusmodi Coadiutoris officium de iure vel consuetudine aut alias quomodolibet pertinent, etiam in iis quae sunt ordinis et officii pontificalis faciendi, gerendi, procurandi, exequendi et exercendi, ita tamen, ut durante huiusmodi Coadiutoris officio tu nonnisi, quando et pro tempore, quo dictus Joachimus Episcopus voverit et expresse permiserit, te in regimine et administratione spiritualium dictarum Ecclesiarum illarumque mensarum episcopalium, honorum,

¹⁰⁰ Josaphat Bulhak, Ordinis Basiliani. Alumnus Collegii Urbaniani Romae ab anno 1783. Filius Josephi, dioecesis Vilmensis. De ipso sic habetur notatum in Registro Alumnorum dicti Collegii: « Omnia praecleara, et insignia, quae necesse est ut resplendeant in Ministris Ecclesiae, reperiuntur Dei beneficio in praefato adolescente. Eventus prohibet opus » (vol. II, p. 49, sub anno 1783). Nominatus Coadiutor Pincensis assumpsit titulum Ecclesiae Turoviensis. Post suppressionem vero istius Eparchiae an. 1795, translatus est anno 1798 ad Sedem Berestensem, qua in sede ab anno 1811 (usque 1833) pro Coadiutore habuit Leonem Javorovskyj, antea Suprasliensem Ordinarium. Ab anno 1818 Metropolita Kioviensis, qui a Sede Apostolica solummodo ut Administrator Metropolitae considerabatur. Obiit anno 1838, ut ultimus eiusdem Metropolitae Kioviensis Episcopus, nam 12-23.II.1839 ultimi tres Episcopi eiusdem Ecclesiae, Metropolitae Kioviensis Suffraganei sese Patriarchatui Moscoviensi subiecerunt, unitatemque catholicam deseruerunt. Cfr. J PELESZ, *op. cit.* II, p. 803-831.

fructuum, proventum, reddituum, iurium, obventionum et emolumentorum quovis modo seu quaesito colore per te vel alium seu alios interponere nequeas, ipsius Joachimi Episcopi accedente consensu, de fratrum etc. de eadem persona tua Ecclesiis Pincensi et Turoviensi auctoritate et tenore praesentis providemus, teque illis pariter in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam etc. committendo. Non obstantibus consitutionibus etc. innovatis. Quibus omnibus etc. contrariis quibuscumque, firma spe fiduciaque conceptis, quod gratia Domini tibi assistente propitia Ecclesiae etc. suscipient incrementa.

Volumus autem, ut ab alienatione qualibet bonorum etc. reddere teneris, et antequam in dicto Coadiutoris officio te quomodo immisceas etc., iuramentum. Quocirca per Apostolica scripta mandamus discretioni tuae, quatenus curam etc. consequi merearis. Nec non dilectis filiis Capitulo et Vassallis Ecclesiarum huiusmodi ac Clero et populo earumdem civitatum et dioecesium Pincensis et Turoviensis etc. inviolabiliter observari.

Nec non ad ea, quae in tuae commoditatis augmentum cedere possint favorabiliter intendentes, tibi ut a Venerabili fratre moderno totius Russiae Metropolitano (ad quem etiam vigore decreti Congregationis Cardinalium praedictorum diei XXII Augusti MDCCLXXXV pro confectione processus et institutione te recurrere debere declaramus), seu alio Antistite, Apostolicam gratiam et communionem habente, et ab eo designando, accitis et in hoc sibi assistentibus loco Episcoporum duobus presbyteris saecularibus vel regularibus, similes gratiam et communionem habentibus, munus consecrationis recipere, ipsique Metropolitano seu alii Antistiti huiusmodi, ut receptis a te fidei catholicae professione, iuxta articulos a Sede Apostolica propositos, ac nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, munus Apostolicum tibi auctoritate nostra impendere licite valeatis, plenam et liberam tenore praesentium concedimus facultatem. Volumus autem etc. quod nisi receptis... iuramento et fidei professione etc. suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus Apostolicis ac in universalibus etc. contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXIV Aprilis MDCCLXXXVII, Pontificatus Nostri Anno decimo tertio.

853.

Romae, 30 . VIII . 1788

Alia commendatio negotiorum Ordinis Basiliani in Comitibus Regni defendendorum.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 184, fol. 101-102.

Carissimo in Christo filio nostro Stanislao Augusto,
Poloniae Regi Illustri.

PIUS PP. VI. Carissime etc.

Dilectus filius Hierotheus Korczynski, Vicarius Generalis Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Ruthenorum exposuit nobis per nostram de Pro-

paganda Fide Congregationem, se habere plurima suae Congregationis negotia in proximis Regni Comitiis pertractanda; enixis proinde precibus apud Nos institit, ut ipsum, suamque Congregationem Regiae Maiestati Tuae commendarem. Nostrum Nos esse munus duximus has suscipere partes, teque, carissime in Christo fili noster, post alias ad te datas die 16 huius mensis litteras, hac etiam interpellare epistola nostra, tuaeque auctoritatis peculiari praesidium eidem Vicario Generali, suaeque Congregationi per accuratam hanc commendationem comparare. Ad quod praestandum facile inducti sumus nostra de tua religione fiducia, a teque petere, ut quod pro tua aequitate sponte faceres, id nostra causa, qui te valde obsecramus, multo etiam studiosius et cumulatius facias, tuoque singulari patrocinio eius Sacri Ordinis causas, quas ad te deferet memoratus Vicarius, in ipsis tui Regni Comitiis proseguare. Ita nobis confirmaveris amorem in Nos tuum, nostrique in te animi studia omnia, atque officia magis magisque excitaveris. Interim, in huius eximiae paternae voluntatis argumentum, Apostolicam benedictionem tibi, carissime in Christo fili noster, ad tuae gloriae, tuique Regni felicitatis incrementum amantissime impertimur.

Datum Romae etc., die 30 Augusti 1788, Pontificatus Nostri Anno decimoquarto.

854.

Romae, 30 . VIII . 1788

Eiusdem argumenti Archiepiscopo Gnesnensi.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 184, fol. 102-103.

Venerabili fratri Michaeli, Archiepiscopo Gnesnensi¹⁰¹.

PIUS PP. VI. Venerabilis frater, salutem etc.

Quemadmodum aliis nostris litteris ad te die 16 huius mensis datis tibi declaravimus, Venerabili frater, certi profecto sumus te pro tam praestanti ecclesiasticae dignitatis gradu tua sponte adfuturum esse universim causis omnibus religiosorum virorum, quas in proximis Regni Comitiis contingerit pertractari. Nihilominus alias has ad te perscribere suscepimus litteras, quo peculiariter tibi dilectum filium Hierotheum Korczynski, Vicarium Generalem Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Ruthenorum, commendemus. Plurima ipse habet suae Congregationis negotia, de quibus in Comitiis ipsis agetur. Valde proinde laborat, ut grave aliquod, ac validum sibi compareret patrocinium, a nobisque postulat, ut tuum, quo nullum post regium efficacius esse potest, praesto illi esse faciamus. Itaque eius precibus prepenso plurimum esse voluntatem nostram erga illum, eiusque Ordinem tibi significamus, a teque maiorem in modum petimus, ut pro tua aequitate, ac in sacras res studio eam Congregationem in Comitiis, prout opus erit, tueare, atque

¹⁰¹ Michael Poniatowski (1784-1794). Cfr. notam 72, 99.

aliquid nostra etiam causa adiicias, quo ille intelligat plurimum apud te ex hac commendatione praesidii se esse consecutum. Id nobis erit gratissimum, utpote ex quo magis perspiciemus, quantopere studiis nostris obsequare; Nosque invicem omnes tibi paternae benevolentiae fructus deferentes Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuae ex animo, ac peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 30 Augusti 1788, Pontificatus Nostri Anno decimoquarto.

855.

Romae, 30 . VIII . 1788

Idem argumentum.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 184, fol. 103v-104.

Dilecto filio, nobili viro, Supremo Regni Poloniae Mareschallo.

PIUS PP. VI. Dilecte fili, nobilis vir, salutem etc.

Cum in proximis Regni Comitibus pertractanda sint plurima Congregationis Ruthenorum Ordinis S. Basilii Magni negotia, dilectus filius Hierotheus Korczynski, Vicarius Generalis apud Nos instat, ut has apud Nobilitatem Tuam demus litteras, in iisque ipsum eiusque Congregationis res tibi magnopere commendemus. Pro paterno in religiosos viros studio libenter eiusdem preces prosequimur officio nostro ad te dilecte fili, nobilis vir, deferendo, cuius cum magna futura sit in iisdem Comitibus auctoritas, minime dubitamus, quin eam cum pari etiam generosi piique animi aequitate coniungas. Hac freti de tua virtute fiducia apud nostra haec interponimus studia, quibus enixe flagitamus ac precamur, ut patrocinio tuo tueri velis eius Congregationis, de quibus agetur, negotia; quo non solum propensum in res sacras, religiososque homines animum tuum declaraveris, sed nostri etiam perstudiosum, cum quidquid ad eius Congregationis sustinendas rationes operae praesidiique contuleris, id nostra gratia a te cumulate factum esse simus extimaturi. Interim omnibus consiliis caeptisque tuis, praesertim in publicum bonum susceptis propitium tibi precantes Deum, Apostolicam benedictionem in singularis etiam paternae benevolentiae pignus Nobilitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die 30 Augusti 1788, Pontificatus Nostri Anno decimoquarto.

Eodem exemplo.

Supremo Regni Poloniae Cancellario, et Palatino Russiae.

856.

Romae, 27 . XII . 1788

Novo Metropolitanae Kioviensi animus addatur, Basilianorumque et Eparchiae Chelmensis negotia commendantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 184, fol. 159v-160v.

Venerabili fratri, Theodosio, Archiepiscopo Kioviensi.¹⁰²

PIUS PP. VI. Venerabilis frater, salutem etc.

Ex litteris tuis unaque ex hac nostra Propagandae Fidei Congregatione intelleximus, Venerabilis frater, te per obitum Metropolitanam Russiae in eisdem locum iure Coadiutoris successisse. Cum id nobis tamquam supremo Ecclesiae Pastori deferas, animumque tuum in Nos, ac S. hanc Sedem plenum observantiae, ac devotionis exhibeas, tuis hisce officii partibus plane respondemus eo partem caritatis sensu, ut non solum gratulemur tibi ad Metropolitanam dignitatem evecto, verum etiam Ovibus, quas in tuam recipis fidem, quibus certe a tua pastoralis sollicitudine, vigilantia, ac virtute nullam, quantum in te erit, spiritualem opem unquam defuturam confidimus; proptereaque a divina miseratione, per quam ad tale tantumque in Ecclesia munus pervenisti, enixe petimus, ac postulamus, ut vires tuas pro ea sustinenda mole augeat, teque sui spiritus consilio, ac fortitudine confirmet, ut nullae adversitates aut offensiones incidere possint, quibus quidquam detrimenti tua in istum gregem cura patiatur. Haec tibi ex animo precamur, Venerabilis frater, tuae verae gloriae studiosissimi, quae in hoc unice continetur, ut et Oves tuae per te semper salvae, incolumesque sint, et tu ipse ex earum integritate ac proventu maximam semper tuorum laborum consolationem, laetitiamque percipias.

In hac nova dignitate, quod a te vehementer cupimus, facile praestare poteris opportuna Basilianis Monachis, quibus hoc tempore indigere poterunt praesidia. Id cum te ipsum tua sponte facturum non dubitemus, nihilominus quo id alacrius nostrae huius commendationis gratia facias a te etiam, atque etiam postulamus.

Quod vero spectat ad Kelmensem Episcopatum¹⁰³ referet tibi supramemorata Congregatio nostra quid de ipso statuendum pro his temporibus duxerimus; tibi que, Venerabilis frater, Apostolicam benedictionem, quae divina erga te tuaque incepta, atque acta omnia benedictionem provocet ex intimo paterno corde depromptam peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 27 Decembris 1788, Pontificatus Nostri Anno decimoquarto.

¹⁰² Theodosius Rostockyj, Metropolita Kioviensis (1787-1805). Cfr. Bullam sub data 18.IV.1785.

¹⁰³ Post translationem Maximiliani Rylo ad Eparchiam Peremyssliensem an. 1785, Eparchiam Chelmensis hoc eodem anno obtinuit Theodosius Rostockyj (1785-1790), qui simul Coadiutor Metropoliae Kioviensis erat. Successioni loco dato (1788) Eparchiam hanc adhuc per duos annos administrabat. Anno 1789 nominatus est ad hanc Sedem Porphyrius Ważnyskyj (1790-1803). Hic agitur de pertractationibus pro nova provisione Ecclesiae Chelmensis.

857.

Romae, 3 . I . 1789

Pontifex congratulatur cum Porphyrio Ważynskij de iterata eius electione in Protoarchimandritam Ordinis Basiliani.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 184, fol. 162v-164.

Dilecto filio Porphirio Skarbak Wazynski,
Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Ruthenae Protoarchimandritae¹⁰⁴.

PIUS PP. VI. Dilecte fili, salutem etc.

Antequam ad Nos pervenerint litterae tuae die 15 Novembris datae, iam nobis innotuerant praeclara merita tua, quae, quoties occasio tulerat, dilectus filius Stephanus Borgia nostrae de Propaganda Fide Congregationis a Secretis pro suo munere nobis referebat. Hinc facile cognoscere potes, quam libenter acceperimus te rursus in Protoarchimandritam electum fuisse. Cum enim Congregationem vestram praecipua prosequamur paterni animi caritate in eamque nostra studia, ut salva semper, florensque sit, conferamus, nihil esse potuit huic nostrae in eam volutati magis consenties, quam ut ipse eius praefecturam iterum susciperes, tuaque experientia, fide, ac solitudine eiusdem incolumitati consuleres, et commodis, unde Orthodoxae Religionis utilitas cum plurima divinae gloriae accessione redundaret. Tuo propterea Ordini magnopere gratulamur, quod tantam opportunitatem hoc tempore nactus sit, ex tua scilicet prudentia ac virtute maiorem in modum proficiendi. De quo Deum Optimum Maximum rogamus, ut optatis hisce nostris faveat, vestraeque Congregationis res omnes, rationesque suo praesidio secundet, ac provehat. Quod vero scribis te nobis ex Capituli Generalis Decreto, totiusque Congregationis nomine plurimas habere gratias, quod singulares hoc tempore et ad Carissimum in Christo filium nostrum Stanislaum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, et ad praecipuos istius Regni Proceres dederimus litteras, in quibus Congregationem vestram diligenter commendavimus, accipimus sane, quo vos ipsi cupitis animo haec vestrae in Nos gratissimae volutatis indicia; Ex quibus valde confidimus nunquam vestra defutura ad Deum vota, quibus nostra imbecillitas in universa regenda hoc perdifficili tempore Ecclesia sustentetur; nihil opportunius potest nobisque acceptius a vobis praestari, quodque adhuc magis nostram in vos augeat atque inflamet caritatem. Ac in huius luculentius pignus Apostolicam benedictionem tibi, dilecte fili, universaeque Congregationi tuae ex intimo corde depromptam peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 3 Januarii 1789. Pontificatus Nostri Anno decimoquarto.

¹⁰⁴ Porphyrius Skarbak Ważynskij, Protoarchimandrita Ordinis Basiliani (1772-1780; 1788-1790), dein Episcopus Chelmensis (1790-1804).

858.

Romae, 21 . VII . 1789

*Licentia celebrandi super altare portatile.*ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 4143, fol. 330, nr. 79.

Dilecto filio Ignatio Baraniski,
 Monacho Ordinis S. Basilii expresse professo

PIUS PP. VI. Dilecte fili, salutem etc.

Spirituali consolationi tuae, quantum cum Domino possumus, benigne consulere teque spiritualibus etc. volentes, et a quibusvis etc. censentes, supplicationibus tuo nomine etc. inclinati, tibi, qui (ut asseris) diversa itinera per Poloniam, et Ducatum Lithuaniae peragere debes, ut in iisdem itineribus altare portatile, debitis tamen cum honore et reverentia habere, et super eo, ubi ecclesiarum commoditas defuerit, et in casu necessitatis tantum, in locis ad id congruis etc. (ut 28 . VIII . 1770) indulgemus. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 21 Julii 1789, An. 15.

859.

Romae, 12 . VII . 1791

*Conceditur altare privilegiatum in ecclesia cathedrali Pincensi pro Confraternitate iuventutis studiosae.*ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici: Altaria privilegiata*, vol. 84, fol. 540.

PIUS PP. VI. Ad perpetuam rei memoriam.

Omnium saluti etc. valeant. Volentes igitur ecclesiam cathedralem Pincensem, et in ea situm altare Confraternitatis seu Congregationis studiosae iuventutis sub titulo Annuntiationis B.M.V. Immaculatae etc. pro anima cuiusvis confratris dictae Confraternitatis seu etc. (cfr. ut sub data 23.I.1767).

Datum ut supra (Romae apud S. Mariam Maiorem, die 12 Julii 1791, Anno 17).

860.

Romae, 17 . VIII . 1791

*Litterae pontificiae datae in occasione Comitiorum Regni Poloniae sic dictorum «quadriennialium», nec non in occasione conventus s.d. Pincensis non Uitorum.*ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 186, fol. 135-141.

Carissimo in Christo filio nostro Stanislao Augusto,
 Poloniae Regi Illustri.

PIUS PP. VI. Carissime etc.

Renovarunt in nobis perceptam iam de publicis Poloniae rebus iucundi-

tatem cum litterae Regiae Maiestatis Tuae die 15 Mensis Julii datae (f. 35v), tum ea, quae Venerabilis frater Ferdinandus¹⁰⁵, Archiepiscopus Cartaginensis, Nuntius noster, ad Nos isthic perscripsit. Mirifice enim te nostram excepisse gratulantem epistolam intelleximus, nostroque etiam laetari de vobis gaudio, ac plurimum S. huius Sedis auspiciis, paternaque benedictione confidere. Haec nova praestantis animi tui, ac nobiscum coniunctissimi indicia cumulationem nobis afferunt non solum iucunditatem, sed et virtutis, sapientiae, ac religionis tuae fiduciam, qua freti nihil adversi Ecclesiae Catholicae, sed laeta sperare omnia, ac expectare debeamus. (f. 136) Huc Nos etiam inducit singularis nostra de inclyta Natione Polona existimatio, ac recens praecipue illud Decretum, quod primum constitutionis vestrae¹⁰⁶ tamquam fundamentum posuistis: ut Religio nempe Catholica Romana conservetur in Polonia cum omnibus suis iuribus ac privilegiis.

Tamen cum in his versemur calamitosissimis Ecclesiae temporibus, in quibus nihil hostes non moliantur, nihil non audeant, teterrimo nimirum Galliarum exemplo excitati, nullo modo eximere animum nostrum a timore possumus, ne quid isthic in novo efformando Codice in eum ipsum irripiat, quod sacrae nostrae leges, Ecclesiaeque, (f. 136v) ac Apostolicae Sedis iura in maximum discrimen adducantur. Adhuc menti nostrae Zamoiskius ille Codex infixus haeret, novitatumque, quae in eo perscribebantur, recordamur, sed una etiam gratissima fovemus memoria nostra, tranquillos, securosque scilicet tum Nos a Maiestate Tua redditos, quod earum novitatum nulla foret habenda ratio. Parem nunc opportunitatem adesse adversariis nostris videmus, ut in novum perscribendum Codicem illae novitates inferantur, ac intrudantur; quod certe minime dubium est, quin iidem efficere omni opera pro suis viribus sint conaturi; sed neque (f. 137) ambigimus, quin idem ipse sis eorum tam perversa consilia molitionesque plane disiecturus, neque unquam regia animi tui constantia passurus, ut quam novam perscribi voluisti Constitutionem, tam religioni futuram, quam Reipublicae utilem, eadem nunc ex ipsius religionis neglectu in detrimentum etiam Reipublicae cedat; neque enim possunt istae disiungi, dissociarique utilitates, ut tu ipse perspicis, quin maxima inferatur in universas publicas res perturbatio.

Quae circa novum formandum Codicem, insertosque in eo Articulos singillatim erunt animadvertenda, praecipue pro re, ac tempore (f. 137v) cavenda, ex nostro mandato ad te deferret memoratus Venerabilis frater Nuntius noster. Interim, ne quid per Nos in tam gravi periculo praetermissum sit, paucis ante diebus, quam tuas acciperemus postremas litteras, accersere ad Nos volumus dilectum filium nostrum Cardinalem Anticum, cum eo que curas

¹⁰⁵ Ferdinandus Maria Saluzzo, Nuntius Varsaviensis (1781-1794).

¹⁰⁶ Agitur, ut videtur, de Constitutione s. d. « diei 3 Maii », quae erat fructus « Diaetae 4-or annorum ». Inter alia hac Constitutione statutum est: 1) Religio catholica utriusque Ritus in Polonia et Lithuania et in provinciis dependentibus est religio regnans; 2) Rex et Regina debent semper profiteri religionem catholicam; 3) Transitus ad aliam religionem quam catholicam crimen laesae maiestatis saecumfert; 4) Aliae religiones, quae sunt admissae, plena libertate perfrui debent. In hac eadem Diaeta tandem aliquando Metropolitanae Kioviensi Ritus Orientalis locus in Senatu assignatus erat (die 29.VII.1890). Sed contra Constitutionem hanc progressa est Confederatio sic. d. Torhovicensis, quae favoribus vicinorum perfruebatur, qui demum ad secundam Poloniae divisionem anno 1793 progressi sunt.

nostras communicare; ipsique praesertim commisimus, ut suam etiam apud Maiestatem Tuam nostris studiis coniungat operam, teque verbis nostris exoret, quo causam omnem, quaecumque inciderit circa ecclesiasticas leges, Sanctaeque huius Sedis iura, toto conatu tuo, ac regia auctoritate tuendam (f. 138) in Comitibus suscipias, omnemque obstruas novitatibus aditum, quae certe si semel in sacras res irrepserint, nihil unquam esse tam sanctum tam venerabile, ac tam inviolabile poterit, quod hominum impiorum, potestatemque omnem detrectantium contumaciae, ac libidini non sit obnoxium.

Post hoc habitum inter Nos, et Cardinalem Ministrum tuum colloquium, nova nobis accessit timoris causa ex allata notitia. quod nimirum Dissidentes in Pinsko congregati¹⁰⁷ statuerint apud Regiam Maiestatem Tuam instare, omnique ope contendere, ut instituat in Polonia novum quoddam Hierarchiae Ecclesiasticae corpus, tribus nempe constans Episcopis, (f. 138v) unoque Archiepiscopo non unitis, penes quod resideat spirituale regimen totius Graecae Nationis a Catholica Communionem divisae, itemque constituantur Supremum sex Ecclesiasticorum, et sex Laicorum pariter a Catholicis divisorum Consistorium, cui cura Scholarum, Hospitalium, atque huiusmodi aliorum eiusdem Nationis negotiorum commissa sit; praetereaque in alia quoque convenisse Decreta dicuntur, quae adhuc in lucem non prodierunt. Si unquam haec ipsis consilia, quod Deus avertat, successerint, plane percipit Maiestas Tua pro singulari suae mentis intelligentia, quale, quantumque inde redundaret detrimentum (f. 139) in Sanctam Unionem. Haec in Polonia tota, alta, irrigataque sudoribus, ac sanguine tot illustrium Catholicorum Episcoporum, totque Apostolicis Monachorum Basiliensium laboribus, sustentataque, ac defensa semper religioso gloriosorum Praedecessorum tuorum patrocinio. ad quem nunc respicere potest? cuius ope confidere, nisi ea ipsa, qua Nos confidimus, tua nimirum, optime ac sapientissime Rex, quique praeteritorum Poloniae Regum pietatem maxime, ac virtutem omnem aemularis, cuius nunc erit prudentis, ac fortitudinis animi tam ambitiosa Dissidentium Graecorum incepta disturbare, ac prorsus evertere? Hi (f. 139v) non aliud spectant, quam ut cum dominante contendant religione, eique ipsi aequentur, quae scilicet in Poloniae Regno non alia est, quam catholica. Et qua unquam ratione duae Graeci Ritus Hierarchiae, unitorum videlicet, et non unitorum consistere simul possint eo in Regno, quod solam Catholicam agnoscit Ecclesiam? Supremum instituere Consistorium, quod populum diversam a dominante religionem sectantem regat, ac protegat quid aliud esse videri potest, quam inferre iniurias supremo Principi, eiusque Ministrorum iustitiae diffidere? Itaque quantopere intersit, ut omni studio, ac praestanti

¹⁰⁷ Congregatio Pinscensis non Unitorum in Pinsk, aestate an. 1791, originem suam habuit a « Diaeta 4-or annorum », ubi stabilitum fuit quaestionem non Unitorum in Polonia Commissioni speciali demandare. Haec Commissio constituit Ecclesiam non Unitam Poloniae a dependentia externa separare et independentem proclamare. Hunc in finem adunata est Congregatio Pinscensis an. 1791, cuius tamen decreta ob eventus mox sequutos executioni mandata non fuerunt. Paulo post, secundam et tertiam nempe Poloniae divisionem, reliquiae hae aggregatae fuerunt ad Ecclesiam officialem Moscoviensem, quae totum territorium Ucrainae et Bielarussiae in novas Eparchias non unitas subdivisit et Ecclesiam catholicam Ucrainae et Bielarussiae destrere coepit (Cassatio omnium dioecesium an. 1595-6 etc.). Cfr. A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa russa e dei paesi limitrofi*. Torino, 1948. p. 381.

(f. 140) ardore animi tui incumbas ad istius hydrae caput in suo exortu radicitus evellendum ipsa per se Maiestas Tua magis cognoscere ex omni parte potest, quam nos scribendo assequi.

Convertimur demum ad te per amicitiam nostram, per tuam religionem, fidemque Deo datam obtestandum; commemoramus tibi Polonae Nationis promissa ipso primo Constitutionis Decreto roborata, a quo certe excidet, ac aberrabit longissime, si quid diversum ab Ecclesiae mente in sacras eiusdem leges intentabitur. Ea ipsa nobis sanctae sunt protestati dilecti filii, nobiles viri, Comitiorum Mareschalli per suas litteras, in quibus (f. 140v) suam Nationem semper cum hac S. Sede coniunctam fore, neque ab ea quidquam, quod Divi Petri Cathedrae, sacrisque iuribus derogat, emanaturum asseverarunt. Hanc, quam tecum adhibemus obtestationem nostram ita a te accipi velimus tamquam profectam ab amantissimo Parente, qui in carissimi filii sui sinum omnes curas, sollicitudines ac angustias suas defert, fidenterque deponit, ab eodem maxima cum fiducia solamen omne, ac praesidium unice postulans, atque expectans. Ac Maiestati Tuae, Polonaeque Nationi felicem omnium consiliorum vestrorum exitum a Deo cunetarum rerum Auctore, (f. 141) et Moderatore implorantes, Apostolicam benedictionem ex intimo corde depromptam amantissime impertimur.

Datum Romae etc., die 17 Augusti 1791, Pontificatus Nostri Anno decimoseptimo.

861.

Romae, 26 . VIII . 1791

Ecclesia Berestensis evehitur in episcopalem et providetur in persona Arsenii Glownewskyj, ut Coadiutore Episcopi Volodimiriensis et Berestensis.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 4191, fol. 1-9, nr. 1.

Dilecto filio Arsenio Glownewski, Monacho expresse professo
Ordinis S. Basilii Magni¹⁰⁸.

PIUS PP. VI. Dilecte fili, salutem etc.

Romanus Pontifex in potestatis plenitudine etc. incrementis. Cum itaque Venerabilis frater Stephanus Simeon¹⁰⁹, Ecclesiarum Vladimiriens. et Bresten. Rutheni Ritus ob exactam aetatem infirmamque valetudinem concredito sibi gregi non admodum prodesse valeat, cupiatque sibi de idoneo Coadiutore in spiritualibus et temporalibus provideri, Nos eisdem Ecclesiis, cum vacaverint, et ne interim ullis exponantur incommodis, paterno studio providere cupien-

¹⁰⁸ Arsenius Glownewskyj, Basilianus. Auditor Episcopi Volodimiriensis (1781), et Rector scholarum Volodimiriensium (1782). Anno 1790 (29.IX) nominatus Coadiutor Volodimiriensis. Post mortem Catharinae II Episcopus Brestensis (1797-8), quia Eparchia Volodimiriensis a Catharina II suppressa, a Paulo non iam fuit restaurata. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 10, p. 70.

¹⁰⁹ Simeon Mlockyj, Episcopus Volodimiriensis (1778-1796). Post suppressionem Eparchiae an. 1795-6 privatam duxit vitam. Ut videtur, obiit an. 1804.

tes, post deliberationem quam ea super re cum Ven. fratribus etc. diligentem, demum ad te in sacro Praesbyteratus ordine constitutum et in aetate legitima existentem, de legitimo matrimonio procreatum, Monachorum Ordinis S. Basilii M. professum deque eodem Ordine benemeritum, dictique Stephani Simeonis Episcopi in Curia auditorem, et cui apud Nos etc. perhibentur, direximus oculos etc. Quibus omnibus etc. pensatis, atque attendentes, quod ad effectum, ut infra, nominationem et consensum a carissimo in Christo filio nostro Stanislao Augusto, Poloniae Rege Illustri, iam reportasti, te a quibusvis etc. censentes, memorato Stephano Simeoni Episcopo quoad vixerit dictisque Ecclesiis praefuerit, in Coadiutorem perpetuum, et irrevocabilem in regimine et administratione earundem Ecclesiarum Vladimiriens. et Bresten. in spiritualibus et temporalibus, assumpto interim titulo Ecclesiae Bresten¹¹⁰, huiusmodi cum plena, libera et omnimoda facultate, et auctoritate omnia et singula, quae ad huiusmodi Coadiutoris officium de iure vel consuetudine, aut alias quomodolibet (f. 2) pertinent, etiam in iis quae sunt ordinis et officii pontificalis, nec non etiam cum facultate usus saccocii, iuxta eiusdem Ecclesiae Bresten. privilegium, faciendi, gerendi, procurandi, et exequendi, ac exercendi (ita tamen, ut durante huiusmodi Coadiutoris officio tu, nisi quando, et pro tempore, quo dictus Stephanus Simeon voluerit et expresse permiserit, te in regimine et administratione spiritualium et temporalium dictarum Ecclesiarum illarumque mensarum episcopalium honorum, fructuum, reddituum, proventuum, iurium obventionum et emolumentorum quovis modo seu quaesito colore per te vel alium, seu alios interponere nequeas) ipsius Stephani Simeonis Episcopi accedente consensu, de fratrum etc. et deputamus, nec non cedente vel decedente eodem Stephano Simeone Episcopo, seu regimini etc. prout ex tunc, et e contra de persona tua Ecclesiis Vladimiriens. et Bresten. Praesentis auctoritate etc., committendo. Nos obstantibus constitutionibus etc. innovatis. Quibus omnibus etc. quibuscumque, firma spe etc.

Volumus autem ut ab alienatione qualibet honorum etc. tenearis. Et antequam in dicto Coadiutoris officio te quoquomodo immisceas, de eo iuste et fideliter exercendo in manibus catholici Antistitis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis debitum praestes in forma solita iuramentum, quodque vigore decreti Congregationis dictorum S. R. E. Cardinalium die XXII Augusti anni MDCCLXXXV editi, pro confectione processus, institutione, et consecratione ad Ven. etiam fratrem Metropolitanum totius Russiae recurrere debeas. Quocirca per Apostolica scripta mandamus etc. consequi merearis. Nec non dilectis filiis Capitulo et Vassallis etc. observari.

Caeterum ad ea quae in tuae commoditatis augmentum cedere possunt, favorabiliter intendentes, tibi, ut a praedicto Ven. fratre totius Russiae Metropolitano, seu alio quocumque Antistite, gratiam etc. per eum designando, accitis, et in hoc sibi assistentibus duobus tantum Praesbyteris saecularibus, vel regularibus, similes gratiam etc. a te prius fidei catholicae professione iuxta etc. solito iuramento etc. facultatem. Volumus autem etc. suspensi sitis eo ipso. Praeterea etiam volumus, ut professionis fidei etc. omnino tenearis.

Forma autem iuramenti, quod praestabis haec est: Ego Arsenius Glow-

¹¹⁰ Ecclesia Berestensis Ecclesiae Volodimiriensi canonice perpetuo unita erat iam inde a temporibus Hypatii Potij, ante Unionem Berestensem (1596).

niewski, electus Episcopus titularis Brestensis et Coadiutor deputatus R. P. D. Stephano Simeoni Eccl. Vladimiriens. et Bresten. invicem perpetuo canonice unitarum Episcopo in regimine et administratione Ecclesiarum huiusmodi, quibus dictus Stephanus Simeon Episcopus ad praesens praest, et futurus Episcopus Vladimiriens. et Bresten. ab hac hora etc. Evangelia.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 26 Augusti 1791, An. 17.

862.

Romae, 3 . IV . 1792

Altare portatile pro Metrophane Sulatyckyj, OSBM.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 4206, fol. 228, nr. 58.

Dilecto filio Metrophano Sulaticki, Praesbitero Monacho
expresso Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Ruthenae.

PIUS PP. VI. Dilecte fili, salutem etc.

Spirituali consolationi tuae etc. inclinati, tibi ut in itinere a te per Poloniam et M. Ducatum Lithuaniae de Superiorum tuorum licentia pro tempore faciendo altare portatile, debitis tamen etc. (*ut supra sub data 28.VIII.1770*) indulgemus. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, 3 Aprilis 1792, Anno 18.

863.

Romae, 30 . XI . 1793

Congratulatur cum novo Protoarchimandrita Ordinis Basiliani fidelitatemque sibi Sedique Apostolicae denuo testatam gratam sibi fuisse nuntiat.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 188, fol. 131v-132v.

Dilecto filio Athanasio Falkowski,
Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Ruthenorum Vicario Generali¹¹

PIUS PP. VI. Dilecte fili, salutem etc.

Cum immatura morte praereptus dilectus filius Vilczynski¹¹², vestrae Congregationis Basilianae Ruthenorum Proto-Archimandrita per tuas litteras die 22 Octobris datas nuncias nobis, te praeter spem et opinionem tuam ad regimen eiusdem Congregationis Rectore suo destitutae fuisse evocatum,

¹¹¹ Athanasius Falkovskyj, Basilianus, Provinciae Lithuaniae SS. Trinitatis. Filius Stanislai, dioecesis Luceoriensis. Alumnus in Collegio Urbaniano, in quo iuramentum praestitit die 21.IX.1772 (*Registro e memoria...*, vol. II, p. 11, an. 1772). Post obitum Maximiliani Vilčynskyj (1793) Vicarius Generalis Ordinis Basiliani, dein electus Protoarchimandrita (1793-1802).

¹¹² Vilčynskyj Maximilianus, Protoarchimandrita Ordinis Basiliani (1790-1793).

unaque etiam significas, quae tua sit, tuaeque Congregationis in Nos, et Apostolicam Sedem observantia, fides, ac devotio, quantumque catholicae religionis studium tuendae, et promovendae. Hoc officium a te nobis debitum praeclare cumulasti grata beneficiorum ab hac ipsa Sede in vos collatorum commemoratione. Quo ipso paternum animum in vos iam propensissimum, multo adhuc magis excitastis ad nova vobis deferenda, quotiescumque oportunitas tulerit, benevolentiae nostrae testimonia. Interim valde cupimus, ut tum in eligendo Proto-Archimandrita, quam in ceteris omnibus publicis actionibus vestris verum prae vobis feratis Basiliani Ordinis spiritum; et in retinenda regulari disciplina, in consecranda pietate, in fovendis sacrae doctrinae studiis praeclara virtutum omnium, meritorumque vestrorum per istos populos exempla diffundatis. Utque paratiora vobis sint divinae gratiae munera, interponimus Apostolicam benedictionem, quam tibi, dilecte fili, tuisque Monachis in paternae etiam caritatis nostrae pignus peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 30 Novembris 1793, Pontificatus Nostri Anno XIX.

864.

Romae, 8 . II . 1794

Novus Nuntius Apostolicus Varsaviensis Metropolitanato totius Russiae commendatur.

ASV, Ep. ad Principes, vol. 188, fol. 165v-166v.

Venerabili fratri Metropolitanato totius Russiae¹¹³.

PIUS PP. VI. Venerabilis frater, salutem etc.

Mitemus isthuc Venerabilem fratrem Laurentium¹¹⁴, Archiepiscopum Thebarum, ad obeundum apud Carissimum in Christo filium nostrum Stanislaum Augustum, Poloniae Regem Illustrem, et inclitam vestram Rempublicam nostri, et Apostolicae Sedis ordinarii Nuncii munus. Eidem propterea fidem a te in omnibus praestari cupimus, ac si Nos ipsos coram loquentes audires. Ille vero praecipue aget, quae a nobis diligenter mandata sunt, ut nimirum quae ad religionis catholicae statum isthic pertinent, summa ope, studio, prudentia adhibita, ex nostra vestrumque omnium Venerabilium fratrum sententia procedant. Certi plane sumus ipsum haec praeclare gesturum esse cum ingenio, pietate, rerum usu, consiliique vi sit instructissimus. Tanta igitur ad praeclari generis nobilitatem ac splendorem multo potiora propriarum laudum adiungentem decora, proque ipsius Ecclesiae rationibus laborantem, quin adiuturus ipse sis, Venerabilis frater, etsi minime dubitemus, pro nostro tamen munere hortamur, ut quantum pro episcopali dignitate requiritur plurima animi fortitudine, constantiaque pro Dei gloria, pro fidei integritate,

¹¹³ Theodosio Rostockyj (1788-1805).

¹¹⁴ Laurentius Litta, Nuntius Varsaviensis (1794), ultimus e serie Nuntiorum huius periodi.

pro universo nationis bono contendas. Et Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuae in egregiae pontificiae voluntatis pignus peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 8 Februarii 1794, Pontificatus Nostri Anno decimonono.

865.

Romae, 12 . IX . 1795

Imperatrici Moscoviae Catharinae II de persecutione catholicorum Ritus Orientalis in Volhinia Podoliaque, provinciis Ucrainae, litterae dantur.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 190, fol. 75-79.

Serenissimae, Potentissimae, ac Magnae Dominae Catharinae Imperatrici, et Magnae Ducissae Universae Magnae, Parvae, et Albae Russiae Autocratici, nec non Magnorum Dominiorum Orientalium, et Occidentalium Patronae Augustaeque Haeredi, Dominae, et Dominatrici¹¹⁵.

PIUS PP. VI. Serenissima, etc.

In maximas Nos inducit his temporibus sollicitudines Apostolici ministerii impositum nobis munus, inter quas illae praesertim obversantur animo, quae ex ea Poloniae parte perferuntur, Wollhyniae scilicet, finitimarumque Regionum Kioviae, et Podoliae, quae in Ditionem Augustae Maiestatis Tuae a Grodnensi¹¹⁶ conventionione (f. 75v) Anni 1793 transierunt. Tua animi aequitate, ac magnitudine confisi ad te ipsam Augustissima, ac Potentissima Imperatrix non dubitamus deferre harum curarum, quae Nos urgent, causas earumque levamen implorare. Iis in provinciis, ubi plurimi degunt Rutheni-Uniti, opera non-uniti Episcopi Pereiaslaviensis Victoris Sadkowski¹¹⁷, eiusque assecularum et fautorum, qui tuo ibidem nomine imperant, tota pene eius populi multitudo subtracta est a spirituali Episcoporum unitorum regimine, atque expulsi, suisque orbatu Ecclesiis, fundis, omnique illic subsistendi ratione legitimi Parochi. Propterea in iis locis vulgantar edicta, quibus supremi illi Praefecti Unitos ad non-Unitos attrahunt, minisque Episcopos, et Parochos absterrent, (f. 76) ne ullo modo audeant suos in pristina Unione retinere, ac ne admonere quidem, ut a seductione, intentatoque vi caveant; praescribuntur etiam iniuriosissimae formulae contra catholicam religionem, Romanumque Pontificem, quibus uti debeant, qui ad non-Unitorum communionem transferuntur. Ut aliqua tamen huiusmodi violentiis causa praetexatur, crimen infertur Unitis apud ipsos Provinciarum Praefectos, tamquam illi non-Unitorum conscientias vim inferant; iique Praefecti tunc nil aliud agunt, quam ut publice simulent se in suo quemque arbitrio relinquere eas circa religionem, quas malit, partes sequendi. At summam Maiestatis Tuae intelligentiam

¹¹⁵ Catharinae II, Moscoviae Czarinae (1763-1796).

¹¹⁶ Conventio Grodnensis inter Poloniam devictam, Rossiam et Prussiam, in qua secunda Poloniae divisio peracta fuit.

¹¹⁷ Victor Sadkovskyj, Episcopus Perejaslaviensis non Unitus (1785-1803). Ab anno 1794 Archiepiscopus Minscensis, dein Cernihivensis (1796). *Enc. Powszechna*, vol. 3, p. 660.

latere certe non poterit, quam efficax illa apud multitudinem insinuatio sit, qua utuntur, dum (f. 76v) dicunt gratum fieri Maiestati Tuae, cum ab Unione desciscitur; spesque inde utilitatum maximas ostendant, contraque quam gravi perturbant metu Episcopos, Parochos et quosque etiam Proceres, qui minus sua secudent gratia Unitorum ad non-Unitos transitionem. Dum haec omnia tibi, etsi breviter, nunciamus, existimare potes, certos plane Nos esse nihil eorum a te, tuaque autoritate vel emanasse, vel ratum factum esse, cum omnino persuasum nobis sit ex praestante tua cogitandi, agendique ratione, quam cordi habeas, ne generatim in ditionibus tuis conscientiarum tranquillitas perturbetur, cogaturque quisquam, vel obiecto metu, vel spe proposita ab eo religioso cultu, in quo natus, educatusque est, in alium commigrare, quamque hoc etiam (f. 77) peculiariter decreveris, ne ubicumque quispiam in Regnis tuis degat, debeat, aut ullo modo possit Unionis causa vexari, secus enim quae violentiae, ac seductiones fiunt in supra memoratis Volhyniae, et confinibus Provinciis, cur pariter non fierent in aliis, quae ex Varsaviensi Conventione¹¹⁸ Anni 1773 in tuam concesserunt potestatem? ubi tamen ex magnanimitate, ac iustitia Augustae Maiestatis Tuae Rutheni-Uniti libere, tranquilleque suae religionis cultum exercent, nec non et in ea etiam Lithuaniae parte, in qua nunc militares copiae tuae morantur, ac Princeps de Reprin tuae plane voluntatis conscius cum imperio sibi a te commisso praesidet. Nos plane memores, qua Augusta Maiestas Tua benignitate anno 1783 exceperit (f. 77v) Calcedonensem Archiepiscopum, quem ad te ob non dissimiles causas transmiseramus¹¹⁹, planeque agnoscentes, quam alienum ab aequissimo tuo sit animo, ut vis ulla eorum conscientis inferatur, qui eam profitentur religionem, in qua sacrum illud praeceptum viget, ac ubique semperque proponitur, ac praedicatur, fides scilicet, atque obedientia cum intima animi observantia, atque amore coniuncta a subiectis populis erga Regnantes praestanda, nihil certe nunc interponeremus morae, alium mittendi ad tuam Petropolitanam Aulam Ministrum, qui coram Maiestate Tua Catholicorum, qui in Volhynia sunt, ac in conterminis Regionibus statum exponeret, nostrisque te verbis etiam, atque etiam obsecraret, ut (f. 78) ea, quae illic aguntur contra Unitos ob religionis causam cessare iubeas, ac ad pristinam rationem restitui, neque deesset nobis ad hoc peragendum apud te ministerium vir, qui maximis suarum virtutum laudibus cumulatus, ut Venerabilis frater Laurentius, Archiepiscopus Thebarum¹²⁰, vel alius pariter non indignus tua regia humanitate, et clementia tibi videri posset; sed hoc mittendae Legationis consilium nostrum incerti, gratumne tibi futurum sit, in suspenso retinendum ducimus, donec de tua nobis voluntate constiterit, etsi pernecessariam eam esse missionem iudicemus, verentes scilicet ne religionis res interim in reliqua etiam Polonia turbentur, nisi Maiestas Tua pro singulari sua sapientia prompte occurrat, revocetque statum pristinum, (f. 78v) eumque prout erat imposterum constituat et confirmet. Si haec nostra succedat, quam

¹¹⁸ Conventio haec sanciebat primam divisionem Poloniae.

¹¹⁹ Agitur de missione Nuntii Apostolici Varsaviensis Joannis Andreae Archetti (1775-1784).

¹²⁰ Laurentius Litta, Nuntius Varsaviensis (1794). Missio haec revera locum habuit an. 1797-1799, post mortem Catharinae II, sub eius successore Paulo I. Cfr. ROUËT DE JOURNAL M. J., *Nonciature de Litta 1797-1799*, Città del Vaticano 1943.

decrevimus, Legatio, mirum in modum laetabimur nunc primum in uno eodemque Pontificatu nostro geminas ad te, Augustissima, et potentissima Imperatrix, missas esse ab hac Apostolica Sede Legationes, easque apud posteros amplissimo futuras testimonio, quae nostra sit de excellentis tui animi generositate, ac magnitudine existimatio, cum et tibi novum amplificandae immensae gloriae tuae argumentum subiiciamus, et nobis singulare incitamentum ad vota honorum omnium Auctori facienda pro incolunitate, ac felicitate tua, proque iis omnibus in Augustissimam Maiestatem tuam cumulandis caelestibus donis unde te ipsa quodammodo (f. 79) maior evadas, atque illustrior.

Datum Romae etc., die 12 Septembris 1795, Pontificatus Nostri Anno vigesimoprimo.

866.

Romae, 19 . II . 1795

Archiepiscopo Mohiloviensi, Ritus Latini, de vexationibus Unitorum ex parte Episcopi Perejaslaviensis in Volhinia et Podolia.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 190, fol. 82-84.

Venerabili fratri Stanislao¹²¹, Archiepiscopo Mohiloviensi.

PIUS PP. VI. Venerabilis frater, salutem etc.

Adeo manifesta, certaue est insectatio, qua Episcopus non-Unitus Pereiaslaviensis Victor Sadkowski exercet in Sanctam Unionem, praesertim in Wolhynia, finitimisque Provinciis, tantaue sunt, quae in eam invexit incommoda, ac detrimenta, ut tu ipse, Venerabilis frater, eandem ignorare non possis. Ad Nos, qui tam longe distamus, eiusmodi fama pervenit, ut maximam solitudinem pontificio nostro iniecerit animo, Nosque coegerit dolorem, querelasque nostras ad Augustae Imperatricis Maiestatem per litteras deferre, ab eiusque aequitate, et magnanimitate remedium aliquod implorare. Interim valde sublevamur hac cogitatione, quod adhibitae a Pereiaslaviensi, ipsiusque asseclis, ac fautoribus violentiae, et seductiones, neque profectae ab ipsa Imperatrice sint, neque ratae habitae; secus enim illae extra Provincias supramemoratas extensae pariter fuissent, ac in omni Russiae ditione vigerent; quod certe factum esse nullo haecenus vel nuncio, vel rumore ad Nos est perlatum. Magnam igitur in spem inducimur fore, ut Sua Maiestas supremam interponat auctoritatem ad praeterita reparanda damna, iubeatque ut Parochiae, ac Ecclesiarum bona suis restituantur Parochis, permittaturque populis, qui per seductiones ab Unione desciverunt, sub legitimos reverti Pastores, hisque legitimos agnoscere Episcopos. Haec nobis omnia pollicemur ab ipsa, ut diximus, iustitia, sapientia, magnique animi generositate Maiestatis

¹²¹ Stanislaus Siestrzencewicz, Archiepiscopus Mohiloviensis (1784-1826), antea Episcopus tit. Mallensis, ab anno 1774 nominabat sese Episcopum Albae Russiae. De eius activitate discordant iudicia historiorum.

Suae, vel quando nihil huiusmodi fuisset in publicis Conventionibus per solemnia promissa sancitum. Sed ut perspectiorem Imperatrici reddamus fiduciam hanc de ipsa nostram, quamque noster is iustus sit dolor magis, magisque declaremus, decrevimus ad eandem (si id Ipsi erit gratum) prout antea ob non dissimilem causam fecimus, unum mittere ex probatis Ministris nostris, eique hanc maximi momenti rem coram Augustissima Maiestate tractandam, exorandamque committere. Sed non idcirco non valde profuturam existimamus operam tuam, qua ipse interea, dum haec necessario mora trahitur, eas praeoccupes partes, vel si ita res tulerit, ut nemo a nobis mittendus sit, etiam suppleas, ac in teipsum agendas suscipias. Proinde maiorem in modum a te petimus, Venerabilis frater, ut pro tua, quam geris in Dei Ecclesia, persona enitaris, omnemque qua flores apud Augustissimam Dominatricem huc conferas gratiam, ut Catholicorum causam, quae tua etiam est causa, sustineas, tuearis, vindices. Nostra de tuo in religionem studio persuasio facit, ut hoc a te fidenter petamus, tibi praeclaram hanc demus opportunitatem de Ecclesia Orthodoxa, de Sancta hac Sede, ac de nobis ipsis bene, egregieque merendi. Propterea singularem paternam benevolentiam tibi ex animo deferimus, ac in eiusdem pignus Apostolicam benedictionem Fraternitati Tuae peramanter impertimur.

Datum Romae etc., die 19 Septembris 1795, Pontificatus Nostri Anno vigesimoprimo.

867.

Flonentiae, 8 . III . 1798

Bulla erectionis Eparchiae Suprasliensis pro parte olim Eparchiarum Kioviensis et Berestensis, quae cessit dominio Prussiae.

THEINER A. *Die neuesten Zustände der katholischen Kirche beiden Ritus in Poland und Russland seit Katerina II bis auf unsere Tage*, Augsburg 1841, p. 296-300.
Akty izdavajemyje..., vol. XVI, p. 257-265.

PIUS PP. VI Ad perpetuam rei memoriam.

Susceptum a Nobis, Divina sic disponente Clementia, imparibus sane meritis pastorale officium exigit, ut spiritualibus Dominici Gregis, cui tanquam Universalis Pastor praesidemus, utilitatibus provide firmiterque prospicere curemus, quod si per plures gregis huiusmodi oves a propriis eorum pastoribus, quos in partem sollicitudinis Nostrae vocavimus, earum cura et inspectione, Pastoribus ipsis, Nobis hoc in munere Adiutodibus, concredita, temporum humanarumque rerum vicissitudine seiunctas atque distractas et spirituali pabulo destitutas novimus, de Apostolicae potestatis plenitudine illas ab eorum, quibus modo subsunt, Pastoribus perpetuo segregando, novam inter praefinitos agrorum, ubi ipsae consistunt, limites Pastoraalem satagimus instituere Sedem ovesque sic distractas in unum reducere gregem, qui, provido Pastori, eas probe nascenti et nutrienti, specialiter commissus, spiritualibus proficere valeat incrementis.

Cum itaque, sicut accepimus, fideles Nationis Graeco-Rutheni Ritus, Catholicae Ecclesiae inviolabili unitatis foedere iunctae, in Districtibus Kioviensis et Brestensis respective Dioecesium et temporali Friderici Guilelmi hoc nomine Tertio Borussiae Regis Illustris¹²² dominio subiecti, ob plures nec superabiles rerum circumstantias et difficultates, necessariis Sacrosanctae Religionis subsidiis, quae a legitimis Ecclesiarum suarum Pastoribus consequi solebant, antequam ii eorumque Episcopales Sedes alienae temporali Ditioni cesserent, adeo destituti evaserint et de praesenti reperiantur, ut ad rectam cursum inter Pastores ipsos eorumque gregum distractas portiones, in praedictis Dioecesibus existentes, communicandi aperiendam viam, qua suas quisque Pastor circum habeat oves spirituali pabulo nutriendas, novae Episcopalis Sedis erectio eiusdem Graeco-Rutheni Ritus in loco, ad hunc effectum iuxta populorum illarum regionum novo Praesuli adiiciendorum vicinitatem aptiori, nedum utilis, verum etiam necessaria dignoscatur.

Cumque sicut ex insinuatione praedicti Friderici Guilelmi Regis Nobis facta pariter accepimus, in Provincia Lithuaniae adsit Supraslie locus,¹²³ olim in limitibus eiusdem Lithuaniae Ducatus nunc vero in Novo-Orientali Borussia, sub temporali eiusdem Regis ditione, in planitie positus, qui licet circum adiacentes habeat silvas, amoenitate tamen positionis et salubritate aeris gaudet et in quo celebre Monasterium, Suprasliense nuncupatum, Ordinis Sancti Basilii Ruthenorum, viginti duobus monachis eorundem Ordinis et Ritus expresse professis constans, quod quidem Monasterium a fluvio Suprasliense nuncupato ipsum alluens nomen sumpsit, iam pridem fundatum reperitur. Ad ipsum autem Monasterium, cui attinguum est Palatium pro habitatione pro tempore existentium illius Abbatum, alias per quemdam tum in humanis agentem Leonem Kiska,¹²⁴ dum viveret, Archiepiscopum Kioviensem, unaque simul Monasterii praedicti Abbatem, ex solido muro exstructum, spectat ecclesia, Deo in honorem Annuntiationis Beatae Mariae Virginis et Divi Joannis Evangelistae dicata, usque et de anno eiusdem Domini MDLIII per quemdam tunc in iisdem humanis agentes Josephum Soltan,¹²⁵ Kioviensem pariter dum viveret Archiepiscopum et Alexandrum Chodkiewicz a fundamenti, ut fertur, aedificata, lamina alba ferrea cooperta ac quatuor turribus, quinta vero eminentiori supra medium tectum exornata, fonte baptismali ac sacrario, necessariis ad divina peragenda et ad Pontificalia exercenda officia supellectilibus, utpote in Monasterio Abbatiali sat bene proviso instructa, nec non, praeter Lignum Sanctissimae Crucis, quampluribus Sanctorum decorata Reliquiis, inter quas illae Sanctorum Martyrum Justini et Josaphat, dum viveret, Archiepiscopi Polocensis, adnumerantur, quae in tumulis eliganter excitatis exornatisque speciali cultu et veneratione decenter asservantur, nec non choro, organis ac segregata ab

¹²² Fridericus Guillelmus III, Rex Borussiae vel Prussiae (1797-1840). Post secundam et tertiam Poloniae divisionem territorium hoc cessit dominio Prussiae.

¹²³ Abbatia Suprasliensis, foundationis familiae Chodkiewiczianae, sita prope Bilostok, in dioecesi Kioviensi Ritus Rutheni.

¹²⁴ Leo Kiška, Metropolita Kioviensis (1714-1729).

¹²⁵ Josephus Soltan, Metropolita Kioviensis (1507-1521). Anno 1553 Metropolita Kioviensis nominabatur Macarius II (1534-1556).

ipsa Ecclesia turri cum campanis non mediocribus ditata, suum penes silvam, non procul ab ipsa ecclesia, sepibus circumductum habens coemeterium, quod ab illo Monachorum omnino separatum existit, cum cadavera eorum in Catacumbis, in horto prope Monasterium huiusmodi existentibus, super quibus Capella exstructa reperitur, pie condantur.

Hic sane Suprasliae locus, qui suam ex ipso Monasterio mutuatur celebritatem, ut ad Episcopalis Civitatis honorem evchatur dieticque Monasterii Ecclesia ad Cathedralis Ecclesiae statum ac dignitatem promoveatur, respective dignus et digna reputentur, proindeque Nos, qui usque et de anno eiusdem Domini MDCCLXXXVII ad tanti momenti opus, aequa, qua par est, maturitate inchoandum, praevio consilio Congregationis Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium, ecclesiasticis istarum regionum negotiis praepositorum, auditisque pariter Ecclesiarum superius expressarum Praesulibus, quorum Dioeceses infrascriptae necessariae dismembrationi fuissent obnoxiae, animum Nostrum adiecimus ac singularem pro illius prosecutione et perfectione annuentiam demonstravimus, quique ex processu, a Venerabili etiam fratre Nostro Onuphrio Cajetano Szembek, moderno Plocensi episcopo¹²⁶ tunc temporis Coadjutore cum futura successione, tunc in eisdem humanis agenti Hilario etiam Szembek¹²⁷ tunc, dum viveret, Episcopo Plocensi, in regimine et administratione ipsius Plocensis Ecclesiae Apostolica auctoritate praedicta deputato, in vim facultatis, utriusque eorum ad id specialiter et expresse delegatae, in partibus confecto de erectionis huiusmodi necessitate, plene instructi fuimus, eximiam praedicti Friderici Guilielmi Regis erga Catholicos, suis in Ditionibus existentes, humanitatem et beneficentiam, Regiamque simul liberalitatem summo opere commendantes Fideique Catholicae propagatione in illis praesertim Regionibus, quantum in Domino possumus, favorem simulque indubium huic inclytae Genti Apostolicae Nostrae benignitatis testimonium praebere volentes, motu proprio et ex certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine praedictum Suprasliae locum in civitatem Suprasliensem nuncupandam, cum omnibus iuribus, honoribus et praerogativis, quibus aliae Civitates, Pontificali Sede insignitae, et earum respective cives utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, atque uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum; praefatam vero ecclesiam, in Cathedralem Ecclesiam sub praedicta Annuntiationis eiusdem Beatae Mariae Virginis et S. Joannis Evangelistae invocatione saecularem eiusdem Graeco-Rutheni uniti ritus exstituram, in qua eiusdem Monasterii Monachi praedicti, ut antea remanere et opportuna Ecclesiae ipsae in Cathedralem, ut infra, erigendae et primo futuro et pro tempore existenti Episcopo obsequia praestare et exhibere et in assuetis eorumque piis operibus et religiosis officiis, ritibus et caeremoniis, iuxta Ordinis eiusdem S. Basilii regularia instituta, perseverare valeant, antiquis eiusdem Monasterii foundationibus salvis, firmis et ilaesis, ut antea remanentibus; et in ea dig-

¹²⁶ Onuphrius Caietanus Szembek, Coadiutor Christophori Szembek ab anno 1797 in Episcopatu Plocensi, cui successit in Sede. Obiit an. 1808. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 3, p. 666.

¹²⁷ Christophorus Hilarius Szembek, Episcopus Plocensis (1784-1797); antea ab anno 1770 Coadiutor cum tit. Ep. Uranopolitani. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 3, p. 666.

unitatem ac Sedem Episcopalem pro uno deinceps Episcopo Suprasliensi nuncupando, eiusdem Ritus, qui eidem Ecclesiae illiusque Civitati Suprasliensi, ut infra, assignandae praesit, Abbates, inferiores Praelatos et alias ad Synodum convocet, ac omnia ac singula iura, officia et munia Episcopalia habeat et exerceat, cum suis Capitulo, Sigillo, Area, Mensa Episcopali ceterisque Cathedralibus et Pontificalibus Insigniis, nec non iuribus, iurisdictionibus, facultatibus, praecementiis, praerogativis, honoribus, gratiis, favoribus et indultis realibus, personalibus et mixtis, quibus aliae illarum partium Cathedrales Ecclesiae eius Ritus illarumque Praesules quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut ex privilegio particulari similiter utuntur, fruuntur, potiuntur et gaudent, atque uti, frui, potiri et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum.

Atque in ea unam post Pontificalem maiorem pro una Presbytero, qui Capituli eiusdem Cathedralis Ecclesiae, ut infra, erigendae Caput existat ac tam Choro, quam in eodem Capitulo actibusque capitularibus publicis et privatis processionibus aliisque functionibus quibuscumque praesit ac praecementiam et praecedentiam, primumque et digniorem locum habeat; ac aliam, secundam nuncupandam, respective Dignitates exstitutas pro uno item presbytero respective futuris dictae Cathedralis Ecclesiae, ut infra erigendae, Praepositis seu Praelatis; nec non quatuor Canonicatus totidemque Praebendas pro quatuor similiter presbyteris, respective quoque futuris dictae Cathedralis Ecclesiae, ut infra erigendae, Canonicis, qui illius Capitulum constituent et apud Cathedralis Ecclesiam praedictam, ut infra erigendam, personaliter certis a futuro Suprasliensi Episcopo in statutis, ut infra, condendis, praefiniendis diebus et temporibus residere horasque canonicas, tam diurnas, quam nocturnas ceteraque divina officia, iuxta eorum Ritus servataque Ecclesiae disciplina, ad instar aliarum Cathedralium Ecclesiarum eiusdem Ritus, recitare, decantare et psallere, eidemque Cathedrali Ecclesiae, ut infra, erigendae, laudabiliter deservire respective debeant et teneantur, qui quidem Canonici, prout etiam Dignitates praefatae in dicta Cathedrali Ecclesia, ut infra, erigenda pro tempore obtinentes, utpote ad residendum continuo apud illam minime adstricti, Parochiales Ecclesias earumque perpetuas Vicarias eiusdem Graeco-Rutheni Ritus, eis canonicè conferendas, una cum suis Dignitatibus, seu Canonicatibus et Praebendis, ut infra erigendis, absque dispositione Apostolica consequi et retinere queant, ad quem effectum opportunam eis ex nunc pro tunc licentiam tribuimus et facultatem, ad Omnipotentis Dei, Beatissimae Virginis Mariae laudem et gloriam praedictae S. Joannis Evangelistae honorem, fideique catholicae exaltationem dicta Apostolica auctoritate perpetuo erigimus et instituimus, dictamque Cathedralis Ecclesiam, per Nos sic, ut praefatur, erectam, Sedi Apostolicae immediate subiectam semper et perpetuo fore et esse, eadem Apostolica auctoritate declaramus.

Cum autem Dioecesis Suprasliensis illiusque Ecclesiae Episcopalis respective territorium constitui debeat ex illis Dioecesium portionibus eiusdem Graeco-Rutheni Uniti ritus, sub praedicti Frederici Guiljelmi Regis temporali dominio praedicto existentibus, ad hoc, ut oves distractae ad proprium perducantur ovile simulque providus Pastor praefinitos habeat agrorum limites, ubi illas pascuis doctrinae salutaribus valeat saginare; cumque, sicut accepimus, pro infradictae dismembrationis executione procedendum im-

primis sit a Dioecesi Kioviensi¹²⁸ et a Dioecesi Brestensi¹²⁹ Lithuaniae in longum, praeter Civitatem Varsaviensem, per Nos nuper Apostolica auctoritate erectam, in qua unica dumtaxat reperitur Monachorum praedicti Ordinis S. Basilii regularis domus, quam vocant residentiam, a fluvio Niemen ad fluvium Bug numerando triginta milliaria, in cuius meditullio praedictum Suprasliense, ut praefatur, nuncupatum extat monasterium, in latum vero, quoniam declive procedit, ad summum ad duodecim, ad minimum autem ad quatuor milliaria protenditur; adsint praeterea futurae Dioecesi huiusmodi adiicienda viginti septem oppida et quadringentae septuaginta quatuor villae, in quibus Ecclesiae Kiovensi avellendae triginta una et ex Brestensi respective Ecclesia triginta septem adnumerantur, quarum quidem Ecclesiarum respective Parochiani sacramentorum poenitentiae et Eucharistiae capaces quadraginta quinque millium et ultra numerum constituent, minime tamen comprehendendo Parochianos Latini Ritus, qui duas ubique locorum iis in partibus distinctas habeant Parochiales Ecclesias; inter has ecclesias praeter monasterium Suprasliense praedictum sint duae regulares Domus, quae residentiae itidem nuncupantur, eidem Monasterio per primaevas suas fundationes annexae, ac pro habitatione monachi eiusdem Ordinis ab ipso monasterio transmittuntur, scilicet residentia Kuznicensis in Borussia Novo-Orientali septem milliariibus et Varsaviensis¹³⁰ in Borussia Meridionali triginta duobus milliariibus a Monasterio praedicto distantes; post secutam divisionem Regni Poloniae reperiatur insuper in Borussia Novo-Orientali Residentia itidem Monachorum praedicti Ordinis S. Basilii in civitate Drogiea, quatuordecem milliariibus ab eodem Monasterio dissita, antea ad Provinciam Lithuanam pertinens, quae dilecto filio moderno Generali praedicti Ordinis S. Basilii Magni extitit subjecta. Kuznicensis et Varsaviensis Residentiae ex re mutati hodierni Abbatis monasterii huiusmodi suas habeant Parochiales ecclesias earumque Pastores curam animarum Parochianorum sui Ritus exercent; ac demum Drochicensis quoque Residentia pro sacris peragendis missionibus pie reperiatur fundata, in quibus quidem regularibus Domibus seu qualibet Residentia huiusmodi tres eiusdem Ordinis Monachi continuo commorantur; ac praeter praedictas Residentias nulla amplius nec virorum, nec Monialium eiusdem Graeco-Rutheni Uniti Ritus enumerantur Monasteria.

Nos praeterea praedictum Suprasliae locum et cum eo Monasterium praedictum ac superius descriptas illarum Dioecesium portiones, ubi oppida, loca, villae, Ecclesiae et regulares Domus seu Residentiae huiusmodi Graeco-Rutheni Uniti Ritus, ut praefertur, existunt, quaeque temporali praedicti Friderici Guilielmi Regis dominio subsunt, ab eisdem Dioecesibus, ubi op-

¹²⁸ Eparchia Kioviensis Ritus Rutheni extendebatur tum in Lithuania tum in Bielaruj tum in Ucraina, ubi et civitas unde nomen habet. Territorium, quod supra Eparchiam Volodimiriensem et Berestensem nec non Pincensem et Turoviensem versus septentrionem protendebatur, infra tamen Eparchiam Polocensem et Vitebscensem, pertinebat ad Archieparchiam Kioviensem. Post secundam et tertiam Poloniae divisionem pars Eparchiae cessit dominio Prussiae.

¹²⁹ Eparchia tunc Berestensis (post an. 1798), antea vero canonicè invicem perpetuo unita Volodimiriensis et Berestensis, parte sua Berestensi venit sub dominium Regis Prussiae.

¹³⁰ Abbatia Suprasliensis duas habuit Residentias sibi obedientes: Kuznicensem, in districtu Grodnensi, fundationis alicuius Micuta, et Varsaviensem, in ipsa civitate, fundationis Metropolitanae Kioviensis.

oppida, loca, villae, Ecclesiae et regulares Domus, seu Residentiae huiusmodi comprehenduntur, dicta Apostolica auctoritate perpetuo dismembramus, dividimus et separamus dictumque Suprasliae locum unaque simul Monasterium praedictum ac huiusmodi Dioecesium portiones, in quibus oppida, loca, villae, Ecclesiae et regulares Domus, seu Residentiae huiusmodi, ut praefertur, existunt et in eis quoque contentas utriusque sexus personas, habitatores et incolas, Laicos, quam Clericos et Presbyteros quoscumque, cuiusvis status, gradus, ordinis et conditionis, dummodo tamen eiusdem Graeco-Rutheni Uniti Ritus existant, ab ordinaria iurisdictione, potestate et superioritate Venerabilium fratrum nostrorum modernorum et pro tempore existentium illarum Ecclesiarum respective Praesulum, quibus modo subesse dignoscantur, dicta Apostolica auctoritate perpetuo disiungimus atque eximimus, ac locum Suprasliae praedictum in Civitatem Episcopalem per Nos, ut praefertur, erectum et Monasterium huiusmodi, nec non memoratas illarum Dioecesium portiones, oppida, loca, villas, Ecclesias et regulares Domus, seu Residentias, ut praefertur, complectentes et in eis itidem, ut praefertur, contentos utriusque sexus habitatores et incolas, tam Laicos, quam Clericos et Presbyteros superius expressos, praedicti Graeco-Rutheni Uniti Ritus novae Ecclesiae Episcopali Suprasliensi illiusque futuro Praesuli pro suis Civitate, Territorio, Dioecesi, Clero et populo, ita quod liceat personae, Ecclesiae Episcopali Suprasliensi per Nos, ut praefertur, erectae et institutae, tam a primaeva illius erectione et institutione huiusmodi quam deinceps pro tempore quomodolibet Pastoris solatio destitutae, in Episcopum dicta Apostolica auctoritate praeficiendae per se, vel per alium, seu alios eius nomine, veram, realem, actualem et corporalem possessionem, seu quasi regiminis spiritualis et omnimodo iuris Dioecesani in dicto Suprasliae loco et Monasterio, praedictis oppidis, locis et villis sic per Nos ab eisdem Dioecesibus, ut praefertur, dismembratis, divisis et separatis, propria auctoritate libere apprehendere et apprehensam perpetuo retinere.

Venerabilis quoque fratris nostri moderni et pro tempore existentis Archiepiscopi Kioviensis, vel cuiusvis alterius licentia desuper minime requisita, auctoritate Apostolica praefata similiter perpetuo assignamus et respective supponimus atque subiicimus, eiusdem Monasterii monachi praedicti animarum curam in villis, circa Monasterium ipsum existentibus, quae a parochialibus ecclesiis sunt remotiores, exercent, cum consensu vero Parochorum loci, dum constituetur Episcopus, facile foret propinquiores villas Ecclesiae Cathedrali per Nos, ut praefertur, erectae adiungere curamque animarum huiusmodi Monachis saepedictis committere; eidem propterea primo futuro Suprasliensi Episcopo, ut ipse id pro suo arbitrio et conscientia, servatis tamen de iure servandis, facere et exequi libere et licite possit et valeat, plenam et absolutam licentiam et facultatem dicta Apostolica auctoritate tribuimus et impartimur; utrique vero mensae episcopali scilicet et capitulari dotationi, quam praedictus Fridericus Guilielmus Rex, ut quoque accepimus, in se suscepit constituendam, providere volentes, ad hoc, ut primo futurus et pro tempore existens Suprasliensis Episcopus Pontificalem Dignitatem decenter tenere ac futuri quoque et pro tempore existentes Capitulum et Canonici dictae Cathedralis Ecclesiae per Nos, ut praefertur, erectae, congrue sustentari ac onera eis et eorum cuilibet respective pro tempore quomodolibet incumbentia supportare respective valeant, primo futuro et

pro tempore, ut praefertur, existenti Suprasliensi Episcopo praedicto, videlicet summam quatuor millium Thalerorum Borussicorum e Regio aulario quotannis in parata pecunia pendendam, Capitulo vero et Canonicis praedictis pro praedictarum duarum Dignitatum ac quatuor Canonicatum et Paebendarum per Nos, ut praefertur, erectarum et erectorum respectivam Dotem congruam itidem annuam summam ex Regia liberalitate illas et illos pro tempore respective obtinentibus annuatim pariter tribuendam. Ita quod liceat eidem primo futuro et pro tempore existenti Suprasliensi Episcopo praedicto, videlicet praedictam iam sibi, ut praefertur, attributam, seu designitam, dignitates vero, ac Canonicatus et Praebendas per Nos, ut praefertur, respective erectas et erectos, pro tempore respective obtinentibus eis, ut praefertur, tribuendam, respective summas huiusmodi respective percipere, exigere, levare et in eorum ac episcopalis et capitularis respective usus et utilitatem convertere, mensarum per Nos, ut praefertur, respective erectarum, cuiusvis quoque licentia desuper minime requisita.

Eidem primo futuro et pro tempore existenti Suprasliensi Episcopo Palatium in parte aedificii eiusdem Monasterii, iuxta combinationem cum illius monachis praedictis iam factam, quod satis decens et pro commoda Episcopi habitatione sufficiens existit, sumptus tamen aliquos pro illius restoratione et conservatione requirit et licet eidem Monasterio sit coniunctum, segregatos tamen ab illo habet aditus, in quo quidem Palatio idem primo futurus et pro tempore existens Suprasliensis Episcopus Residentiam suam facere debet, dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuo respective concedimus et assignamus; ac praeterea eidem primo futuris et pro tempore existentibus dictae Cathedralis per Nos, ut praefertur, erectae Praepositis, seu Praelatis ac Canonicis, ut ipsis eorumque in singulis Dignitatibus ac Canonicatibus et Praebendis respective Successores pro maiori dictae Cathedralis Ecclesiae per Nos, ut praefertur, erectae decore et in ea divini cultus augmento et ad ingerendam in animis populorum erga Dei Ministros in dicta Cathedrali Ecclesia per Nos, ut praefertur, erecta, ecclesiasticis ministeriis et officiis addictos, maiorem venerationem consuetam pastorem crucem iuxta formam ab eodem primo futuro Suprasliensi Episcopo praefiniendam, tam in dicta Cathedrali Ecclesia per Nos, ut praefertur, erecta, quam extra, ac in processionibus ac funeralibus, anniversariis et aliis quibuscumque actibus et functionibus publicis et privatis, ac inter Missarum et Horarum Canonicarum diurnarum ac Vesperarum, aliorumque divinatorum officiorum huiusmodi celebrationem, ac etiam extra praedictam Civitatem Suprasliensem per Nos, ut praefertur, erectam et ubique locorum, etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis, etiam in praesentia dictorum S. R.E. Cardinalium atque de Latere Legatorum, Vicelegatorum et Sedis Apostolicae praedictae Nuntiorum, Archiepiscoporum et Episcoporum, ac Ordinarii etiam proprii vel aliorum quorumcumque deferre et gestare, illaque respective uti libere et licite possint et valeant.

Ac ulterius, ut ipsi et eorum quilibet, nec non ipsorum Officiales et Ministri, nec non res, bona, proprietates et iura quaecumque omnibus et singulis, tam spiritualibus, quam temporalibus privilegiis, immunitatibus, exemptionibus, praeminentiis, antelationibus, concessionibus, indultis, favoribus et gratiis aliae similes illarum partium Cathedrales Ecclesiae eiusdem Ritus eorumque Capitula, Canonici ac Dignitates in eis obtinentes, illarumque

Ministri, nec non bona, iura, res et proprietates de iure, usu, consuetudine, privilegio, aut alio quomodolibet, non tamen titulo oneroso, aut ex indulto, seu privilegio particulari, utuntur, fruuntur, potiuntur ac gaudent et uti, frui et gaudere possunt et poterunt quomodolibet in futurum, similiter et pariformiter ac aequae principaliter absque ulla prorsus differentia, dummodo tamen illa sint in usu et non revocata, nec sub aliqua revocatione comprehensa sacrisque Canonibus et Concilii Tridentini Decretis aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis non repugnent etiam uti, frui, potiri et gaudere possint et valeant, perinde ac si eis specialiter, nominatim et expresse concessa fuissent, dicta Apostolica auctoritate itidem perpetuo respective concedimus et indulgemus.

Caeterum ut recta in praedicta Cathedrali Ecclesia per Nos, ut praefertur, erecta, in iis, quae illius Capitulum concernat, ecclesiastica disciplina servetur, eisdem primo futuris et pro tempore existentibus dictae Cathedralis Ecclesiae per Nos, ut praefertur, erectae Praepositis, seu Praelatis, singulisque Canonicis, ut ipsi capitulariter congregati, pro dictae Cathedralis Ecclesiae per Nos, ut praefertur, erectae, illiusque Mensae Capitularis, nec non Sacristiae eorumque respective rerum et honorum ac iurium, tam spiritualium, quam temporalium prospero et felici statu, regimine, gubernio et directione, nec non onerum illis nunc et pro tempore quomodolibet incumbentium supportatione, divinorum officiorum, processionum, funerum, anniversariorum et suffragiorum celebratione, distributionum quotidianarumque et aliorum emolumentorum quorumcumque exactione, perceptione, repartitione, divisione, poenarum per absentes et divinis officiis huiusmodi suis loco et tempore non interessantes, seu onera et ministeria eis et eorum cuilibet respective incumbentium, incurrendarum incurso, servitio Chori praestando, singulorum praesentis notandis ceremoniis ac ritibus, in praedicta Ecclesia Cathedrali per nos, ut praefertur, erecta, illiusque Choro, Capitulo, processionibus, aliisque actibus Capitularibus huiusmodi servandis, Officialibus et Ministris dictae Cathedralis Ecclesiae per Nos, ut praefertur, erectae, necessariis deputandis et amovendis, ac ministeriis per ipsos subeundis, salariis et stipendiis praestandis, ac quibuscumque aliis rebus in praemissis et circa praemissa quomodolibet necessariis et opportunis, quaecumque statuta, ordinationes, capitula et decreta, licita tamen et honesta ac eisdem sacris Canonibus et concilii Tridentini praedicti decretis huiusmodi minime adversantia et per futurum Suprasliensem Episcopum prius examinata et edita, praevia dicti futuri Episcopi approbatione, declarare, interpretare et in meliorem formam redigere et reformare, seu etiam alia de novo integro eisdem in sacris canonibus et constitutionibus Apostolicis decretisque praedictis minime adversantia, et, ut praefertur, per dictum Episcopum prius examinanda et approbanda, ac per eos, ad quos spectat et pertinet, ac pro tempore spectabit et pertinebit, observandis, sub poenis in contravenientes infligendis, similiter edere libere et licite possint et valeant, plenam, liberam et omnimodam facultatem, potestatem et auctoritatem dicta Apostolica auctoritate perpetuo concedimus et impartimus; ac erectionem, institutionem, declarationem, exemptionem, suppositionem, subiectionem utriusque licentiae et facultatis impartitionem, concessionem, assignationem, indultum, nec non easdem praesentes semper et perpetuo validas et efficaces existere suosque plenarios et integras effectus sortiri et obtinere, ac ab

omnibus et singulis, ad quos nunc spectat et pro tempore quomodolibet in futurum, firmiter et inviolabiliter observari debere, ac ullo unquam tempore, ex quocumque capite, vel qualibet causa, quantumvis iuridica et legitima, etiam ex eo, quod causae, propter quas eadem praesentes emanarunt, adductae, verificatae et iustificatae non fuerint, de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis, vel inviolabilitatis vitio, seu intentionis Nostrae, aut quocumque alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitabili ac specialem et individuum mentionem et expressionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda non fuerint, aut ex quocumque alio capite de iure, vel facto, seu statuto, vel consuetudine aliqua resultante, seu et enormis, enormissimae totalisque laesionis, aut quocumque alio colore, praetextu, aliave ratione, vel causa quantumvis iusta, rationabili, iuridica, pia, privilegiata et tali, quae ad effectum validitatis praemissurum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra et aliis superius expressis nullibi appareret, notari, impugnari, invalidari, retractari in ius vel controversiam revocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, aut adversus illas restitutionis ad viam et terminos iuris, aut aliud quodcumque iuris huiusmodi et facti, aut gratiae, vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet etiam motu et scientia et potestatis plenitudine similibus concesso et impetrato quempiam uti, seu se iuari in iudicio, vel extra illud posse, neque easdem praesentes, sub quibus similibus vel dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, derogationibus aliisque contrariis dispositionibus, per quascumque litteras et constitutiones Apostolicas, aut Camerae Apostolicae regulationes, etiam in crastinum assumptionis Nostrae et successorum Nostrorum Romanorum Pontificum pro tempore existentium ad Summi Apostolatus apicem, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, etiam Consistorialibus, ex quibuslibet causis, etiam sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et Decretis et si in eis de eisdem praesentibus earumque toto tenore ac data specialis mentio fiat, editas, ac imposterum edendas comprehendi, sed semper et omnino ab illis excipi et quoties illae emanabunt, toties in pristinum et validissimum, ac eum in quo antea quomodolibet erant statum restitutas, repositas et plenarie reintegratas fore et esse, sicque et non alias per quoscuque Iudices ordinarios vel delegatos, quavis auctoritate fungentes, ac S.R.E., praedictae Cardinales atque de Latere Legatos, dictaeque Sedis Nuntios huiusmodi, aliosque quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa ac privilegio fungentes ac honore et praesentia fulgentes, sublata eis et eorumque cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate in quocumque iudicio et in quacumque instantia iudicari et definiri debere et si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane dicta Apostolica auctoritate motu, scientia et potestatis plenitudine similibus decernimus.

Postremo autem desiderantes, ut singula praemissa sic per Nos, ut praefertur, ad spiritualem animarum salutem divinique nominis gloriam disposita et ordinata, debitae executioni demandentur et quaecumque obstacula, quae forsitan desuper oriri possent, dirimantur, hinc praedictum Onuphrium Cajetanum, modernum Episcopum Plocensem, in executorem pro executione tantum earumdem praesentium Apostolica auctoritate praedicta constituimus

Nihilus Episcopus, Servus Servorum Dei,

venerabili Fratri Nicolao Savaryn, Ordinis S. Basilii Magistri Congregationis Premonstratensis, Episcopo Thulari, Totius in Exarchiam
 Apolloniensi pro fidelibus Premonstratensibus Congregationis in Exarchia Romana, Decretis, commorantibus, salutem et apostolicam benedictionem
 nem. Commisimus, humiliter Nobis ab eodem Patre nostro Principe supradictis, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 omnia Nobis, in pontificali dignitate curandi, ut, sedulis amibus, adhibere, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 ne Savaryn, Occidentali de gentibus, Episcopi sub plumbis Premonstratensibus, Commisimus, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 Sabore, Nos, de venerabilium Fratrum, Nobis, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 in Exarchiam, Episcopi, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 institutionum, in spiritualibus, in temporalibus, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 omnibus et oblationibus, pastoralibus, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 autem et mandatis, ut, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 licet, Ordines, gratiam et communionem, deis, Episcopi, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 mulas, pro, Orientalibus, de gentibus, Episcopi, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 Ecclesie, Orientali, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 nus, ut, illi, Regibus, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 dicitur, in, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 dicitur, in, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 veritas, in, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 pro, in, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 haditis, Occidentalis, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 no, Domini, in, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum

Sed. D. S. Cancellario
 + F. Caro Monachus Collegii
 et collegii Romanus
 Capitulum
 duobus vicibus, in
 Anno MDCCLXXV
 Episcopi, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum

Affidat, Saltem, in, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 Regio, in, quibus in nobis, idem, proficiantibus, Antistes, qui sibi orationem Domini in unum
 Angely, Servus, Servorum, Dei



et deputamus. Eidemque Onuphrio Cajetano, Episcopo, facultatem, ut ipse dilectum etiam filium suum in spiritualibus Vicarium Generalem, sive Officiale, aut quamcumque personam in dignitate tamen ecclesiastica constitutam pro huiusmodi executionis effectu subdelegare libere et licite possit, ac tam eidem Onuphrio Cajetano, Episcopo, quam Vicario, aut Officiali, vel Delegato huiusmodi, ut ipsi, vel eorum quilibet super quacumque oppositione in actu executionis huiusmodi quomodolibet oritura, servatis tamen, quae fuerint de iure servanda, definitive pronunciare libere quoque et licite valeant ac respective valeat, eadem Apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium concedimus et impartimur.

Non obstantibus nostris et Cancellariae praedictae regulis de iure quaesito non tollendo ac de dismembrationibus et unionibus ad partes committendis, ac de exprimendo in eis vero annuo beneficiorum ecclesiasticorum valore nec non Lateranensis Concilii uniones et applicationes perpetuas, nonnisi in casibus a iure permissis, fieri et ab Ecclesiis membra distingui et dividi prohibentibus, ac quibusvis aliis et in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis editis, vel edendis specialibus, vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis dictarumque Ecclesiarum, quae dismembrationem huiusmodi patiuntur, etiam roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque indultis et litteris Apostolicis quibusvis Superioribus et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis et insolitis clausulis et aliis Decretis in genere, vel in specie ac alias in contrarium praemissorum quomodolibet, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, concessis et concedendis, quibus omnibus et singulis et si pro illorum sufficienti derogatione alias de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, aut quaevis alia expressio habenda, seu quaelibet alia et exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, et forma in illis tradita, observata et inserta forent, eidem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, latissime et plenissime, specialiter et expresse, nec non opportune et valide ad praemissorum validissimum et effectum, motu, scientia et potestatis plenitudine similibus, harum serie derogamus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae erectionis, institutionis declarationis, dismembrationis, divisionis, separationis, disiunctionis, exemptionis, suppositionis, subiectionis, licentiae et facultatis, impartitionis, concessionis, assignationis, indulti, decreti, constitutionis, deputationis et derogationis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum prope Florentiam in Coenobio Carthusianorum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo Septingentesimo Nonagesimo Octavo, pridie Nonas Martii, Pontificatus Nostri anno vigesimo quinto.

Pro D. Card. Pro-Datario G. Can. Honorati, Datariae Apostolicae Praefectus.

Visa di Curia I. Manassi.

F. Lavizzarius.

868.

Florentiae, 27 . III . 1799

Provisio Ecclesiae noviter erectae Suprasliensis in persona Theodosii Vyslockyj, hucusque Abbatis Suprasliensis.

Akty izdavajemyje..., vol. XVI, p. 263-265, nr. 196.

THEINER A., *Die neuesten Zustände...*, p. 296-300.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei, Dilecto filio Theodosio Wislocki, Electo Suprasliensi¹³¹, salutem etc.

Apostolicum officium, meritis licet imparibus, Nobis ex alto commissum, etc. gubernare. Sane Ecclesia Suprasliensis Ritus Graeco-Rutheni Sanctae Romanae Ecclesiae uniti, in Borussia Orientali sita, per Nos nuper Apostolica auctoritate erecta et instituta, Sedi Apostolicae immediate subiecta, a primaeva illius erectione et institutione huiusmodi Pastoris solatio destituta, Nos ad provisionem eiusdem Ecclesiae Suprasliensis celerem etc. habitam, demum ad te, Praesbyterum Kioviensem, seu alius civitatis vel Dioecesis, ex catholicis, honestis legitimoque matrimonio iunctis parentibus procreatum, sexagenario maiorem, et a pluribus annis in sacro presbyteratus ordine constitutum, nec non Monachum Ordinis S. Basilii Magni nuncupati eiusdem Ritus expresse professum, qui Theologiae studiis sedulam navasti operam, et in aliquibus praedicti Ordinis monasteriis plura officia cum sedulitate, prudentia, atque doctrina explevisti, nec non postremo monasterii Suprasliensis nuncupati eorundem Ordinis ac Ritus Abbatis munere perfecte ac proficue functus fuisti, ac de cuius vitae munditia, morum honestate etc. direximus oculos nostrae mentis, quibus omnibus debita meditatione pensatis, te a quibusvis etc. censentes, eidem Ecclesiae Suprasliensi... de persona tua... providemus, teque eidem Ecclesiae S. in Episcopum praeficimus et pastorem curam etc. incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris etc. merearis. Quocirca dilectis filiis Capitulo et Vasallis dictae Ecclesiae Suprasliensis ac Clero et populo civitatis et Dioecesis S. per Apostolica scripta etc. inviolabiliter observari.

Ceterum sperantes, quod licet Doctor non sis, quia tamen prudentia et sufficienti doctrina praeditus et ad alios docendos praedictamque S. Ecclesiam regendam et gubernandam habilis et idoneus existis, eidem Ecclesiae S. esse poteris multum fructuosus, motu proprio, non ad tuam vel alterius etc. ac munus consecrationis suscipere et illo uti libere et licite valeas et super defectu gradus ac constitutionibus etc. quibuscumque contrariis etc. dispensamus. Ac insuper ad ea quae in tuae commoditatis augmentum etc. munus consecrationis huiusmodi recipere libere et licite valeas, ac eidem Antistiti, ut recepto prius per eum a te... iuramento... et fidei catholicae professione etc. concedimus. Volumus autem etc. quod nisi recepto prius etc. suspensi sitis eo ipso. Volumus etiam, quod iuramenti etc. formas etc. trans-

¹³¹ Theodosius Vyslockyj, Archimandrita Suprasliensis iam ab anno 1778, primum ut Administrator, dein ab an. 1786 ut A. benedictus. Anno 1799 nominatus primus Episcopus Eparchiae Suprasliensis, consecratus 15.IV.1800. Obiit 28.IV.1801. Cfr. ARCHIM. NIKOLAJ, *Supraslskyj Blahoviščenskiy monastyr*, Petropoli 1892, p. 285-365.

mittere teneris. Preterea etiam volumus, quod restaurationi Domus episcopalis et erectioni Montis pietatis pro viribus incumbas. Forma autem iuramenti, quod praestabis, talis est: Ego Theodosius Wislocki etc. ab hac hora etc. (*iuxta formam*). Forma autem professionis fidei, quam emittes, talis est: Ego Theodosius etc. firma fide credo et profiteor omnia et singula etc. Evangelia.

Datum prope Florentiam, in Coenobio Carthusianorum, Anno Inc. Dom. Millesimo septingentesimo nonagesimo nono, quinto Kalendas Aprilis, Pontif. Nostri Anno vigesimo quinto.

Pro D. Card. Pro-Datario.

S. Can. Honorati Datariae Apostolicae Praefectus.

Visa de Curia.

J. Manassi.

F. Lavizzarius.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

PIUS VII

(14,21.III.1800 — 20.VIII.1823)

caesentensis

(Barnabas Chiaromonte)

DOCUMENTA PII PP. VII

869.

Romae, 20 . IX . 1800

Gratias agit Pius VII de felicitationibus in Pontificatu obtento sibi transmissis.

ASV, *Ep. ad Principes*, vol. 208, fol. 214rv.

Venerabili fratri Porphirio, Episcopo Chelmae et Belz¹.

PIUS PP. VII. Venerabilis frater, salutem etc.

Egregio te animo ac mirifica fide in Ecclesiam esse iam pridem audieramus a Venerabili fratre Archiepiscopo Thebarum². Noscimus nunc etiam ex litteris tuis, obsequio ac reverentia plenis, quibus in assumptione nostra ad Pontificatum nobis humanissime gratularis, et devotionem tuam religiosissime profiteris.

Accipimus grato animo nova haec testimonia (f. 214v) cum fidei tum amoris tui, quibus cum nihil optabilius legi potuit a nobis, tum nihil iucundius erit, quam quibuscumque in rebus Ecclesiae tuae prodesse poterimus, tibi pontificiam auctoritatem praestare et paternam benevolentiam significare, ut intelligas pari Nos voluntate respondere amoris tuo, parique studio te resque tuas complecti, ac tueri velle. Ac tibi gregique tuo omnia fausta precantes, Apostolicam benedictionem, pignus grati animi nostri, amanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, die 20 Septembris 1800, Pontificatus Nostri Anno primo.

¹ Porphyrius Vazynskyj, Basilianus. Nat. 5.VIII.1732. Alumnus Coll. Graecorum 1754-1758. Varia obibat munera monastica. Dein Protoarchimandrita Ordinis Basiliani: 1772-1780, 1788-1790, et demum Episcopus Chelmensis (1790-1804). Vir insignis in Ordine et Ecclesia.

² Litta Laurentius, Archiepiscopus Thebarum, Mediolanensis, nat. 23.II.1756, Nuntius Varsaviensis, ultimus hac periodo (1794-1795). Abiit Varsavia die 14.III.1797, dein creatus Cardinalis (23.II.1801), Vicarius Urbis tit. S. Sabinae, et Praefectus S. C. de Prop. Fide (1814-1818). Obiit 1.V.1820. Varsaviae etsi breviter commorabatur, tamen etiam legatione sua Petropolim durante, scientiam rerum huius territorii acquisivit. Cfr. ROUËT DE JOURNAL M. J., *Nonciature de Litta* (1797-1799), Città del Vaticano 1943; W. MEYSZTOWICZ, *De Archivio Nuntiaturae Varsaviensis*, Vaticani 1944, p. 39-42.

870.

Romae, 16 . V . 1803

Provisio Ecclesiae Suprasliensis, Sedi Apostolicae immediatae subiectae, in Persona Nicolai Duchnovskyj.

ASV, *Archivio dello Scrittore Segreto*, vol. 35, fol. 169-173, nr. 29.

Provisio Ecclesiae Suprasliensis³ Ritus Graeco Rutheni S. R. E. uniti Sedique Apostolicae immediatae subiecti, pro Praesbytero eiusdem Ritus cum dispensatione super defectu gradus.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Nicolao Ducnowski⁴ Electo Supraslien., salutem etc.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, etc. feliciter gubernare. Dudum siquidem provisiones etc. attentari. Postmodum vero Ecclesia Suprasliensis Ritus Graeco-Rutheni S. R. E. uniti (f. 169v) Supraslien. Borussia Orientali sita Sedique Apostolicae immediate subiecta, cui bo.me Theodosius Vyslocki⁵, dum viveret, praesidebat, per obitum dicti Theodosii Episcopi, qui extra etc. demum ad te, Praesbiterum eiusdem Ritus, Suprasliensis Dioecesis, ex catholicis legitimis atque nobilibus parentibus procreatum, sexagesimum nonum tuae aetatis annum agentem, a quorum triginta novem in sacris ordinibus constitutum, qui a viginti et ultra annis curam animarum exercuisti, ac Examinatoris Dioecesei, et Vicarii Generalis munera laudabiliter functus fuisti, quique fidem catholicam iuxta formam etc. perhibentur, direximus oculos etc. te alias regularem professionem inter Monachos Ordinis S. Basilii Magni non emiseris, a quibusvis etc. censentes, eidem Ecclesiae Suprasliensi eiusdem Graeci Rutheni uniti Ritus de persona tua etc. providemus, teque eidem Ecclesiae etc. incrementis.

Iugum igitur etc. merearis. Quocirca dilectis filiis Capitulo etc. observari. Ceterum sperantes quod tu, licet doctor non sis, quia tamen prudentia et sufficienti doctrina praeditus ad alios docendum dictamque Supraslien. Ecclesiam regendam et gubernandam habilis et idoneus existis, eidem Ecclesiae Supraslien. multum fructuosus, tecum ut praefatae Ecclesiae Supraslien. in Episcopum praefici illique praeesse dictamque S. Ecclesiam in eisdem spiritualibus regere et gubernare ac munus consecrationis suscipere et illo uti libere et licite valeas, defectu gradus huiusmodi ac constitutionibus etc. obstantibus, Apostolica auctoritate ipsarum tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus.

Ac insuper tibi ut a quocumque, quem malueris, catholico Antistite Latini Ritus, gratiam et communionem dictae Sedis habente, accitis et in hoc assistentibus duobus Abbatibus vel Praesbiteris etiam saecularibus in aliqua

³ Cfr. Bullam erectionis eiusdem Eparchiae Suprasliensis sub data 8.III.1798.

⁴ Nicolaus Duchnovskyj, Cancellarius Eparchiae Berestensis. Electus a Clero die 15.VII. 1801, praesentatus a Rege Borussiae die 12.V.1803, confirmatus a S. Sede nostra Bulla, consecratus die 29.IV. 1804 ab Episcopo Zenopolitano. Obiit iam anno 1805. Cfr. *Suprasl. Blahov. monastyr*, p. 366-370.

⁵ Primus Episcopus et Praedecessor (1799-1801). Cfr. supra, nota 131, pag. 306.

ecclesiastica dignitate constitutis, munus consecrationis huiusmodi recipere concedimus facultatem, prius per te obligatione stabiliter manendi in Ritu Graeco-Rutheno libere et licite valeas ac eidem Antistiti ut recepto prius per eum a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento iuxta formam praesentibus adnotatam, munus ipsum tibi (f. 171v) impendere licite possit pro hac vice tantum, ex gratia speciali quibuscumque, licet expressa et individua mentione dignis, non obstantibus, licentiam et facultatem respective concedimus. Volumus autem et dicta auctoritate statuimus, quod nisi recepto prius a te etc. suspensi sitis eo ipso. Volumus etiam quod iuramenti a te etc. tenearis.

Praeterea etiam volumus quod tu cures omnino erigi quamprimum dignitates et canonicatus ac Sacrarium suppellectili sacra pro pontificalibus exercendis sufficienter instruas et ad praescriptum Concilii Tridentini theologalem et poenitentiarum Praebendas ac Seminarium institui Montemque Pietatem erigi cures, conscientiam tuam super his onerando.

Forma autem iuramenti quod praestabis talis est: Ego Nicolaus Ducnowski, Electus Supraslien. Graeco-Rutheni Ritus, ab hac ora in antea etc. Capituli Ecclesiae meae. Haec omnia et singula eo inviolabilius observabo quo certior sum nihil in illis contineri quod iuramento fidelitatis meae erga Serenissimum Borussiae Regem eiusque ad Thronum Successores debitae adversari possit, sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Datum Romae apud S. Mariam M., Anno etc. 1803, decimoseptimo Kalendas Iunii, Pontificatus Nostri Anno quarto.

871.

Romae, 24 . II . 1807

Bulla Pii P. VII, qua Metropolia Haliciensis denuo instauratur.

ASV, *Archivio dello Scrutore Segreto*, vol. 36, fol. 185-194, nr. 26.

HARASIEWICZ M., *Annales Ecclesiae Ruthenae*, p. 790-799.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 493-497, nr. 28.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

In universalis Ecclesiae regimine divina disponente clementia, meritis licet imparibus, collocati, ad gregem Dominicum oculos nostrae mentis intentos semper habentes, et quid Apostolicae providentiae impendere debeamus, ut ubique commode atque utiliter gubernetur, et ad ecclesiastica pascua fideliter dirigatur, eam potissimum muneris nostri curam agnoscimus, quod tot Ecclesiarum praesules opportunis pro commodiori populorum spirituali regimine prerogativis decorentur. Eapropter Christianorum Principum vota hisce in rebus favore complectimur, et nonnulla interdum statuere curamus, quae in Domino salubriter conspiciamus expedire. Postquam felicitis recordationis Clemens Papa Octavus, Praedecessor noster, tunc cum Michael Tertius Kioviensis Metropolita⁶ assentientibus aliis Episcopis ruthenis consilio coacto in

⁶ Michael Rahoza (1588-1599).

civitate Brestiae, et publice in eo Nationis Ruthenae cum Apostolica Seue unionem statuta ad eam perficiendam duos Episcopos Romam miserat, Nationem praedictam ad sanctae catholicae Romanae Ecclesiae communionem recepit, atque hanc unionem per suas Apostolicas sub plumbo expeditas literas incipiendo « Magnus Dominus », Anno Millesimo quingentesimo nonagesimo quinto, decimo Kalendas Ianuarii approbavit ac confirmavit⁷, nec non per alias similes literas incipiendo « Decet Romanum Pontificem », eodem Incarnationis Dominicae anno expeditas⁸ ac datas septimo Kalendas Martii, idem Pontifex postmodum Archiepiscopo Kiovensi Ruthenorum Metropolitano facultatem benigne concessit confirmandi nomine Apostolicae Sedis Episcopos Suffraganeos eiusdem Ritus in Polonia existentes, eosque iuxta illius Ritus formam consecrandi. Alia etiam haec Apostolica Sedes diversis temporibus quoad Ruthenam Nationem praedictam disposuit, praecipue per organum Congregationis Venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium negotiis de propaganda fide praepositorum, ac insuper de anno Domini Millesimo septingentesimo vigesimo de speciali assensu felicitis recordationis Clementis PP. XI, Praedecessoris Nostri coacta in civitate Zamosciae Synodo Nationali Ruthena⁹ eique praesidente Hieronymo¹⁰ bonae memoriae Archiepiscopo Edessae, tunc in Poloniae Regno Sedis Apostolicae Nuntio, et deinde Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali Grimaldo nuncupato, ac in ea nonnullis statutis atque ordinatis cum Benedictus recolendae memoriae Papa decimus tertius, similiter Praedecessor noster, satis comperit, huiusmodi statuta et ordinationes ecclesiasticae disciplinae summopere esse profutura, per Apostolicas suas literas incipiendo « Apostolatus officium », in forma Brevis expeditas sub Annulo Piscatoris die nona mensis Iulii anno Millesimo septingentesimo vigesimo quarto, Pontificatus sui anno primo, firmis tamen semper remanentibus aliorum Praedecessorum Pontificum constitutionibus et Apostolicis ordinationibus aliisque etiam in generalibus Conciliis super Graecorum Ritibus emanatis decretis ac salva quoque auctoritate Venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium tam de propaganda fide negotiis praepositorum, quam Tridentini Concilii Interpretum respectivarum Congregationum benigne atque expresse approbavit et confirmavit.

Ob varias postmodum temporum vicissitudines, et praecipue immutatum temporalis iurisdictionis Dominium in illis partibus, in quibus Ruthenorum ecclesiae collocatae reperiebantur, necesse visum fuit, ut ab Apostolica Sede saepenumero super his rebus negotia nonnulla gererentur; ita ut de Natione huiusmodi Ruthena sedulam curam suscipiendo perspectis circumstantiis aliqua de novo statuere Sedes ipsa Apostolica haud neglexerit, et Pontifex quoque immediatus Praedecessor noster Pius Papa Sextus, recolendae memoriae. Episcopalem Ecclesiam eiusdem Ritus Rutheni erexerit in civitate Supras-

⁷ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, p. 236-243, nr. 132.

⁸ *IBIDEM*, p. 266-268, nr. 152.

⁹ Cfr. *Synodus Provincialis Ruthenorum habita in civitate Zamosciae*, ed. 3, Romae 1883. Cfr. supra dicta in pagina 39, nota 55, et in pagina 49-50, nota 6.

¹⁰ Hieronymus Grimaldi, Nuntius Varsaviensis (1712-1720). Cfr. supra, p. 33, nota 48.

liae¹¹, tunc in Serenissimi Regis Borussiae ditione existente, nec non quoad Metropolitanam Kioviensem aliasque Episcopales Ecclesias eiusdem Ritus in Russiaco imperio existentes plura statuere non omiserit.

Nobis autem nuper exposito, quoad populi catholici Rutheni Ritus Leopoliensi, Kelmensi et Premisliensi respective Episcopis subiecti, et in charissimi in Christo filii nostri Francisci Primi Austriae Imperatoris ac Bohemiae et Hungariae Regis Apostolici ditione existentes ad Metropolitanam Kioviensem appellare, et Episcopi ipsi suum Metropolitanam consiliorum eorum participem facere minime respective possint, quodque laudatus Franciscus Imperator et Rex summopere cupiat Ruthenorum in Regno Galiciae existentium spirituali bono consulere, atque idcirco a nobis singulari studio per suas literas postulaverit, ut a iure Metropolitico praedicti Archiepiscopi Kioviensis abdicatis ecclesiis antedictis, Leopoliensem Cathedralem ecclesiam, quae a felicitis recordationis Joanne Papa vigesimo tertio per suas literas Romae datas quinto Kalendas Septembris anno Millesimo quadringentesimo decimo, Pontificatus sui anno tertio, antequam Sedem Haliciensem transferret in Metropolitanam sub invocatione Beatae Mariae Virginis tunc fuerat erecta¹², ac deinceps ad simplicis Episcopalis Ecclesiae statum redacta¹³ nunc denuo in Metropolitanam cum unione tituli dictae perantiquae Haliciensis Ecclesiae, cuius territorium intra limites suae ditionis modo reperitur, per Nos erigatur, nec non Kelmensis et Premisliensis respective Episcopales Ecclesiae eiusdem novae Metropolitanae Leopoliensi Ecclesiae quoad ius nominationis ad illas et ad illarum Praesulum canonicam institutionem respective concedantur.

Nos itaque, temporum et locorum circumstantiis mature perspectis, agnoscentes plures easque non leves esse difficultates quae opponuntur Kioviensi Archiepiscopo ad exercendum ius suum Metropolitico in Ruthenos Galiciae Regno subiectos¹⁴, compertaque necessitate occurrendi stabili methodo spirituali Ruthenorum regimini, Apostolici officii nostri esse duximus, vota precesque eiusdem Francisci Imperatoris ac Regis benigne suscipere, et illis, quantum opportune in Domino possumus, clementer obsecundare.

Quapropter ne iniuncto nobis Apostolicae servitutis officio deesse videamur, Venerabili fratri nostro Antonio Gabrieli Archiepiscopo Petrensi atque Ecclesiarum Viterbiensis et Tuscanensis invicem perpetuo canonicè unitarum Episcopo, nec non nostro et Sedis Apostolicae Nuntio Vienna Austriae com-

¹¹ Cfr. supra, sub nr. 867, et sub data 8.III.1798.

¹² Cfr. Volumen primum praesentis Collectionis, in pagina 101-3, nr. 61. Sed translatio haec pertinet ad Archieparchiam Leopoliensem Latinorum. Initia Metropoliae Haliciensis Ritus Rutheni spectant ad saec. XIV. Haec tamen iam anno 1347 a patriarcha Constantinopolitano suppressa fuit, ex rationibus praeprimis politicis. Dein temporibus Casimiri Regis Poloniae an. circiter 1370 ab eodem Patriarcha Constantinopolitano iterum renovata, post plus quam duo decennia iterum cessavit. Anno 1458 aliquis Episcopus Haliciensis Macharius a Sede Apostolica nominatus fuit. Cfr. Vol. I, p. 138, nr. 78, et 79, et p. 153, nr. 89. Cfr. M. HARASIEWICZ, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862, et aliam bibliographiam.

¹³ Agitur de saeculo XVI. Anno 1537 Metropolita Macarius Kioviensis, nominavit Macarium Tuczapskyj Episcopum Haliciensem, et Vicarium Metropoliae Kioviensis. Cfr. HARASIEWICZ, *op. cit.*, p.

¹⁴ Pars Ucrainae Occidentalis, quae post divisionem Poloniae an. 1772 venit sub dominium temporale Imperatoris S.R.I., seu Austriae, in quo usque ad diem 1.XI.1918 permansit.

moranti, per praesentes committimus et mandamus, ut sive per se sive per aliam personam ecclesiasticam ab eo ad hoc specialiter subdelegatam, certiorato prius Venerabili etiam fratre Eraclio Lissowski¹⁵, Ecclesiae Polocensis Archiepiscopo, atque in praesentiarum, attenta vacatione Metropolitanae Kioviensis, eiusdem Ecclesiae et Dioecesis Administratore, titulum perantique Ecclesiae Haliciensis a Metropolitana Ecclesia Kioviensi, cui pridem unitus fuerat, Apostolica nostra sibi delegata auctoritate, servatis servandis, disiungat ac separet, nec non memoratas Ecclesias Episcopales Rutheni Ritus Leopoliensem, Kelmensem et Premisliensem antea eiusdem Metropolitanae Ecclesiae Kioviensis suffraganeas a quacumque superioritate et Metropolitana iurisdictione Ecclesiae et Archiepiscopi Kioviensis extra praedicti Francisci Imperatoris ac Regis ditionem in praesentiarum existentis seiungat, abdicet, et absolvat, atque in posterum separatas et minime Archiepiscopatu ac pro tempore existenti ipsius Ecclesiae Kioviensis Antistiti subiectas esse declaret, Episcopalibus autem Ecclesiis Rutheni Ritus superius expressis Leopoliensi, Kelmensi et Premisliensi sic a Metropolitana nominatae Archiepiscopalis Ecclesiae Kioviensis subiectione disiunctis et separatis Leopoliensi Ecclesiae titulum alterius Ecclesiae Haliciensis simili facultate uniat, ac perpetuis futuris temporibus unitum esse ac fore declaret, et nostro nomine decernat ita, ut quicumque in posterum Cathedram Leopoliensem canonice occupaverit, una simul nuncupetur et inscribatur Leopoliensis et Haliciensis Ecclesiarum Praesul. et deinde, sicut praefertur, unitas Leopoliensem et Haliciensem Ecclesias ad laudem et gloriam Omnipotentis Dei, Beatissimae Virginis Mariae ac Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli nec non fidei catholicae exaltationem totiusque militantis Ecclesiae decus in Ecclesias Archiepiscopales Rutheni Ritus unitas et Metropolitanam pro uno Archiepiscopo, qui palii et crucis usum more Archiepiscoporum eiusdem Ritus habeat, aliisque gaudeat privilegiis, praerogativis, honoribus et iuribus similibus Archiepiscopis debitis et concessis, quibus omnibus pro tempore existentes huius Leopoliensis et Haliciensis Ecclesiarum invicem, ut praefertur, unitarum Archiepiscopi uti, frui, potiri et gaudere possint, et valeant ac etiam debeant Apostolica nostra huiusmodi sibi delegata auctoritate ipsarum tenore praesentium perpetuo erigat et instituat ita, ut dictarum Leopoliensis et Haliciensis Ecclesiarum unitarum Praesules omnia et singula, quae ad similes Ruthenae Nationis et Ritus Archiepiscopos in eorum civitatibus munus exercendum de iure, usu, consuetudine aut alias quomodolibet spectare et pertinere solent, ac debent, gerere, facere et exercere libere ac licite possint, plenam et omnimodam auctoritatem tenore praesentium concedere et impertiri nostro nomine possit et valeat. Alteras vero Ecclesias Episcopales supra dictas, Kelmensem videlicet et Premisliensem iam per eum nostro nomine ut supra a Metropolitico iure et respectiva subiectione Archiepiscopi Kioviensis exemptas et

¹⁵ Heraclius Lisovskyj, Archiepiscopus Polocensis (1784-1809), et dein Metropolita Kioviensis, a Czaro Moscoviae nominatus, sed a Sede Apostolica in munere tantummodo Administratoris Metropoliae agnoscebatur (1806-1809). Cfr., de H. Lisovskyj opus M. M. Solowij, *De reformatione liturgica Heraclii Lisowskyj, Archiepiscopi Polocensis: 1784-1809*, Romae 1950, et in specie de renovatione Metropoliae Kioviensis a Czaro Alexandro I articulum eiusdem Auctoris: « *De restitutione Metropoliae Kioviensis in Imperio Rossiano sub Imperatore Alexandro I (anno 1806)*, in *Analecta OSBM*, vol. I, fasc. 2-3, p. 228-248, ubi et novissimae elucidationes in hac materia dantur, hucusque ignotae.

liberatas ad hoc, ut Ecclesiasticae Hierarchiae in toto catholico orbe semper servetur ordo, in praedictarum Archiepiscopalium Leopoliensis et Haliciensis Ecclesiarum invicem unitarum suffraganeas assignet, atque illarum Episcopalium Ecclesiarum Praesules et loca omnia personasque tam ecclesiasticas quam laicas in earum respective Dioecesibus existentes pro tempore existentium Archiepiscoporum ante dictarum Leopoliensis et Haliciensis invicem, ut praefertur, unitarum Ecclesiarum Metropolitico iure simili nostra delegata auctoritate perpetuo subiiciat atque supponat.

Volumus autem ut huiusmodi Ecclesia cathedralis Leopoliensis ad Metropolitanam Ecclesiam gradum evecta una cum suo Capitulo et eodem, quo ad praesens reperitur Leopoliensis et Haliciensis Dioecesis territorio firma etiam in posterum remaneat, atque futuri ac pro tempore existentes Leopoliensis et Haliciensis Ecclesiarum Praesules omnes et singulos eis spectantes redditus et proventus, quos Episcopi Leopolienses hucusque perceperint, quique ad annuos decem mille florenos monetae illarum partium, ut asseritur, ascendant, integre ac libere percipiant, ac insuper eidem futuro Metropolitano summam assignent aliorum florenorum similium bismille, a praelaudato Francisco Imperatore ac Rege annuatim persolvendam, usque dum nonnulla bona perantiquae mensae Haliciensi antea spectantia, ob temporum vicissitudines in aliorum potestate existentia, opportune recuperentur.

Quum vero omnia et singula superius expressa nostro nomine ab antedicto Venerabili fratre Antonio Gabriele fuerint expleta, nos eidem Francisco Imperatori et Regi eiusque in Galiciae Regno successoribus facultatem in quolibet vacationis casu nominandi ad antedictas Leopoliensem et Haliciensem invicem unitas Archiepiscopales Ecclesias et Kelmensem et Premisliensem Ecclesias Episcopales infra tempus a iure praefixum ecclesiasticas personas idoneas, iis dotibus praeditas, quae iuxta Sacrorum Canonum praescripta et iuxta statua supra nominatae Synodi Zamosciensis requiruntur, impertimur cum lege tamen, quod quandocumque Metropolitana Ecclesia Leopoliensis et Haliciensis vacare contigerit, quilibet ad eam nominatus confirmationem suae nominationis, institutionem ac provisionem Ecclesiae huiusmodi nec non muneris consecrationis a nobis et a Romano Pontifice pro tempore existente petere atque obtinere literasque Apostolicas in consueta forma per secretam viam de Curia nuncupatam expedire facere omnino debet ac teneatur.

Nos enim futurum ac pro tempore existentem Archiepiscopum dictarum Ecclesiarum Leopoliensis et Haliciensis invicem unitarum Ruthenorum omnium in laudati Francisci Imperatoris ac Regis dominio degentium Metropolitanam declaramus cum auctoritate singula exercendi, quae ad huiusmodi ius Metropoliticum dignoscuntur pertinere. Eidem insuper futuro ac pro tempore existenti Leopoliensi et Haliciensi unitarum Ecclesiarum Metropolitanarum, attentis peculiaribus circumstantiis et de speciali indulgentia, facultatem concedimus, nominatos ad suas suffraganeas Episcopales Ecclesias Kelmensem et Premisliensem, dummodo iis dotibus praediti sint, quae, ut supra dictum est, requiruntur, auctoritate et nomine Sedis Apostolicae confirmandi et insituendi, munusque consecrationis impendendi iisdem modo ac forma, quibus facultas huiusmodi Metropolitano Kioviensi ab antedicto Papa Clemente Octavo Praedecessore Nostro per suas Apostolicas literas secundo loco supra memoratas fuerat elargita.

Volumus etiam quod omnia et singula, quae statuta fuerunt in laudata Zamosciae Synodo per Apostolicam Sedem confirmata, nunc et in posterum a Leopoliensi et Haliciensi Metropolita atque ab Episcopis Kelmensi et Premistiensi et ab universa Natione Ruthena observentur, firmis et in suo robore semper mansuris Apostolicis consitutionibus et Conciliorum generalium decretis super Ritibus Graecorum emanatis nec non Venerabilium fratrum nostrorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium tam negotiis de Propaganda fide praepositorum quam interpretum Concilii Tridentini respectivarum Congregationum auctoritate salva semper et integra remanente.

Volumus praeterea, quod per disposita in hisce nostris literis nullum de caetero iuribus ac privilegiis Metropolitanae Ecclesiae Kioviensis preiudicium inferatur, nec quidquam circa Ruthenorum in imperio Russico existentium Ecclesiasticam Hierarchiam censeatur immutatum.

Denique volumus quod nihil pariter super Ordine Monachorum S. Basilii Magni, eiusdem Ruthenae Nationis innovatum intelligatur¹⁶.

Praesentes vero literas nostras et in eis contenta quaecumque semper et perpetuo validas et efficaces esse, et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri debere et nullo unquam tempore ex quocumque capite vel qualibet causa, quantumvis iuridica et legitima etiam ex eo, quod causae, propter quas eadem praesentes emanarunt, adductae, verificateae et iustificatae non fuerint, vel obreptionis aut nullitatis vitio vel intentionis nostrae aut quolibet alio quantumvis magno, substantiali et inexcogitato ac specialem et individuum mentionem requirente defectu, seu etiam ex eo, quod in praemissis solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata et adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite vel iure vel facto seu statuto vel consuetudine aliqua resultante aut quocumque alio colore, praetextu, ratione vel causa, etiam quantumvis rationabili, legitima, pia, privilegiata et tali, quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, notari, impugnari, invalidari, in ius vel controversiam vocari aut ad terminos iuris vel facti aut gratiae remedium impetrari seu quomodolibet etiam motu, scientia et potestatis plenitudine concessae et impetrato aut emanato quempiam uti seu se iuvare in iudicio vel extra posse, neque ipsas praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus per quascumque literas et Apostolicas constitutiones aut Cancellariae nostrae Apostolicae regulas comprehendere sed semper ab illis excepti et quoties illae emanabunt, toties in pristinum vel validissimum statum restitutas, repositas, et plenarie reintegratas esse et fore, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, Vicelegatos dictaeque

¹⁶ Clausula haec apposita fuit ob specialem relationem quam Ordo Basilianorum saeculis anterioribus habuit ad Metropolitam Kioviensem. In territorio Metropolitiae Leopoliensis una tantum Provinciarum eiusdem Ordinis Basiliani inveniebatur, Galiciae, seu SS. Salvatoris, quae ad hodierna usque tempora permansit. Ex hac ultima provincia Ordo Basilianorum novas sumpsit vires, opera Pontificis Leonis XIII, novamque inchoavit historiae suae periodum. Cfr. M. M. WOJNAR, *De regimine Basilianorum Ruthenorum a Metropolita Iosepho Velamin Rutzkyj instauratorum*, vol. I, Romae 1949; D. BLAŽEJOWSKYJ, *De potestate Metropolitanarum Kioviensium catholicorum in Clerum regularem*, Romae 1943.

Sedis Nuntios et alios quoscumque quavis auctoritate, potestate, facultate et privilegio fungentes, sublata eis et erum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate quocumque in iudicio, seu quacumque instantia iudicari et definiri debere et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Non obstantibus quibusvis etiam in Provincialibus, Generalibus, Universalibusque Conciliis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis dictarumque Kioviensis, Leopoliensis, Haliciensis, Kelmensis et Premisliensis respective Ecclesiarum etiam iuramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, etiam immemorabilibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis ac cum quibuscumque derogatoriis et clausulis irritantibusque decretis in contrarium praemissorum forsitan concessis, approbatis et confirmatis, quibus omnibus et singulis, etiamsi de illis specialis, specifica et expressa mentio aut expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, ad praemissorum validitatem plenissime ac specialiter et expresse derogamus caeterisque contrariis quibuscumque.

Praeterea etiam volumus, quod earundem praesentium transumptis, etiam typis impressis, manu alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in iudicio et extra illud adhibeatur, acsi illae exhibitae forent vel ostensae. Nulli ergo omnino hominum liceat hac paginam nostrarum commissionis, disiunctionis, abdicationis, separationis, erectionis, unionis, indulti, concessionis, impetrationis, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septimo, octavo Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno octavo.

A. Card. Prot. R. Card. Brachius de Honestis. Visa de Curia I. Manaschi. Fr. Lavizzarius (Loco + plumbi).

872.

Romae, 16 . III . 1807

Provisio Ecclesiae Metropolitanae Leopoliensis, noviter erectae in persona Episcopi Peremysliensis, Antonii Anhelovyč.

ASV, *Archivio dello Scrittore Segreto*, vol. 36, fol. 195-199, nr. 27.

Provisio Metropolitanarum Leopoliensis et Haliciensis invicem perpetuo canonice unitarum Ecclesiarum, Graeci Rutheni Ritus, Sanctae Romanae Ecclesiae uniti.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Antonio Angelowicz¹⁷, nuper Episcopo Praemisiensi, in Archiepiscopum Leopoliensis et Haliciensis Graeci Rutheni Ritus S. R. E. uniti Ecclesiarum canonicè unitarum electo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis, quem Pastor ille etc. efferat incrementis. Sane Ecclesia Leopoliensis Graeci Rutheni Ritus, R.R.E. uniti, cui bonae memoriae Nicolaus Scorodinski, ultimus illius Episcopus, dum viveret praesidebat, per obitum dicti Nicolai, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, Pastoris solatio destituta, et quam Nos nuper ei in perpetuo canonicè unita perantiqua Archiepiscopali Ecclesia Haliciensi in Metropolitanam ereximus, Nos ad provisionem etc. diligenter, demum ad te nuper Episcopum Premisiensem, consideratis etc. obivisti, quemque charissimus in Christo filius noster Franciscus Primus, Austriae Imperator atque Hungariae et Bohemiae Rex Apostolicus, nobis ad hoc per suas literas nominavit, easdem Ecclesias unitas scies etc. direximus oculos nostrae mentis.

Intendentes igitur tam praedictis Leopoliensi et Haliciensi invicem, ut praefertur, unitis Metropolitanis Ecclesiis, quam illarum gregi Dominico salubriter providere, te a vinculo etc. absolventes, ad Metropolitanas Ecclesias unitas praefatas de simili consilio pari Apostolica auctoritate transferimus, teque eis (f. 196v) etc.tribuendo, firma spe etc. incrementa. Volumus autem quod tu antequam etc. in manibus cuiuscumque quem malueris catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, nostro etc. iuramentum etc. transmittere omnino tenearis. Cui per alias nostras committimus etc. recipiat.

Quocirca Fraternalitati Tuae per Apostolica scripta mandamus quatenus ad Leopoliensem et Haliciensem Ecclesias cum gratia nostrae benedictionis accedens curam etc. gaudeant se commissas. Tuque praeter etc. merearis. Nec non Venerabilibus fratribus nostris Suffraganeis etc. observari.

Rogamus quoque etc. hortamur attente eundem Franciscum Imperatorem ac Regem, quatenus etc. actio gratiarum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Domini-cae Millesimo octingentesimo septimo, decimoseptimo Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno octavo.

873.


Romae, 16 . III . 1807

Commissio de recipienda professione fidei et iuramento a Metropolitano Leopoliensi electo.

IBIDEM (ac in praecedenti), nr. 28.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Venerabili fratri cuicumque catholico Antistiti, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habenti, salutem etc.

¹⁷ Antonius Anhelovyč, Episcopus Peremysliensis (1796-1808), et dein Metropolita Haliciensis (1807-1914), in Metropolia restaurata ordine primus.



UCRAINA an. 1914 - 1920

1. - Ucraina an. 1918 - 1920; 2. - Respublica Popularis Ucrainae Occidentalis; 3. - Territoria an. 1917 - 1919 ad breve tempus adnexa;
4. - Territorium Ucrainae an. 1917 (mense Augusto); 5. - Territorium Ucrainae ethnographicum principale; 6. - Idem territorium cum regionibus mixtis (Cfr. *Encyclopaedia of Ukraine*, vol. I, Monachii - Neo Eboraci 1949, p. 499).

Cum Nos hodie Venerabilem fratrem Antonium Angelowicz, Archiepiscopum Leopoliensis et Haliciensis invicem perpetuo canonice unitarum Ecclesiarum Graeci Rutheni Ritus, S.R.E. uniti, nuper Episcopum Praemisiensem, cui tunc praeerat, tenebatur, de Ven. fratrum etc. transtulerimus, ipsumque eisdem Leopoliensis et Haliciensis Ecclesiis in Archiepiscopum praefecerimus et pastorem, curam etc. committendo, volentes, quod dictus Antonius antequam regimini et administrationi dictarum Ecclesiarum Leopoliensis et Haliciensis se in aliquo immisceat, in tuis manibus nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solitum praestare iuramentum iuxta unam, et professionem fidei catholicae emittere iuxta alteram formas, quas sub Bullis nostris mittimus introclusas, ac per eum sic praestiti iuramenti et professionis fidei emissae formas ad Sedem Apostolicam intra praefixum tempus transmitti teneatur, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur.

Quocirca Fraternitati vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel alter vestrum ab eodem Antonio Archiepiscopo iuramentum ac fidei professionem huiusmodi iuxta easdem formas recipere curetis seu curet.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo septimo, decimoseptimo Kalendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno octavo.

Forma iuramenti.

Ego Antonius Angelowicz, nuper Episcopus Premisiensis, in Archiepiscopum Leopoliensem et Haliciensem invicem perpetuo canonice unitarum Ecclesiarum Graeci Rutheni Ritus, S. R. E. uniti, electus, ab hac hora in antea etc. Evangelia.

Forma professionis fidei (*solita*).

874.

Romae, 16 . III . 1807

Antonio Anhelovyč datur Pallium Metropolitanum.

ASV, *Archivio dello Scrittore Segreto*, vol. 36, fol. 201-203, nr. 39.

Pallium Metropolitanarum Ecclesiarum Leopoliensis et Haliciensis invicem perpetue canonice unitarum Graeci Rutheni Ritus, Sanctae Romana Ecclesiae uniti.

PIUS EPISCOPUS, Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Antonio Angelowicz, Archiepiscopo Leopoliensis et Haliciensis invicem perpetuo canonice unitarum Ecclesiarum Graeci Rutheni Ritus, S. R. E. uniti, salutem etc.

Cum Nos Metropolitanis Ecclesiis etc. certo tunc expresso modo pastoris solatio destitutis de persona tua nobis et Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus ob tuorum exigentiam meritorum (f. 201v) accepta de fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate duxerimus providendum, praeficiendo te illis in Archiepiscopum et Pastorem, prout in nostris inde

confectis literis plenius continetur, ac postmodum Pallium, insigne videlicet plenitudinis pontificalis officii, ex parte tua fuerit etiam hodie a nobis per dilectum filium Bellisarium Cristaldi, Consistorialis Aulae Advocatum, cum ea qua decuit reverentia postulatum, Nos supplicationibus tuis annuentes, Pallium ipsum de Corpore B. Petri sumptum per quemcumque catholicum Antistitem, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentem, tibi assignandum per dilectum etiam filium Jordanum Mickiewicz¹⁸, Praesbyterum ac Monachum Ordinis S. Basilii Magni, duximus destinandum, ut idem Episcopus illud tibi sub infrascripta forma assignet, et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub alia etiam praesentibus inserta forma fidelitatis debitae solitum recipiat iuramentum. Tu autem Pallio eodem sic intra dictas Leopoliensem et Haliciensem Ecclesias tuas illis diebus (f. 202) duntaxat utaris, qui expressi in illarum Ecclesiarum privilegiis continentur. Ut igitur signum non discrepet a signato, sed quod geris exterius interius serves in mente, quatenus humilitatem et iustitiam, dante Domino, qui dat praemia et munera elargitur, observare studeas, quae suum servant et promovent Servatorem ac easdem Ecclesias Leopoliensem et Haliciensem sponsas tuas cures sollicite, auctore Domino, spiritualiter et temporaliter augmentare.

Quocirca praedicto Episcopo per Apostolica scripta mandamus, quatenus ipse dictum Pallium iuxta eandem subsequentem formam tibi curet assignare, et a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine sub reliqua forma huiusmodi fidelitatis debitae solitum recipiat iuramentum, eiusque sic a te praestiti iuramenti formam nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras, tuo sigillo munitas, per proprium Nuntium quanto citius destinare procures.

Forma autem, qua praefatus Episcopus in assignando tibi dicto Pallio (f. 202v) utetur, haec est: Ad honorem Omnipotentis Dei, ac Beatae Mariae Virginis ac Beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Domini nostri Domini Pii Papae Septimi ac Sanctae Romanae Ecclesiae nec non Ecclesiarum Leopoliensem et Haliciensem invicem perpetuo canonice unitarum tibi commissarum tradimus tibi Pallium de Corpore Beati Petri sumptum, in quo est plenitudo pastoralis officii, ut eo utaris intra respectivas Ecclesias tuas certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab Apostolica Sede concessis.

Forma autem iuramenti, quod praestabis, talis est: Ego Antonius Angelowicz, nuper Episcopus Praemisliensis, etc. (*ut supra in Bulla provisionis et alibi, ubi textum plenum dedimus*) ab hac hora in antea fidelis et obediens ero etc. Evangelia.

Datum Romae etc. ut supra.

¹⁸ Jordanus Mickiewicz, Procurator Ordinis Basiliani in Urbe (1789-1827), qui etiam negotia totius Ecclesiae Unitae curabat.

875.

Romae, 30 . IX . 1808

Provisio Ecclesiae Borylensis in persona Michaelis Bradacs, electi Coadiutoris Eparchiae Munkacsiensis, in Ucraina Carpatica, dominio Imperatoris Austriae subiecta.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 4557, fol. 434-435.

Dilecto filio Michaeli Bradacs, Praesbytero Graeci
Ritus uniti, Electo Borylensi¹⁹.

PIUS PP. VII. Dilecte fili, salutem etc.

Apostolatus officium etc. gubernare. Dudum siquidem provisiones etc. Ecclesiarum omnium tunc vacantium etc. attentari. Cum itaque Ecclesia episcopalis Borylensis, quae in partibus infidelium existit, ob decessum h.m. Joannis Nepomuceni, ultimi illius Episcopi etc. intendentes, ad te in sacro praesbyteratus ordine, et in legitima aetate constituto, atque ex legitimo matrimonio procreatum, cuique apud Nos de vitae etc. direximus. Quibus omnibus debita consideratione expensis etc., te a quibusvis etc. censentes, eidem Ecclesiae Borylen. (f. 434v) in persona tua nobis ob tuorum etc. incrementa suscipiat. Jugum igitur Domini etc. consequi merearis. Caeterum tibi, ut donec Ecclesia praedicta Borylen. ab infidelibus detinebitur, ad illam accedere, et apud eam personaliter residere minime tenearis, dicta auctoritate... indulgemus.

Atque ad ea, quae in tuae commoditatis augmentum cedere possunt favorabiliter intendentes, tibi ut a quocumque catholico Antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, accitis et in hoc illi adsistentibus duobus Episcopis, vel loco Episcoporum duobus praesbyteris saecularibus in ecclesiastica dignitate constitutis, seu cuiuslibet Ordinis, vel Instituti Regularibus graduatis ac similes gratiam etc. munus consecrationis recipere libere et licite possis, ipsique Antistiti etc. fidei catholicae professione etc. solito iuramento, munus praeditum etc. concedimus facultatem.

Volumus autem etc. nisi recepto iuramento etc. suspensi sitis et ipso. Non obstantibus Apostolicis etc. quibuscumque.

Datum Romae etc. apud S. Mariam Maiorem, 30 Septembris 1808, Anno 9.

¹⁹ Michael Bradacs, Episcopus tit. Borylensis, et Coadiutor Episcopi Munkacsiensis Andreae Bačynskyj (1773-1809). Natus 3.IX.1749 in Kaminka; alumnus Studii Theologici Viennensis (Barbareum). Sacerdos ordinatus an. 1777, anno 1790 Canonicus Munkacsiensis et Vicarius Generalis Cassoviae, ab anno vero 1799 Archipresbiter Munkacsiensis. Anno 1808 nominatus Ep. tit. et Coadiutor. Post obitum Adrease Bačynskyj (1809,19.XII), Vicarius Gen. in Prjašiv. Ab anno 1812 Vicarius Capitularis Eparchiae Munkacsiensis. Obiit an. 1814. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 1043.

876.

Romae, 8 . III . 1816

*Provisio Ecclesiae Metropolitanae Leopoliensis in persona Michaelis Levyckyj.*ASV, *Archivio dello Scrittore Segreto*, vol. 37, fol. 65rv, nr. 12.

Leopoliens. et Haliciens.

PIUS etc. Venerabili fratri Michaeli Lewicki²⁰, nuper Episcopo Praemisliensi, in Archiepiscopum Leopoliens. et Haliciens. Graeci Rutheni Ritus, S. R. E. uniti, Ecclesiarum invicem perpetuo canonice unitarum, salutem etc.

Romani Pontificis etc. incrementis. Sane Ecclesia Leopoliensis etc. uniti, cui ho.me. Antonius, dum viveret, praesidebat, per obitum dicti Antonii, qui extra Romanam Curiam etc. Nos ad provisionem harum invicem, ut praefertur, canonice perpetuo unitarum Ecclesiarum etc. diligentem, demum ad te, nuper Episcopum Praemisliensem etc. explevisti, quemque charissimus in Christo filius noster Franciscus Primus Austriae Imperator atque Hungariae et Bohemiae Rex Illustris nobis ad hoc per suas litteras nominavit, easdem Ecclesias unitas etc. incrementa.

Volumus autem etc. solitum iuramentum etc. ac fidei catholicae (f. 65v) professionem etc. emittas etc. recipiat. Quocirca Fraternitati Tuae etc. merearis. Nec non Venerabilibus fratribus nostris Suffraganeis etc. observari. Rogamus quoque et hortamur attente eundem Franciscum Imperatorem ac Regem quatenus etc. actio gratiarum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno etc. 1816, octavo Idus Martii, Anno 16.

877.

Romae, 8 . III . 1816

*Commissio aliquo Episcopo data ut reciperet a noviter nominato Metropolita Leopoliensi solitam professionem fidei et iuramentum fidelitatis nomine Sanctae Sedis.*ASV, *IBIDEM* ac praecedendi documento.

PIUS etc. Venerabili fratri cuicumque catholico Antistiti, etc. benedictionem.

Cum Nos hodie Venerabilem fratrem Michaellem Lewicki, Archiepiscopum Leopoliens. et Haliciens etc. nuper Episcopum Praemisliensem etc. transtulimus etc. volentes quod dictus Michael antequam etc. solitum praestare iuramentum iuxta unam, et fidei professionem etc. curet.

Datum ut supra (cfr. sub data 16 . III . 1807).

²⁰ Michael Levyckyj, Episcopus Peremysliensis (1813-1816), dein Metropolita Haliciensis (1816-1858) et Cardinalis S.R.E. (1856-1858). Nominatus Metropolita Haliciensis ab Imperatore Francisco I, die 17.VIII.1815, confirmatus a Sede Ap. 8.III.1816. Consiliarius actualis Imperii (1816), dein locum obtinuit in Senatu Regni Galiciae et Volodimiriae (13.IV.1817), ab anno 1848 (17.VI) Primas eiusdem Regni, Imperio Austriae uniti. Promotus Cardinalis in Consistorio secreto die 16.VI.1856. Obiit die 15.I.1858. Tempore officii metropolitici tres habuit Coadiutores: Gregorium Jachymovyč (1841-1848), Joannem Bochenskyj (1850-1857), et Spiridionem Lytvynovyč (1857-1858). Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 899-931, 950.

878.

Romae, 8 . III . 1816

*Pallium pro Michaelae Levyckyj, Metropolita Leopoliensi et Haliciensi.*ASV, *Archivio dello Scrittore Segreto*, vol. 36, fol. 239rv, nr. 39.

Leopolien. et Halicien.

PIUS etc. Venerabili fratri Michaeli Lewicki, Archiepiscopo Leopoliensis et Haliciensis invicem perpetuo canonice unitarum Ecclesiarum Graeci Rutheni Ritus, S. R. E. uniti, salutem etc.

Cum Nos Metropolitanis Ecclesiis etc. continentur, ac postmodum Pallium etc. ex parte tua etc. per dilectum filium Virgilium Pascereilli, Consistorialis Aulae Advocatum etc. tibi assignandum per dilectum etiam filium Jordanum Mickiewicz²¹, Praesbyterum ac Monachum Ordinis S. Basilii Magni duximum destinandum etc. procures. Forma autem etc. haec est: Ad honorem etc. concessis. Forma autem iuramenti etc. talis est: Ego Michael etc. ab hac hora inantea etc. Evangelia.

Datum etc. S. Mariam Maiorem, Anno etc. 1816, octavo Idus Martii etc., Anno 16.

879.

Romae, 11 . VIII . 1816

*Provisio Ecclesiae Munkaciensis in persona Alexii Pocsy.*ASV, *Reg. Lat.*

Dilecto filio etc.

PIUS EPISCOPUS Servus servorum Dei. Dilecto filio Basilio Pocsy^{21a} etc. salutem etc.

Apostolatus officium, meritis etc. gubernare. Cum Ecclesia Munkaciensis Ritus Graeci, S. Romanae Ecclesiae uniti etc. (*prout sub data 8.III.1773, ut nobis videtur, mutatis mutandis, quod spectat nomen personae Electi et Imperatoris Austriae*).

Datum Romae etc. (11 Augusti 1816) etc.

Hac eadem occasione datae fuerunt etiam aliae Bullae solitae Imperatori, Archiepiscopo Strigoniensi, Capitulo, Clero, populo etc. (prout sub data 23.IX.1771).

²¹ Procurator negotiorum Ordinis Basiliani et Ecclesiae Unitae in Urbe (1789-1827).

^{21a} Alexius Pocsy, Episcopus Munkaciensis (1816-1831). Nat. an. 1735 in Kokod. Studia theologica absolvit Viennae in Seminario ad S. Barbaram. Ordinatus sacerdos an. 1779, curam exercebat animarum in Arad; dein Cappellanus exercituum usque ad an. 1794, Parochus in Makov, et anno 1800 Canonicus Magnovaradinensis. Nominatus ab Imperatore die 7-III-1816. Obiit die 11-VII-1831. Post eius obitum Sedis Munkaciensis usque ad annum 1837 vacabat.

330.

Romae, 24 . VII . 1817

Translatio Ecclesiae cathedralis Munkacsiensis ex oppido Mukačevo in civitatem Užhorod (Unghvar), in Ucraina Carpatica tunc Austriae subiecta.

ASV, *Archivio dello Scrittore Segreto*, vol. 37, fol. 168-169, nr. 32.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 563, fol. 73.

PIUS EPISCOPUS, Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Romanos decet Pontifices intentis studiis curisque sollicitis assidue coniti, ut, quae ad promptiora religionis auxilia fideli populo impertienda et ad feliciorum sacrorum Antistitum statum, atque ad divini cultus splendorem conducant, utili providentia comparentur.

Eo nos consilio excepimus relationem nuper habitam de iis quae spectant ad episcopalem Ecclesiam Munkacsensem Graeci Ritus, S. Romanae Ecclesiae uniti, in regno Hungariae²². Constituta enim a fel. record. Clemente PP. XIV. Praedecessore nostro, per suas literas Apostolicas datas XIII Kalendas Octobris anni Domini Millesimi septingentesimi septuagesimi primi, nova episcopali sede et cathedrali ecclesia in oppido nuncupato Munkacs, cognitaqua deinde loci ac aedium angustia aliarumque rerum inopia et adversa coeli natura, expediens visum fuit eandem sedem episcopalem cum cathedrali ecclesia et Capitulo ad alterum magis amplum et commodum oppidum Hungovar nuncupatum transferre, simulque dotationi tam Episcopi quam Capituli et Seminarii, cum diversis etiam ad ecclesiastica beneficia spectantibus bonis opportune providere.

Comperto igitur in praesentiarum traslationem et assignationem huiusmodi in summam Ecclesiae eiusque Ministrorum ac totius gregis bonum cesuram fore, si Apostolicae approbationis robur accesserit, re universa accurate perpensa, Nos per hasce Apostolicas literas, de certa scientia et matura deliberatione nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine, praevia actorum omnium sanatione et revalidatione quoad praeteritum, atque extincta in praedicta civitate Munkacsensi cathedralitate et residentia Episcopi et Capituli, eandem Episcopalem Sedem Munkacsensem Graeci Ritus, S. Romanae Ecclesiae uniti, cum cathedrali ecclesia, Capitulo, clero et Seminario, firmis omnibus et singulis bonis a creditibus unicuique eorum respective assignatis et competentibus, ac firma pariter denominatione ipsius Munkacsiensis Episcopatus, ad praefatum oppidum Hungovar²³ traslatam ac perpetuo constitutam pari auctoritate nostra censi volumus atque mandamus.

²² Eparchia Munkacsiensis (Mukačevo) initia sua habet saec. XIV; saec. XVII (1646-52) ad Unionem Ecclesiae Catholicae venit. Ab anno 1689 a Vicariis Apostolicis administrabatur, sub dependentia tamen Episcopi Agriensis. Anno 1771 a Sede Apostolica ad Sedem residentialem evecta. Episcopi in oppido Mukačevo, imo in monasterio Basilianorum eiusdem nominis residebant. Hoc anno ad oppidum Užhorod Sedes translata est, ubi ad hodierna permanet tempora, retento tamen titulo Eparchiae Munkacsiensis. Cfr. BASHLOVITS, *Brevis notitia foundationis...*, vol. I-II, Cassoviae 1799-1804. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 1031-1054.

²³ Užhorod slavice, vel potius ucrainice; Ungwar-hungarice. Oppidum in Ucraina Carpatica, tunc dominio Austriae subiecta.

Praesentes autem literas et in eis contenta quaecumque nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis vitio, seu intentionis nostrae vel quovis alio defectu notari, impugnari, vel invalidari posse, sed semper validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri atque obtinere debere, et si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Non obstantibus, quatenus opus sit, quibusvis constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque et indultis, aliisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum sanationis, revalidationis, translationis, constitutionis, mandati, decreti ac voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicae MDCCCXVII, nono Kalendas Augusti, Pontificatus Nostri Anno XVIII.

381.

Romae, 22 . IX . 1818

Bulla erectionis Eparchiae Prjašivensis (Eperies) Ritus Orientalis.

ASV, *Collezione Bolle e Brevi Apostolici*, vol. 5, nr. 13.

Bulla erectionis Episcopatus Eperiessen. Ritus Graeci uniti²⁴.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Relata semper ab Ecclesia militanti in Verbo illius, qui firmam supra petram aedificavit eam contra Principem tenebrarum Victoria, quemadmodum per elevata quandoque inter populos in umbra mortis sedentes Crucis vexilla quandoque per novos in sinu credentium Episcopatus in medio aliorum veluti nova fidei tentoria ac propugnacula erectos ad defendendam et custodiendam Civitatem Sanctam ac Vineam Dei electam fuit omni tempore non sine Predecessorum Nostrorum gaudio, ac Christifidelium spirituali progressu et solamine recognita.

Nos ita, quos licet immerentes ipsius Ecclesiae regimini constituit Dominus, animo ceterum revolventes quam facile sit ex nonnullarum Dioecesium amplitudine, ut oriantur abusus, quamque difficile eos sic ortos eliminare et evellere, ex debito pastoralis officii ne in medium prodeant, Apostolicae potestatis gladio praeceuntes cuicumque incomodo per novarum Cathedralium erectiones, praecipue cum ab Imperatoribus et Regibus pro fidei catholicae bono ac animarum salute sunt expetitae viam precludere satagimus, ut tandem, benedicente Domino, qui exiguis incrementum dat, labores Nostros omnes populi et in tenebris obvoluti quod paravit Deus in aeternum lumen

²⁴ Eparchia Eperiessensis, vel Fragopolitana, vel demum Prjašivensis, ex parte alim Eparchiae Munkaesiensis constituta est. Sedes episcopalis designata est in oppido Prjašiv (Prešov, Eperies).

ad revelationem gentium propius videre, sicque in universa terra unus tantum Pastor, ac unum Ovile Altissimo cum gratiarum actione valeant adesse.

Cum itaque Nobis innotuerit, quod ob ingentem Episcopatus Munkaciensis graeci rithus catholici amplitudinem, quae per tredecim Comitatus in Hungarica dictione protenditur, Dioecesis illa sub unius Episcopi tantum pastoralis jurisdictione gubernari satis utiliter non possit eiusque Ecclesiae Antistes suum ut par est pastorale munus explere ac singulorum Christifidelium sibi respective commissorum spiritualibus indigentibus ea qua par est celeritate afferre nequeat, cumque charissimus in Christo filius Noster Franciscus Primus Austriae Imperator ac Hungariae, et Bohemiae Rex Apostolicus opportune Nobis insinuaverit, ut si a supradicto Episcopatu Munkaciensi infrapositi Comitatus per Nos, ut infra, opportuno dismembrarentur et intra illos videlicet in oppido civitate, nuncupato Eperiessensi predictae Munkaciensis Dioecesis pariter infrapositae, novus Episcopatus erigeretur, opus quidem Orthodoxae Religioni ac ipsismet Christifidelibus maxime salutare iuxta eius flagrantia desideria perficeretur.

Ex processu autem a dilecto filio Nostro et Sedis Apostolicas Nuntio Viennae in Austria commorante in vim specialium facultatum a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum Romanae Ecclesiae Cardinalium rebus Consistorialibus preposita, vigore specialis Decreti a praefata Congregatione sub die vigesima tertia Maii superioris anni Domini Millesimi Octingentesimi Decimi Octavi editi, eidem Nuntio impertite confecto et ad Urbem transmissa plane constiterit de huiusmodi Episcopatus erectionis utilitate, memoratae dismembrationis ministerio, cui Venerabilis frater Alexius Pocsy²⁵, modernus Episcopus Munkaciensis lubenter assentit, Nos, audita prius super re tam gravi praefatae Congregationis Secretarii relatione, tam pia Augustissimi Imperatoris, et Regis desideria favore illiusque desuper per suas litteras ad Nos datas oblati precibus obsecundare nec non Graeci Rithus uniti Nationem ut Orthodoxae Fidei firmiter inhereat ac Schismatici ad eam amplectendam facilius alliciantur specialibus favoribus et gratiis prosequi eiusque speciali bono aeternaeque saluti prospicere volentes, motu proprio dominia, comitatus et districtus infrascripta a praefata Munkaciensi Dioecesi penitus ac perpetuo dividimus ac separamus, predictumque oppidum, liberam et regiam civitatem de Eperies nuncupatam sub eiusdem Imperatoris Dominio numero Graeci et Latini Rithus Catholicorum habitantium valde conspicuam, iuxta Canonicas sanctiones civitatis episcopalis titulo et honore dicta Apostolica auctoritate etiam perpetuo decoramus, nec non in praefato oppido, civitatis titulo ut praefertur decorato, Parochialem ecclesiam, Vicarialem nuncupatam, sub titulo Sancti Joannis Evangelistae quae quidem satis ampla nec ineleganter instructa dignoscitur in Episcopalem et Cathedralam, quae Parochialis ut antea existat Ecclesiam Eperiessensem sub eodem ipso praefati Sancti Joannis Evangelistae titulo et respective invocatione, et cuius animarum curae exercitium penes hodiernum Parochum, Vicarium nuncupatum, remanebit; illius autem vacatione quovis modo occurrente futurus, et pro tempore existens Episcopus Eperiesensis ut antea valeat providere atque in illa unam Sedem Dignitatem Episcopalem pro uno Episcopo, Eperiessensi nuncupando,

²⁵ Alexius Pocsy, Episcopus Munkaciensis (1816-1831). Cfr. supra.

qui omnibus episcopalibus insignis, privilegiis et praerogativis eisdem modo et forma, quibus ceterae Cathedralis Ecclesiae Rithus Graeco-Catholici ab Apostolica Sede alias in eodem Regno Hungarico erectae perfruuntur, et gaudent cum omnimoda iurisdictione in Ruthenos omnes Graeci-Rithus unitos aliosque qui eosdem Rithus et unionem sequuntur tam in praedicto oppido civitate Eperiessensi titulo ut praefertur decorato et infrascripta Dioecesi Munkacsensi dismembranda et novae Dioecesi huiusmodi Eperiessensi ut infra constituendae unientur et incorporabuntur. Et insuper in ea unam Praeposituram, quae post Pontificalem major pro uno Praeposito seu Archipresbytero, ac alium Lectoratum sive Archidiaconatum quae secunda pro uno Lectore seu Archidiacono, unum Cantoratum sive Primiceratum qui tertia pro uno Cantore seu Primicerio, et unam Custodiam vel Ecclesiarchatum qui quarta pro uno Custode seu Ecclesiarcho nec non denique Scholasticam qui quinta respective Dignitas existant pro uno Scholastico; respective Presbyteris futuris dictae Cathedralis Ecclesiae ut infra erigendae Capitularibus Canonicis aequae nuncupandis, quorum unicuique sua ut infra constituetur Praebenda et ex quibus novum constabit Capitulum, quorum singuli apud dictam noviter ut infra erigendam Cathedralis Ecclesiam personaliter residere et inibi Divina Officia de more celebrare teneantur ad Dei Omnipotentis laudem et gloriam et catholicae fidei exaltationem praefatique Sancti Joannis Evangelistae venerationem, Motu simili eadem Apostolica auctoritate perpetuo respective erigimus et instituimus²⁶.

Ut autem Episcopalis Mensa ad futuri et pro tempore existentis Eperiessensis Episcopi Pontificalem dignitatem decenter tuendam eidem Episcopo summam sex millium florenorum monetae Viennensis a praefato Imperatore et Rege designatam, ab omni onere liberam, immunem et exemptam quolibet anno persolvendam donec, iuxta tractatum, ab eodem Imperatore et Rege alia bona stabilia quamprimum ad hunc effectum assignetur, quorum quidem redditus minores non sint praedictis sex millibus florenis annuatim, ut supra, ab eodem Eperiessensi Episcopo pro tempore existendi percipiendis, eadem Apostolica auctoritate etiam perpetuo constituimus atque adsignamus; pro decenti vero et comoda futuri Episcopi Eperiessensis eiusque in hac Graeci praedicti Rithus Cathedrali Ecclesia et Successorum habitatione Aedes eidem Cathedrali Ecclesiae contiguas quarum reparationibus, et necessariis instaurationibus, ipso iubente Imperatore et Rege, pro Episcopali Residentia data nunc opera est, Apostolica auctoritate praefata etiam perpetuo adscribimus atque concedimus. Tum vero dotationi noviter instituti Capituli providere volentes Praepositurae videlicet, seu Archipresbyteratui mille et Lectoratui sive Archidiaconatui nongentorum ac Cantoratui sive Primiceratui octingentorum, et Custodiae seu Ecclesiarchatui septingentorum, ac denique Scholasticae, ut praefertur erectis praedictis sexcentorum florenorum praedictae monetae Viennensis pro Praepositi seu Archipresbyteri, ac Lectoris seu Archidiaconi, necnon Cantoris seu Primicerii, et Custodis seu Ecclesiarchi necnon Scholastici eis eorumque singulorum respective Praebendis, quibus et propriae sustentationi provideri ac onera cuilibet eorum exinde incumbentia perferre valeant, annuatim, curante praefato Imperatore ac Rege, persolventur, usque

²⁶ Ut videtur his verbis Capitulum Prjasiense erectum fuit. Aliud documentum non invenimus.

dum eorum Praebendarum dotationi in bonis stabilibus, iuxta tractatum superius expressum, prospiciatur, praefata Apostolica auctoritate etiam perpetuo constituimus et assignamus.

Hisce igitur circa Graeci Catholici Rithus novam Cathedralem Ecclesiam Eperiessensem, ut praefertur, erectam sic statutis atque ordinatis, attento consensu praefati Episcopi Munkaciensis²⁷, sicut praefertur praestito, ab eius Episcopatus Dioecesi sex integros Comitatus, nempe: Abayvarensensem, Borgosdiensem, Gomoriensem, Sarosiensem, Scepusiensem et Tornyensem, ac pariter ex Comitatu Zempliniensi quinque tantum vice-Archidiaconatus videlicet: Hommonensem, Hostovicensem, Laborcensem, Stropcovicensem, et Vranoviensem, in quibus centum nonaginta tres Paroeciae cum suis respectives ecclesiis filialibus continentur, de simili Apostolica auctoritate et perpetuo seiungimus et dismembramus.

Omnisque sex Comitatus nec non quinque Archidiaconatus ex praefato Comitatu Zempliniensi, superius expressos, cum civitatibus, oppidis, pagis, praediis, aliisque omnibus in centum nonaginta tribus Paroeciis consistentibus, pro hac nova Dioecesi Episcopatus de Eperies Graeci Rithus uniti pro suis territorio et Dioecesi eadem Apostolica auctoritate etiam perpetuo assignamus atque constituimus.

Necnon ecclesias, monasteria, conventus utriusque sexus personas, habitatores omnes, et incolas Ruthenos Graeci Rithus unitos aliosque qui eosdem Rithus et unionem sequuntur, quique hactenus sub omnimoda iurisdictione Episcopi Munkaciensis fuerunt, ab eius ordinaria potestate et superioritate de pari Apostolica auctoritate perpetuo quoque eximimus atque seiungimus, eosdem futuri novi Rithus Graeco-Catholici Episcopi Eperiessensi eiusque in Episcopatu praefato Successorum iurisdictioni potestati, et superioritati itidem perpetuo Apostolica auctoritate praefata supponimus atque subiicimus, ea tamen lege, ut tam primo futurus Episcopus de Eperies, quam eius in Episcopatu huiusmodi Successores omnes nullo unquam tempore ordinariae iurisdictioni Agriensis aliorumque Rithus Latini Episcoporum praeiudicium aliquod inferre praesumant, sed iurisdictionem suam in Clerum dumtaxat ac populum Rutenorum Graeci Rithus uniti aliorumque, qui eosdem Rithus ac unionem sequuntur ac degunt tam in civitate de Eperies praedicta, quam in sua ut supra assignata Dioecesi exercere valeant, servatis in omnibus et perfecte adimpletis Decretis Venerabilium pariter fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, Congregationis de Propaganda Fide praepositae, quoad Graecos qui cum Latinis immixti vivunt saepius emanatis.

Jus vero nominandi seu praesentandi ad praefatam Ecclesiam Cathedralem Eperiessensem, sic ut praefertur erectam, praefato Imperatori et Regi eiusque in Regno Hungarico praefato Successoribus Regibus infra tempus a iure praefixum coram Nobis et Romanis Pontificibus, Successoribus Nostris, pro tempore existentibus, tam pro prima vice quam in futuris vacationibus quomodolibet, non autem apud Sedem Apostolicam, contingentibus, personam idoneam quae per Romanum Pontificem pro tempore existentem in Episcopum praeficiatur, iisdem modo et forma quibus Episcopi Rithus Graeco-Catholici in Regno Hungarico existentes a Sede Apostolica hactenus praefici consue-

²⁷ Alexii Pocsy (1816-1831).

verunt, perpetuo quoque Apostolica auctoritate praefata tribuimus atque concedimus.

Ac demum quod tam Episcopus Eperiessensis, seu primo instituendus, quam eius in Episcopatu praefato Successores, Metropolitanae iurisdictioni pro tempore existentis Archiepiscopi Strigoniensis, uti eorum Metropolitanis, subiecti sint, et esse debeant, quodque idem Archiepiscopus Strigoniensis omnibus honoribus, praerogativis et privilegiis relate ad alias similes Graeci Rithus uniti Suffraganeas Ecclesias in Regno Hungarico et Bohemiae competentibus pariformiter perfruatur et gaudet; ipsique Archiepiscopi Strigonienses pro tempore existentes atque, Sede Archiepiscopali vacante, Capitulum Strigoniense iurisdictionem omnem, quae Jure Metropolitico in Ecclesias Suffraganeas illius Provinciae moris est utuntur, et gaudent, in Episcopum quoque Eperiessensem dicti Rithus plenarie exercent, cum facultate et toties quoties placuerit ea inquirendi et cognoscendi, quae ad fidei puritatem animarumque spirituale bonum noverint pertinere, dicta Apostolica auctoritate perpetuo quoque decernimus et ordinamus²⁸.

Decernentes quoque easdem praesentes semper perpetuo validas et efficaces esse, et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere ac omnibus et singulis ad quos nunc spectat et pro tempore spectabit quomodolibet in futurum firmiter et inviolabiliter observari debere, ac nullo unquam tempore ex quocumque capite vel qualibet causa, quantumvis iuridica, legitima, et ex eo quod causae, propter quas eadem praesentes emanarunt, adductae, verificatae, et iustificatae non fuerint, de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis vitio aut intentionis Nostrae seu quoquam alio quantumvis magno, substantiali, inexcogitato et inexcogitabili, ac specialem et individualementionem, et expressionem requirentes defectu, et ex eo quod in praemissis eorumque aliquo solemnitates et quaevis alia servanda et adimplenda servata, ed adimpleta non fuerint, aut ex quocumque alio capite de jure vel facto seu statuto vel consuetudine aliqua resultante, seu etiam enormis, enormissimae totalisque lesionis aut quocumque alio colore, praetextu, aliaque ratione vel causa, et quantumvis iusta, rationabili, legitima, iuridica, pia, privilegiata, et tali quae ad effectum validitatis praemissorum necessario exprimenda foret, aut quod de voluntate Nostra et aliis superius expressis nullibi appareret seu alias probari posset, notari, impugnari, invalidari, retractari, aut in ius vel controversiam revocari, aut ad viam et terminos iuris reduci, aut aliud quodcumque iuris vel facti aut gratiae vel iustitiae remedium impetrari, seu quomodolibet, etiam motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus concessio et impetrato vel emanato quempiam uti seu se iuvare in Iudicio vel extra illud posse, neque easdem praesentes sub quibusvis similium vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus aliisque contrariis dispositionibus per quas-cumque litteras et constitutiones Apostolicas aut Cancellariae Apostolicae regulas, quomodocumque, etiam in crastinum assumptionis Nostrae et Successorum Nostrorum Romanorum Pontificum ad summi Apostolatus apicem, etiam motu, scientia et plenitudine paribus, etiam consistorialiter ex quibusvis causis, ac sub quibuscumque verborum expressionibus, tenoribus, ac

²⁸ Dependencia haec usque ad tempora novissima perdurabat, donec an. 1940 Sedi Apostolicae immediate subiecta devenit.

formis, ac cum quibusvis clausulis et Decretis, et si in eis de eisdem praesentibus eorumque toto tenore, ac data specialis mentio fiat, editas vel in posterum edendas comprehendendi, sed semper et omnino ab illis excipi, et quoties illae emanabunt toties in pristinum ac validissimum statum restitutas, repositas, ac plenarie reintegratas fore et esse sicque et non alias per quoscumque Iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales et de Latere Legatos, Vicelegatos dictaeque Sedis Nuncios, aliosque quoscumque, quavis auctoritate, potestate, facultate, praerogativa, ac privilegio fungentes, ac honore, et praeminentia fulgentes, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate, et auctoritate in quocumque iudicio et in quacumque instantia iudicari et definiri debere irritumque et inane si secus super his ac quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostra et Cancellariae Apostolicae regula de iure quaesito non tollendo aliisque in contrarium praemissorum quomodolibet etiam in Synodalibus, Provincialibus, Generalibus, et Universalibus Conciliis editis vel edendis specialibus vel generalibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, privilegiis quoque indultis Apostolicis, quibusve Superioribus, et personis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, et insolitis clausulis, ac irritantibus, et aliis Decretis in genere, vel in specie, etiam Motu, scientia, et potestatis plenitudine similibus pro tempore concessis et concedendis, quibus omnibus et singulis etsi pro illorum sufficienti derogatione aliis de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quavis alia expressio habenda aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum nil penitus omisso et forma in illis tradita observata et inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis et insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus latissime et plenissime ad praemissorum validissimum effectum specialiter et expresse nec non opportune et valide, hac vice dumtaxat, Motu, scientia et plenitudine paribus derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod futurus Episcopus Eperiessensis in dicta Cathedrali Ecclesia, ut praefertur, vacua, primo instituendus et eiusdem Ecclesiae Successores tam in eorum institutione quam singulis quibuscumque annis, vita comite Fidei Catholicae professionem, a fel. rec. Gregorio PP. Decimotertio, Praedecessore Nostro, pro Graecis - unitis prescriptam, coram duabus personis ecclesiasticis sui Cleri aut Capituli, in dignitate ecclesiastica constitutis, expresse emittere eamque scriptis traditam et propria manus earumdem personarum subscriptione et sigillo munitam ad pro tempore existentem Sedis Apostolicae Nuntium, Vindobonae commorantem transmittere omnino teneantur et obligati existant, quamque ipse Apostolicus Nuncius ad praefatam Sacram Congregationem de Propaganda Fide perferri curabit. Volumus etiam, ut praefata Ecclesia Eperiessensis per Nos, ut praefertur, erecta, iuxta eius redditus de more taxari ad flor. 548/2/3 et taxa huiusmodi in libris Camerae Apostolicae describi debeat, quodque in Exequutorem pro exequutione tantum praesentium dilectus filius Noster et Sedis Apostolicae

praedictae Nuncius Viennensis cum facultate subdelegandi quamcumque personam, in dignitate tamen ecclesiastica constitutam, deputetur. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae divisionis, separationis, decorationis, erectionis, institutionis, exemptionis, disiunctionis, suppositionis, subiectionis, tributionis, assignationis, adscriptionis, concessionis, constitutionis, seiunctionis, dismembrationis, decreti, derogationis et voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Domini 1818, decimo Kalendas Octobris, Pontificatus Nostri Anno decimonono.

882.

Romae, 26 . IX . 1818

Provisio noviter erectae Eparchiae Prjašivensis (Eperiessensis) in persona Gregori Tarkovič.

ASV, Reg. Lat. (Vol. non invenimus)

Dilecto filio etc.

PIUS Episcopus etc. Dilecto filio Gregorio²⁹ etc. salutem etc.

Romani Pontificis etc. incrementis³⁰. Sane Ecclesiae Eperiessensis, Ritus Graeci, Sanctae Romanae Ecclesiae uniti, nuper per Nos in cathedralem erecta et instituta, ad quam pro hac prima vice etc. (*cf.* 23.IX.1771, *mutatis mutandis, quod spectat circumstantias loci et personarum*).

Datum Romae etc. (26 Septembris 1818, etc).

Simili, ut videtur, modo scriptum est etiam Imperatori Francisco I. Archiep. Strigoniensi, Capitulo, Clero et populo (ut sub eadem data 23.IX.1771).

²⁹ Gregorius Tarkovič, Episcopus Prjašivensis ordine primus (1818-1841). Nat. 20. XI.1754 in Pasika, tunc temporis comitatus Beregh. Apud PP. Soc. Jesu in Užhorod studia absolvit, dein philosophiae operam navabat Magno-Varadini, et demum studia theologica in Seminario ad S. Barbaram, Viennae, terminavit. Ordinatus sacerdos die 1.I. 1779. Dein theologiam docebat in Seminario Užhorodensi usque ad annum 1793. Ab anno 1793 officia obibat paroecialia, primum penes ecclesiam Doroghiensem, dein in Užhorod. Ab anno 1804 Canonicus Munkaaciensis, an. 1813 Vicarius foraneus Cassoviensis, an. vero 1815-6 Vicarius Capitularis Munkaaciensis. Dein die 20.III.1816 nominatus Episcopus Prjašivensis, cuius Eparchiae erectio tunc in Curia Romana iam pene absoluta fuit; inde, Eparchia erecta (22.IX.1818), statim confirmatus est in hac Sede cum solitis dispensationibus et clausulis. Tandem anno 1821, die 17 Junii consecrationem accepit episcopalem, et viginti per annos Eparchiam hanc regebat. Obiit die 16.I.1841. *Cfr.* *Schematismus Dioeceseos Prešovensis*, Prešov 1944, p. 13; J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 1050.

³⁰ Bullam respectivam non invenimus. Nobis videtur fuisse similem ac illam qua nominatus fuit olim Episcopus Munkaaciensis *Cfr.* supra, sub data 23.IX.1771, in nominatione Joannis Bradacs, primi Episcopi noviter erectae Eparchiae. Ut videtur, similia edita erant documenta etiam ad Imperatorem, Archiep. Strigoniensem, Capitulum, Vasallos, Clerum, populum etc. Prout patet ex nostra Collectione hac in re Sedes Apostolica semper solita adhibebat formularia, mutatis mutandis, ex circumstantiis loci, et personarum.

883.

Romae, 18 . I . 1822

Conceduntur indulgentiae pro exercentibus «viam crucis» in ecclesia SS. Petri et Pauli Vitebscensi.

ASV, *Arch. dei Brevi Ap.: Indulg. perpetuae*, vol. 171, fol. 6.

PIUS PP. VII. Ad perpetuam rei memoriam.

Qui vere laudabilis et salutaris in pluribus christiani orbis partibus Dominicae Passionis memoria pro quodam exercitio viae crucis, seu Calvariae nuncupatae statutis precibus locisve recolendi usus iam dudum invaluerat, eundem ad christianam pietatem favendam adaugendamque et aeternam salutem consequendam magis aptum, facilem et opportunum esse reputantes, Romani Pontifices, Praedecessores nostri, maximopere studiis omnibus adlaboraverunt, ut ubique locorum poneretur, et institueretur atque etiam ut magis frequentaretur spiritualibus indulgentiarum muneribus cumularent.

Cum itaque, sicut accepimus, in ecclesia parochiali Vitebscensi sub tit. Sanctorum apostolorum Petri et Pauli, Polocensis Dioecesis³¹, pium exercitium viae crucis huiusmodi seu Calvaria erectum seu erigendum sit, nobis propterea humiliter supplicatum fuit, ut omnes et singulas indulgentias praedictas ad Christifideles idem exercitium ibidem peragentes extendere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, ut devotio huiusmodi maiora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei etc. confisi, omnibus et singulis (f. 6v) utriusque sexus Christifidelibus, qui praedicta devotione viae crucis, quoties Dominicae Passionis memoria, ut praefertur, recolendo peregerint, aliaque iniuncta pietatis opera, ut moris est, persolverint, easdem omnes et singulas indulgentias, peccatorum etc. relaxationes, quas fel. rec. Innocentius XI, Innocentius XII, aliique Pontifices, Praedecessores nostri, Christifidelibus praedictum exercitium viae crucis in Ecclesiis Fratrum Ord. Minorum S. Francisci de Observantia, at Reformatorum nuncupatorum, ubi erectum reperitur, peragentibus, concesserunt, Apostolica auctoritate tenore praesentium misericorditer in Domino concedimus, et impertimur. Non obstantibus etc. quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, 18 Januari 1871, Anno 22.

Placet B.

A. Card. Consalvus

³¹ Agitur de Archieparchia olim Polocensi, quaet tunc temporis administrabatur ab ultimo catholico eiusdem Episcopo, Joanne Krasovskyj (1810-1825?). Civitas Vitebscensis haec eadem est in qua olim S. Josaphat Kuncewycz martyrium pro Ecclesia Catholica et Pontifice Romano subiit.

884.

Romae, 29 . I . 1822

Ecclesiae parochiali Vitebscensi SS. Petri et Pauli conceditur indulgentia plenaria perpetua.

ASV, *Arch. dei Brevi Ap.*: *Indulgentiae perpetuae*, vol. 171, fol. 1rv.

PIUS PP. VII. Ad perpetuam rei memoriam.

Ad augendam etc. intenti, omnibus et singulis Christifidelibus utriusque sexus vere etc. reffectis, qui ecclesiam parochialem Vitebscensem sub tit. Sanctorum Petri et Pauli apostolorum Polocensis Dioecesis, in inventionis et exaltationis S. Crucis, Sanctorum Petri et Pauli apostolorum, ac S. Nicolai Confessoris et Episcopi Myrensis festis diebus nec non feria sexta infra hebdomadam passionis, ac tertia Dominica mensis Septembris a primis etc. egerint, plenariam omnium etc. concedimus. In contrarium etc., quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, die 29 Januarii 1822, An. 22

885.

Romae, 30 . VII . 1822

Renovatur indultum admittendi ad Ordinem Basilianorum Latinos, cum transitu a Ritu Latino in Ruthenum ipso facto eveniendo.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 4683, nr. 6.
DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 617-618, nr. 104.

PIUS PP. VII. Ad futuram rei memoriam.

Ea sunt Ordinis S. Basilii M. Ruthenorum erga rem catholicam merita, praesertim in Ruthenae Nationis cum hac Petri Cathedra unione confovenda, atque firmanda, ut commemorari satis, ac satis amplo praeconio laudum extolli non possint. Quae quidem merita probe noscens ac praedicans Congregatio Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis propagandae fidei praepositorum, cupiensque simul, prout ex usu catholicae rei est, quamplurimos ad institutum illud amplexandum accedere, non ita pridem decretum edidit in haec verba:

Cum Ordo S. Basilii Magni Congregationis Ruthenorum non modo plurimum de ipsius nationis unione cum sancta Catholica Ecclesia sit meritus, sed etiam praecipuum sit orthodoxae religionis inter Ruthenos columnen ac propugnaculum, adeoque ex fel. record. Clementis VIII, Pauli V, Benedicti XIV aliorumque Summorum Pontificum concessione pluribus cumulatus fuerit indultis ac privilegiis, eoque praesertim, ut Latinis etiam liber pateat in eandem Congregationem ingressus; cumque decrescente eorumdem monachorum numero, Procurator generalis nomine totius Ordinis humillime supplicaverit, ut ad conservandam augendamque tam benemeritam Congrega-

tionem, ex qua potissimum Episcopi, sacri praecones ac praeceptores desumuntur, et ad Latinos adolescentes magis magisque excitandos ad amplectendum tam salutare Institutum benigne renovetur, et, quatenus opus sit, denuo concedatur indultum, ut nemque Latinis eidem Congregationi se addicere et regularem in ea professionem emittere liceat, sacra Congregatio animadvertens, indultum hoc ad Sanctam Ruthenorum Unionem servandam propagandamque valde conferre, censuit supplicandum Sanctissimo pro eiusmodi indulti confirmatione seu concessione, ita ut Latini libere ac licite possint in eadem Congregatione admitti, ipsius professionem facere et ad sacros ordines, servatis in omnibus servandis, promoveri.

Nos vero pro studio, quo in monachos eiusdem Ordinis ferimus, caventesque, ne sacra illa Societas ad solitudinem redigatur, aut saltem infrequens fiat, neve legendi saepe ex ea Rutheni gregis pastores catholicaeque veritatis praecones desint, referente dilecto filio magistro Carolo Maria Pedicini eiusdem Congregatione Segretario, die duodecima Maii huius anni Decretum id approbatione nostra munivimus. Quum vero nomine Congregationis praedictae petitum nobis fuerit, ut de nostra eiusmodi approbatione et indulto Apostolicis literis constare velimus, haud gravare inducimur, ut oblati precibus obsequamur. Rursum igitur Decretum, de quo egimus, confirmantes, omnesque ac singulos quibus hae literae fevent peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis anathematis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris ac poenis, a iure vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, supplicationibus eorum nomine nobis humiliter porrectis inclinati, ut qui latino utuntur ritu, libere ac licite possint Ordini Sancti Basilii Magni Ruthenorum eiusque Congregationibus nomen dare³², votisque Dei nuncupatis, id Institutum profiteri, auctoritate Apostolica concedimus et indulgemus, aliorum Pontificum, Praedecessorum nostrorum, hac de re indulta renovantes, ac, quatenus opus sit, id facultatis denuo impertientes.

Decernentes insuper has literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere; praedictoquo Ordini S. Basilii Magni Ruthenorum, in eumque admittendis tyronibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii nostri Apostolici Auditores, iudicari et definiri debere; ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XXX Julii MDCCCXXII. Pontificatus Nostri Anno XXIII.

³² Privilegium hoc postea Pius IX confirmavit, expresse ad Breve Pii VII reclamando. Cfr. infra, sub data 1851.

886.

Romae, 3 . VIII . 1823

Separatio partis Eparchiae Munkacsiensis, s. d. Archidiaconatus Szathmariensis, qui assignatur Episcopo Magnovaradiensi.

ASV, *Archivio dello Scrittore Segreto*, vol. 38, fol. 149-152v, nr. 20.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 635-637, nr. 116.

PIUS EPISCOPUS, Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Imposita humilitati nostrae in rem christianam universam sollicitudo proferre Nos adigit Apostolicae benignitatis dispensationem ad ea comparanda, quibus in Dominici gregis utilitates facilius prospectum iri dignoscamus. Hoc proinde consilio in eas dioecesium divisiones annuendum ut plurimum censuimus, quibus facilior atque commodior sacrorum procuratio fidei populo conciliaretur.

Neque alia de causa preces audiendas duximus, quibus carissimus in Christo filius noster Franciscus I, Austriae Imperator atque Hungariae e Bohemiae Rex Apostolicus, annis institerat, ut ab episcopatu Munkacsiensi Graeci Ritus catholici amplissima dioecesi tot loca separarem³³, quod essent satis ad alteram Episcopalem Sedem noviter constabiliendam; itemque nonnulla alia seiungeremus alteri iam existenti Sedi Episcopali incorporanda. Factum inde fuit, ut quinquennio ante omnibus opportune compositis per Apostolicas sub plumbo literas datas decimo Kalendas Octobris Anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo decimo octavo novam Eperiessensem Graeci Ritus catholici episcopalem ecclesiam erexerimus. Nunc vero, quoniam laudatus Franciscus Imperator et Rex per dilectum filium Antonium comitem Appony suum apud Nos et hanc Apostolicam Sedem oratorem extraordinarium preces iteravit, ut ab antedicta dioecesi Munkacsiensi infrascripta loca dismembrando eadem uniamus Magnovaradiensi dioecesi Graeci pariter catholici Ritus, cumque habito etiam Venerabilis fratris Alexii moderni Episcopi³⁴ Munkacsiensis expresso consensu, luculentis etiam testimoniis monumentisque nobis costiterit novam hanc dispositionem in summum illius populi commodum fore cessurum, idcirco eiusmodi petitioni benigne in Domino censuimus annuere.

Quare, omnibus accurate et diligenter perpensis, ut catholicorum Graeci Ritus in illis partibus degentium spirituali regimini facilius consulatur. ex certa scientia ac matura deliberatione nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine, a Munkacsiensi Graeci Ritus catholici dioecesi perpetuo dismembramus, seiungimus ac separamus archidiaconatum Szathmariensem sex vice-archidiaconatus complectentem cum septuaginta duabus paroeciis, nempe ex vice-archidiaconatu Szathmariensi in comitatu eiusdem nominis paroecias nuncupatas Ovariae, Parisalma, Vetes, Dob, Bagos, Csenger Uifalu; ex vice-archidiaconatu Magnokarolyiensi paroecias nominatas Nagy-Karoly,

³³ Agitur de temporibus, quibus agebatur de erectione Eparchiae Eperiessensis (Prjasivensis). Cfr. supra, sub data 22.IX.1818.

³⁴ Alexius Pocsy (1816-1831).

Valachor., Nagy-Karoly Ruthenor., Veszend, Portelek, Dengelek, Endred, Reszege, Körteélisses, Szaniszlo, Csamaukoz, Kiss-Majteny, Domahida, Szent-Mikloss, Esztrö, Genes, Mezo Terem, Kapjou; ex vice-archidiaconatu Nyiensi in comitatu Szathmariensi paroecias vocitatas, Lugos, Fabianháza, Vasvany, Ders, Claszari Gebe, Hadasz, Parasznya, Peniszlek; ex vice-archidiaconatu Bihaliensi in comitatu Szathmariensi paroecias denominatas Nanto, Also-Bokad, Rakos-Terebess, Kiss-Szokond, Nagy-Szokond, Felső-Bokad, Olah-Kodos, Meddes, Olhah-Györös, Gyongy, ac paroecias Alsò-Szopor, et Kenge in comitatu Szolnoti mediocri; ex vice-archidiaconatu Erdödiensi in comitatu Szathmariensi paroecias nuncupatas Madarasz, Föelle-Terebess, Pisciarkos, Zsadány, Amacz Nagykults, Invasko, Poczafalu, Közep Homorod, Rez-Teleck, Orosz-Falu; et ex vice-archidiaconatu Erdoszadiensi in comitatu Szathmariensi paroecias vocitatas Erdö-Srada, Remette-Mezo, Olah-Uifalu, Tamary, Vorosmarth, Berlina, Lipo, Krasso, Cziko, Olah-Tajfalu, Farhas-Aszod, Szakalos-Biko, Barlafalu, Magyoros, Pap Biko, Ralaszut, ac Balatafalu, et in eis respective existentes collegiatas, si quae sint, filiales et alias quascumque ecclesias, abbatias, monasteria, et conventus, nec non utriusque sexus habitatores et incolas Graeci Ritus uniti tam ecclesiasticos quam laicos ab ordinaria iurisdictione, potestate ac superioritate Episcopi Munkacsiensis omnino eximimus et liberamus, dictumque archidiaconatum cum sex enunciatis vice-archidiaconatibus, ac memoratis septuaginta duabus paroeciis dioecesi Magnovaradiensi perpetuo unimus, annectimus et incorporamus, omnes in illis habitatores et incolas Graeci Ritus uniti cuiusvis gradus, status, ordinis et conditionis ordinarie iurisdictioni, regimini, potestati, auctoritati et superioritati moderni ac pro tempore existentis graeco-catholici Episcopi Magnovaradiensis perpetuo item subiicimus atque supponimus; ea tamen expresse adiecta lege, ut tam Venerabilis frater Samuel hodiernus Episcopus Magnovaradiensis, quam omnes eius in eodem Episcopatu successores nullum unquam ordinarie iurisdictioni Episcoporum catholicorum Latini Ritus, quam ipsi in suos subditos eiusdem Ritus Latini, in paroeciis ut supra dismembratis exercent, praeiudicium sub quocumque praetextu inferre praesumant, sed antedictus Episcopus Magnovaradiensis, illiusque pro tempore successores iurisdictionem suam in clerum et populum Ruthenorum Graeci Ritus uniti, inque alios eundem Ritus et unionem sequentes dumtaxat valeant exercere, servantes adamussim et exactae adimplentes omnia et singula decreta ab hac sacra Congregatione de Propaganda Fide quoad Graecos cum Latinis immixtim viventes pluries emanata.

Quocirca Venerabili fratri Paulo, Archiepiscopo Ephesimo nostro et Apostolicae Sedis apud supralaudatum Franciscum Imperatorem ac Regem Nuntio, quem in harum literarum nostrarum exequentorem eligimus et deputamus, necessarios omnes et opportunas ad praemissorum effectum plenarie consequendum tribuimus facultates, etiam quancumque personam in ecclesiastica dignitate constitutam subdelegandi, ac super quacumque oppositione adversus praemissa in actu exequentionis quomodolibet forsitan oritura, servatis de iure servandis, etiam definitive et quavis appellatione remota, libere ac licite pronuntiandi. Eidem vero Paulo Archiepiscopo et Nuntio iniungimus, ut actorum omnium in praemissorum exequentione conficiendorum authentica

exempla suo tempore Romam transmittat in Archivio Sacrae Congregationis rebus Consistorialibus praepositae de more asservanda.

Praesentes autem literas, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo, quod quilibet interesse habentes seu habere praetendentes vocati et auditi non fuerint, ac praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, aut obreptionis, vel in controversiam vocari posse, sed perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac ab omnibus ad quos spectat, inviolabiliter obsevari debere volumus atque decernimus.

Non obstantibus de iure quaesito non tollendo, ac nostris et Cancellariae Apostolicae regulis et in synodalibus, provincialibus universalibusque Conciliis editis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, supradictarumque Munkacsiensis ac Magnovaradiensis Ecclesiarum etiam confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate roboratis statutis, et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis Apostolicis, caeterisque contrariis quibuscumque.

Nulli ergo omnino hominum liceat paginam hanc nostrarum dismembrationis, seiunctionis, separationis, exemptionis, liberationis, unionis, annexionis, incorporationis, subiectionis, suppositionis, statuti, commissionis, deputationis, derogationis ac voluntatis infringere vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius, se noverit incursurum.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicae MDCCCXXIII, quinto Nonas Iulii, Pontificatus Nostri Anno vigesimoquarto.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

LEO XII

(28.IX,5.X.1823 — 10.II.1829)

fabrianensis

(Hannibal della Genga)

DOCUMENTA LEONIS PP. XII

887.

Romae, 27 . VIII . 1824

Facultas instituendi Capitulum, et confirmatio privilegiorum et iurium eiusdem Capituli Chelmensis, in Ucraina Occidentali.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 4733, fol. n. n., nr. 7.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 648-649, nr. 4.

Venerabili fratri Ferdinando Ciecanowski,
Episcopo Celmensi³⁵

LEO PP. XII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Pergrata nobis fuerunt ea, quae tu ad fel. rec. Praedecessorem nostrum Pium Septimum scripsisti de annuo reditu decem et octo millibus florenorum a Serenissimo totius Russiae Imperatore et Poloniae Rege³⁶ Alexandro I ad Capituli cathedralis ecclesiae tuae, Nativitati B. mae Virginis Mariae ac S. Wladimiro dicata, commoditatem destinato, quaeque nobis in eius locum suffectis allata sunt, ut opportunam tibi responsionem de toto negotio mitteremus. Ac fuit quidem nobis merito iucundum literas illas tuas perlegere. Non modo enim singulare continent tuae in Apostolicam Sedem observantiae et venerationem testimonium, verum etiam praeclarum afferunt summae Imperatoris ac Regis munificentiae argumentum, qui praeter illum, quem duximus in Capituli tui utilitatem reditum annuum decretum, ita etiam est animo comparatus, ut ampliorem quoque pecuniae summam eadem de causa pendere velit in posterum, ubi primum per imperialis regique aearii sui vires licebit. Voluimus Nos, quae tu scribebas, a Venn. fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis perpendi, nobisque deinde, quae eorundem de tota re sententia esset referri. Id vero postquam accurate perfectum est, nihil aliud etiam de memoratorum Venn. fratrum nostrorum consilio tibi scribendum esse censemus, nisi laetari nos magnopere cathedralis ecclesiae tuae, cui ab Serenissimi Principis clementiam copia offertur veteris spendoris sui non leviter recuperandi.

Gratulamur igitur tibi ac Capitulo cathedralis ecclesiae tuae vehementer laetamur, quod, ubi antea propter amissam ob rerum vicissitudines maiorum reddituum suorum partem ad eas erat angustiae reductum, ut valde par-

³⁵ Ferdinandus Ciechanovskyj, Episcopus Chelmensis Ruthenorum (1810-1828). Primum Episcoporum Ruthenorum, qui in Senatu Regni Poloniae (tunc in parte restituti) locum obtinuit, et revera partem habuit, annis praesertim 1811-1812. Obiit 7.IV.1828. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 832-836).

³⁶ Agitur adhuc de Alexandro I (1801-1825). Eius temporibus vita Ecclesiae Unitae paulum restaurata fuit, usque ad restitutionem Metropolitae Kioviensis (1806). Quae melioratio adscribenda est potius eius characteri personali. Post eius obitum, sat incertum, sub Nicolao I (1825-1855) Metropolia Kioviensis, excepta Eparchia Chelmensi, radicitus destructa est (1839).

vum haberet Canonicorum numerum, erigi nunc ex paupertate sua possit ac, copiosiori Canonicorum numero restituto, publico divino cultui splendidius inservire. Contingere fortasse poterit, ut Capituli reditus pro Imperatoris ac Regis munificentia, quemadmodum commemoravimus, aucti sufficiant non modo restituendis quinque dignitatibus ac veteri numero Canonicorum generalium, verum etiam honestae Canonicorum gremialium sustentationi constituendae. Utrum vero copia sit in praesentiarum totum illum Canonicorum veterem numerum restituendi, an oporteat pauciores illorum numerum designare, nemo rectius te poterit iudicare, qui omnia loci adiuncta plane nosti, quique rei adminicula omnia habes explorata. Illud tamen tibi certum esse debet, vel omnes iuxta veteris Capituli tui formam Canonici restituantur, vel ob reddituum angustiores fines necesse sit minorem eorum numerum restituere, id nunquam germanae Capituli antiquitati esse obfuturum. Persuasum igitur nobis est, te redditum illum annum, quem magnanimus Imperator in Capituli tui bonum decrevit, accipientem curaturum, ut omnia in illo recte constituentur, conservatis dignitatibus, insignibus honoris, ac praerogativa qualibet, quibus antea iure potiebatur.

Certum etiam nobis est, te diligentia tua facturum, ut quinque Praelati, quemadmodum utebantur antea crucis et hypogonatii gerendi facultate, ita etiam utantur in posterum; adhibeant vero crucis insigne Canonici, qui antea illius gerendae copia gaudebant; neque minus est nobis animo persuasum, te pro summo, quo praestas, sacrorum canonum custodiendorum studio, illos tantum in posterum ad canonicatus cathedrales nominaturum atque instituturum, quos ex clero tuo pietatis, doctrinae morumque integritatis laude commendatos esse compereris, ceterisque praeditos esse ornamentis, quae in beneficiorum collatione Ecclesiae decreta requirunt, ac servaturum etiam haec omnia in titularibus seu gremialibus canonicis nominandis instituendisque eo numero, quem arbitrio prudentiaeque tuae relinquimus ac reservamus. Denique illud tibi certum esse volumus paratos nos esse iustis petitionibus semper annuere, vehementerque optare veram, qua te Ecclesiamque tuam prosequimur, benevolentiam tibi ostendere, libentique animo esse excepturos, si aliquid scripseris, quod ad Capituli bonum promovendum tibi statuendum esse videatur. Postremo tibi ac gregi tibi commisso Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXVII Aug. MDCCCXXIV, Pontificatus Nostri Anno I.

888.

Romae, 22 . IV . 1828

Motu proprio Leonis XII, quo restituitur usus exemptionis a tributis pro bono Hospitii SS. Sergii e Bacchi de Urbe.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 4789, nr. 29.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. IV, p. 693-4, nr. 32.

LEO PP. XII. Ad futuram rei memoriam.

Gravissimae calamitates, quae infelicissimis hisce temporibus Ecclesiam et civilem societatem afflixerunt, deinde vero magna, quam haec Apostolica

Sedes passa est proventuum imminutio, denique necessitas, quae maior evasit, subsidia mittendi ad indigentes catholici orbis ecclesias pro veteri instituto, quod a Rom. Pontificibus perpetuo custoditum est, vim quodammodo intulerunt, ut in locis temporali nostro ac Sanctae huius Sedis dominio subiectis exemptio illa a publicis vectigalibus atque tributis, quam iuxta sacros canones bona ecclesiastica habent, Apostolica auctoritate suspenderetur. Sed quum in hac alma Urbe, quae propter beati Petri cathedram catholici ipsius orbis caput est, multi etiam Orientales ab antiquissimis temporibus commorari consueverint, aequum nobis visum est, ut praefatae exemptionis usum pro istorum saltem bonis restitueremus³⁷.

Quamobrem singulari gratia ac favore eos prosequi volentes, motu proprio ac certa scientia et matura deliberatione nostra decernimus et constituimus inter ecclesiastica bona, ex quibus ob memoratas causas in temporali ditione nostra percipi ad praesens tributa et vectigalia solent, minime esse in posterum accensenda sacra hospitia domosque ac caetera quaecumque bona ecclesiastica, quae in hac urbe Orientales possident. Quod quidem ipsum servatum etiam volumus pro bonis monachorum Ordinis S. Basilii Ritus-Rutheni, qui in eadem hac Urbe obtinent ecclesiam et hospitium SS. Sergii et Bacchi, vulgo Sanctae Mariae de Pasculo ad montes³⁸. Hinc per hasce ipsas Apostolicas literas thesaurario nostro generali mandamus, ut ipse ea deinde curet, quae sui officii sunt, ut voluntas haec nostra plenissime nanciscatur effectum.

Haec statuimus atque mandamus, decernentes has literas firmas, validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eisdemque Orientalibus et monachis hospitii SS. Sergii et Bacchi, eorum causa quae expressa sunt, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii nostri Apostolici Auditores, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus constitutionibus, sanctionibus et edictalibus legibus huius Apostolicae Sedis super ea re editis, caeterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXII Apr. MDCCCXXVIII, Pontificatus Nostri Anno V.

³⁷ Agitur de Graecis, Armenis, Ruthenis, nec de Maronitis aliisque Orientalibus, qui sua habent Romae Hospitia vel ecclesias.

³⁸ Hospitium penes ecclesiam SS. Sergii et Bacchi erat in possessione monachorum S. Basilii Magni inde ab anno 1638, quae possessio anno 1641 Brevi Pontificio confirmata fuit. Cfr. vol. I, p. 517, nr. 457, sub data 8.II.1641.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

PIUS VIII

(31.III,5.IV.1829 — 30.XI.1830)

cingulanus

(Franciscus Xaverius Castiglioni)

DOCUMENTA PII PP. VIII

889.

Romae, 29 . I . 1830

Provisio Ecclesiae Chelmenensis in persona Philippi Szumborskyj.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 4810, nr. 2.

Dilecto filio Presbytero Philippo Szumborski³⁹, Archidiacono
et Vicario in spiritualibus Generali Ecclesiae Chelmenensis.

PIUS. PP. VIII. Dilecte fili, salutem etc.

Apostolatus officium, meritis quamvis imparibus etc. attentari. Cum episcopalis Ecclesia Chelmenensis Ritus Rutheni uniti, quam immediate huic S. Sedi subiectam habemus, donec in regionibus Russiae dominio subditis Metropolia Ruthena unita non fuerit restituta, suo careat pastore, Nos ad eiusdem Ecclesiae, de cuius vacatione relatus fide digni fecerunt Nos certiores, provisionem celerem etc. habuimus diligentem ad te, qui Archidiaconus et Vicarius in spiritualibus Generalis praedictae Ecclesiae existis, ac ex legitimo matrimonio procreatus, in aetate etiam legitima es constitutus, cuius apud Nos de vitae etc. pensatis, te a quibusvis etc. censentes, Motu proprio atque ex certa scientia et matura deliberatione nostris deque Apostolicae potestatis plenitudine eamdem episcopalem Ecclesiam Chelmenensem Ritus Rutheni uniti de persona tua, nobis etc. providemus, teque illi in Episcopum et pastorem praeficimus, curam etc. incrementa suscipiet.

Jugum igitur Domini etc. merearis benedictionem et gratiam. Caeterum ad ea, quae in tua cedere possunt commodidatis etc. accitis et in hoc sibi assistentibus duobus aliis Episcopis, vel quatenus hi commode reperiri non poterint, duobus eorum loco Presbyteris saecularibus, seu cuiuscumque Ordinis, Congregationis et Instituti Regularibus, similem etc. valeas; ac eidem Antistiti etc. ..professione ...fidelitatis debitae solito iuramento etc. Volumus tamen etc. ut nisi receptis... suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, 29 Ianuarii 1830, Anno primo.

³⁹ Philippus Felicianus Szumborskyj, Episcopus Chelmenensis Ruthenorum (1828-1851). Nat. 15.X.1771 in Ostroh, in Volhynia. Ordinem Basilianorum professus est iuvenis. Ab anno 1824 Archidiaconus Chelmenensis et Secretarius Episcopi Ciechanovskij, dein Officialis. Post obitum Episcopi, et resignationem Ep. tit. Siedleckyj, nominatus est ad Sedem Chelmenensem (10.XII.1828). Confirmatus tamen non a Metropolita Haliciensi, cui dicta Ecclesia Suffraganea erat, sed a Sede Apostolica, quae Eparchiam hanc sibi immediate subiectam fecit. Cfr. documentum subsequens, et J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 836-846. Obiit die 19.I.1851. Vixit temporibus difficillimis, et impotens destructioni Ecclesiae Unitae assistere debuit. Etiamsi haec eadem sors etiam Ecclesiae Chelmensi iam tunc parabatur, tamen Ecclesiae Catholicae fidelis permansit.

890.

Romae, 3 . II . 1830

Pius VIII Ecclesiam Chelmensensem e iure Metropolitico Archiepiscopi Leopoliensis exemptam declarat.

HARASIEWICZ: *Annales...*, p. 886-7.

Naukovyj Sbornyk Halycko-russkoj matycy, Leopoli, III (1867), p. 76.

PELESZ J., *op. cit.*, II, p. 839-840.

Venerabili fratri Michaeli Archiepiscopo Leopoliensi, Rutheni Ritus.

PIUS PP. VIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Novimus ex literis nostri apud Caesarem augustum Nuntii, certio-
rem Fraternitatem Tuam factam fuisse de electione Rutheni Episcopi Chelmensis,
quam pluribus et gravibus ex causis diutius protrahi non posse dignovimus.
Hinc virum Deo bene iuvante adscivimus studio religionis, prudentia et doc-
trina commendatum dilectum filium Philippum Szumborski⁴⁰ illius Eccle-
siae Archidiaconum, qui eandem vicaria auctoritate noviter procurabat.

Haud quidem Nos fugerat hoc in consilio suscipiendo, quid de rutheno
Episcopo Chelmensi Sanctissimus Decessor Noster Pius VII constitutione
praescripsit, quae incipit « Impositum » diei 21 Februarii anno 1808. Verum
ipsa Fraternitas Tua probe animadvertet, eam nunc esse Chelmensis civita-
tis conditionem, ut iussa illa licet temporis providentissime edita, necessario
in praesens conticescant.

Hoc Nos negotii accurate ipsi expedimus, atque insuper ab selecta Ve-
nerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium Congregatione deduci in
examen curavimus, illudque demum ad catholicae rei incolumitatem visum
est decernere, ut Chelmensensem Ecclesiam Rutheni Ritus, quae tibi ut Leopoli-
tano Archiepiscopo Suffraganea suberat, ab Metropolitico hoc iure aliove
quolibet, quo in eandem ex Romanorum Pontificum munificentia fruebaris,
subtractam atque Apostolicae Nostrae Sedi immediate subiectam declaremus.

Id Apostolicis literis, quas in forma Brevis de novi Episcopi Chelmen-
sis electione dedimus, expresse denuntiavimus, liberam nobis ac Successori-
bus nostris potestatem reservantes constabiliendi de Metropolitico in eam
Ecclesiam iuribus, quod magis in Domino duxerimus expedire.

Haec Venerabilis frater pro singulari nostra et constanti erga te voluntate
tibi significare hac epistola voluimus, probe grari, luculentissimum S. Leonis
Magni monitum ob oculos te habere, quo sacrorum Praesides edocentur:
« Nequaquam sibi censendum esse ablatum, quod sit fratri concessum », ac
prouide aequo te animo laturum esse, quae religionis utilitas pro temporum
ac locorum ratione postulavit.

Id certe ex perspecta tua fide, pietate ac sapientia nobis tuto pollicemur,
atque interim nostrae benevolentiae testem Apostolicam benedictionem tibi,
Venerabilis frater, gregique curae tuae concredito peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die 3 Februarii 1830, Pontificatus Nostri
Anno primo.

⁴⁰ Cfr. notam praecedentem. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 837-839.



Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

GREGORIUS XVI

(2.6.II.1831 — 1.VI.1846)

bellunensis

(Bartholomaeus Albertus Cappellari)

DOCUMENTA GREGORII PP. XVI

891.

Romae, 13 . V . 1834

Facultas transeundi e Ritu Graeco-catholico ad Ritum Latinum pro Zenone Korytynskyj, Dioecesis Peremysliensis in Ucraina Occidentali.

ASV, *Archivio dei Brevi Apostolici*, vol. 4875, fol. n.n., nr. 209.

GREGORIUS PP. XVI. Ad futuram etc.

Exponendum nobis curavit dilectus filius Zeno de Korytynski, Premisliensis Dioecesis, filius parentum Ritus Graeci catholici se iam in Societatem Jesu cooptatum fuisse ea tamen conditione ut hanc ob rem litteras dimissoriales Ven. fratris Episcopi Ordinarii sui Ritus Graeci catholici exhiberet. Cum autem idem Ven. frater ei has litteras denegavit, simulque significavit, preces exaudiri non posse, nisi de huius Apostolicae Sedis venia, cui reservatum est indulgere, ut a Ritu Graeco ad Latinum transire quis valeat; idcirco supplici cum prece a nobis petatum est ut eiusmodi facultatem concedere velimus. Nos itaque ipsum Zenonem peculiari beneficentia prosequi volentes, et a quibusvis etc. censentes, perpensis expositis, et consensu Ven. fratris Episcopi Premisliensis⁴¹, a quo Orator dimittitur, de VV. FF. NN. S.R.E. Cardd. Concilii Tridentini Interpretum consilio, hisce litteris auctoritate nostra Apostolica eidem Zenoni de Korytynski facultatem facimus, atque impertimur, cuius vi e Ritu Graeco catholico ad Latinum transire libere et licite possit, et valeat. Id tamen ea lege concessum volumus, ut vetitus omnino sit regressus eiusdem Zenonis, quoad vixerit, ad Ritum Graeco-catholicum, etiamsi e Religione Societatis Jesu ipsum egredi contigerit.

Hae concedimus atque indulgemus non obstantibus Apostolicis etc. caeterisque etiam speciali, et individua mentione dignis, in contrarium facientibus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 13 Maii 1834, Anno 4.

⁴¹ Joannes Snihurskyj (1818-1847). Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 952-964.

892 - 898.

Romae, 2 . X . 1837

Provisio Ecclesiae Munkacsienis in persona Basilii Popovyč.

ASV, Reg. Lat., vol. 2212, fol. 157v-158v.

GREGORIUS etc. Dilecto filio Basilio Popovics⁴², Electo Munkacsien., salutem etc.

Apostolatus officium etc. gubernare. Sane Ecclesia Munkacsienis Ritus Graeci Sanctae Romanae Ecclesiae uniti ad quam dum illa pro tempore vacat nominatio personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad carissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum hoc nomine primum, Austriae Imperatorem, ac Bohemiae et Hungariae Regem Apostolicum⁴³, ex foundatione seu dotatione seu privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum spectare et pertinere dignoscitur, et cui bon. mem. Alexius Pocsy⁴⁴ ultimus illius Episcopus dum viveret praesidebat, per obitum dicti Alexii Episcopi, qui extra etc. debitum naturae persolvit, Pastoris solatio destituta, Nos vacatione etc. intellecta ad provisionem eiusdem Ecclesiae Munkacsien. celerem etc. exponatur incommodis paternis etc. intendentes, post deliberationem quam etc. diligentem, demum ad te (f. 158) ex catholicis honestisque parentibus in loco Romiath dioecesis Munkacsien. ortum, quadragesimum tuae aetatis annum agentem et iamdiu praesbyterum, qui Theologiae ac Iuris Canonici scientia insigniter polles variaque munera in cura animarum, Cancellaria episcopali, Consistorio ac Capitulo plurimo cum fructu et maxima commendatione gessisti et deinde in Dioecesim Eperiesensem⁴⁵ transiens ibi Canonicus effectus, variis officiis functus fuisti, quique fidem catholicam iuxta articulos iam pridem a Sede Apostolica propositos expresse professus es, et quem praedictus Ferdinandus Imperator et Rex nobis nominavit ac de cuius vitae etc. perhibentur, direximus oculos nostrae mentis, quibus etc. pensatis eidem Ecclesiae Munkacsienis de persona tua nobis etc. providemus, teque illi in Episcopum praefecimus etc. incrementa.

Iugum etc. studeas sollicite et prudenter, quod dicta Ecclesia etc. se commissam, tuque etc. merearis. Nos enim tecum, ut tu licet doctoratus gradu insignitus non sis, nihilominus etc. dignoscaris, eidem Ecclesiae M. in Episcopum praefici illique praeesse eamque etc. valeas defectu gradus doctoratus huiusmodi ac constitutionibus etc. dispensamus.

Volumus quod Canonicatus et Praesbiteratus Maioris Ecclesiae Eperie-

⁴² Basilius Popovyč, Episcopus Munkacsienis (1837-1864). Nat. 12.IX.1796 in Komjath. Ordinatus an. 1820, et ab an. 1822 Eparchiae Prjašivensi incardinatus fuit, ubi an. 1835 nominatus est Canonicus. Die 16.III.1837 nominatus a Ferdinando, Imperatore Austriae, Episcopus Munkacsienis, et dein a S. Apostolica confirmatus die 2.X.1837, demum consecratus est a Metropoli Haliciensi, Michaële Levycky (18.III.1838). Obiit 19.X.1864. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 1044-45.

⁴³ Ferdinandus I (1835-1848).

⁴⁴ Alexius Pocsy (1816-1831), post cuius obitum Sedes haec longiori tempore vacabat, a Vicario Capitulari, Joanne Csurgovics administrata. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 1044.

⁴⁵ Ab anno 1822; Canonicus Prjašivensis nominatus an. 1835.

sen., quos in praesens obtines, per solas provisionem et praefectionem nostras huiusmodi vacant eo ipso, quodque theologalem et poenitentiarum Praebendas in dicta Ecclesia M. ad praescriptum Concilii Tridentini instituas, conscientiam tuam super hoc onerantes.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno etc. Millesimo octingentesimo trigesimo septimo, sexto Nonas Octobris, Pontificatus Nostri Anno septimo.

Simili modo.

GREGORIUS etc. Carissimo in Christo filio nostro Ferdinando, Austriae Imperatori ac Bohemiae et Hungariae Regi Apostolico, salutem etc.

Gratiae divinae etc. impendatur. Hodie etc. continetur. Cum itaque etc. filii carissime, etc. venerari Maiestatem tuam rogamus etc. actio gratiarum. Datum ut supra.

Simili modo.

GREGORIUS etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi⁴⁶, salutem etc. Ad cumulum etc. prosequaris. Hodie etc. continetur. Cum itaque, ut idem Basilius Electus etc. opportunus. Fraternitatem Tuam monemus etc. uberius promereri. Datum ut supra.

Simili modo.

GREGORIUS etc. DD. FF. Capitulo Ecclesiae Munkacsensis, salutem etc. Hodie etc. continetur. Quocirca cunctis etc. alioquin observari. Datum ut supra.

Simili modo.

GREGORIUS etc. DD. FF. Clero Civitatis et Dioecesis Munkacsensis, salutem etc. Hodie etc. continetur. Quocirca curatis etc. alioquin etc. observari. Datum ut supra.

Simili modo.

GREGORIUS etc. DD. FF. Populo Civitatis et Dioecesis M., salutem etc. Hodie etc. continetur. Quocirca universitatem vestram monemus etc. gaudeatis. Datum ut supra.

Simili modo.

GREGORIUS etc. DD. FF. Universis Vassallis Ecclesiae M., salutem etc. Hodie etc. continetur. Quocirca etc. studeatis, alioquin etc. observari. Datum ut supra.

Taxa — XII-VII-VII-VII-VII-VII-VII-VII. Residuum; expedita quarto decimo Kalendas Ianuarii Anno septimo.

⁴⁶ Cui Eparchia Munkacsensis Suffraganea erat ab an. 1771.

899.

*Romae, 2 . X . 1837**Absolutio a censuris noviter electi Episcopi Munkacsiensis in Ucraina Carpatica Imperio Austriae subiecta.*ASV, *Reg. Lat.*, vol. 2212, fol. 159v.

GREGORIUS etc. Dilecto filio, Basilio Popovics, Praesbytero Munkacsiensis Dioecesis, salutem etc.

Apostolicae Sedis etc. opportuna. Cum itaque Nos hodie Ecclesiae M. Ritus Graeci, S.R.E. uniti, ad praesens certo etc. destitutae de persona tua nobis etc. accepta de fratrum etc. providere teque illi etc. intendamus, Nosque si qua etc. ligatus sis provisio etc. providere volentes, te a quibusvis etc. absolvimus etc. nuntiamus, non obstantibus constitutionibus etc. Nulli etc. incursum⁴⁷.

Datum Romae apud S.M.M., Anno Inc. Dominicae 1837, sexto Nonas Octobris, Pontificatus Nostri Anno septimo.

Taxa — XII — Residuum etc.

900.

*Romae, 3 . X . 1837**Facultas recipiendi munus consecrationis a quocumque catholico Antistite.*ASV, *Reg. Lat.*, vol. 2212, fol. 160rv.

GREGORIUS etc. Dilecto filio, Basilio Propovics, Electo Munkacsien., salutem etc.

Cum eras pridem Ecclesiae Munkacsiensi Ritus Graeci S.R.E. uniti certo etc. destitutae de persona tua nobis etc. accepta continetur etc. Nos ad ea quae in tuae commoditatis etc. inclinati, tibi ut a quocumque, quem malueris, catholico Antistite gratiam etc. munus consecrationis recipere valeas, ac eisdem Antistiti, ut etc. facultate. Volumus autem et eadem etc. quod nisi accepto prius a te per dictum Antistitem iuramento etc. suspensi sitis eo ipso, quodque in hoc Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi (f. 160v), cui dicta Ecclesia Munkacsiensis metropolitico iure subesse dignoscitur, nullum generatur praeiudicium. Volumus quod tu formam iuramenti etc. procures.

Forma autem iuramenti quod praestabis talis est: Ego Basilius Popovics, Electus Munkacsiensis, ab hac hora etc. Dei Evangelia.

Datum Romae apud S.M.M., Anno etc. 1837, quinto Nonas Octobris, Pontificatus Nostri Anno septimo. Taxa — VIII. Residuum etc.

⁴⁷ Aliquando dispensatio haec et absolutio in Bulla provisionis concedebatur. Saeculo tamen XIX mos invaluit absolutionem hanc documento concedere separato. Idem valet etiam de facultate recipiendi consecrationem a quocumque catholico Antistite.

901.

Romae, 22 . XI . 1839

Allocutio Gregorii PP. XVI in Consistorio secreto de persecutione Ecclesiae Unitae in imperio Rossiaco.

Acta Gregorii XVI, 1902, vol. II, p. 381-382, nr. 253.

HARASIEWICZ M., op. cit. p. 910-915.

Akty izdawajemyje..., vol. XVI, p. 265-267, nr. 197.

VENERABILES FRATRES!

Multa quidem gravia et acerba inde ab inito Apostolici Officii munere coacti fuimus diuturna temporum adversitate ex hoc ipso loco nuntiare⁴⁸. At quod in hodierno Coetu vestro moerorem inter ac luctum Ecclesiae universae sumus nuntiaturi, eiusmodi profecto est, ut malorum, quae alias ingenuimus, longe superest acerbiteratem.

Nemo vestrum ignorat, ruthenos Episcopos, omnemque inclytam nationem illam quae post susceptam cum christiana fide catholicam unitatem misere ab ea defecerat, et proprii sermonis usu de firmo ac sincero ad Romanam Ecclesiam reditu non semel, divina excitante gratia, cogitasse. Hinc primum in Oecumenica Florentina Synodo una cum Graecis Archiepiscopus Kioviensis totius Russiae Metropolitae⁴⁹ celebratissimo unionis decreto subscripsit. Licet autem res in irritum mox cesserit per obortas turbas, et hostiles eorum conatus, qui lumini rebelles schismati pertinacius adhaerebant; nunquam tamen Episcoporum praesertim consilia et studia in idipsum destiterunt; illuxitque tandem dies auspiciatissimus, quo, faciente Deo misericordias suas, Ruthenorum genti datum erat ad desertae Matris sinum reverti, sanctamque illam rursus ingredi Civitatem ab Altissimo fundatam, in qua unice fas est salutem invenire. Qui enim saeculo decimo sexto exeunte piissimi Sigismundi III, Poloniae et Sveciae Regis ac Magni Lithuaniae Ducis, civili dominationi suberant rutheni Antistites, cum memoria repeterent concordiam quae inter Orientalem et Occidentalem Ecclesiam antea vigerat, quamque Maiores sui sub Apostolicae Sedis regimine impense foverant, non vi coacti aut artibus decepti, non animi vel ingenii levitate ducti, non temporalis commodi illecebris allecti, sed sola superna lucis claritate perfusi, sola veritatis agnitione compulsi, sola demum salutis suae et commissarum sibi ovium cupidine incensi, post habitam in communi conventu de tanto negotio deliberationem, per binos Collegas⁵⁰ ad hanc Beati Petri Cathedram totius Cleri ac populi nomine legatos, Schismaticorum erroribus penitus eiuratis, Romanae Ecclesiae rursus consociari, pristinaeque cum illa unitati restitui postularunt. Quo tunc caritatis studio Clemens sa.me. Praecessor noster eos inter Catholici Orbis plausus exceperit, qua deinde sollicitudine Sancta haec Sedes ipsos constanter fuerit prosequuta, qua indulgentiae sagacitate tractaverit, quot quantisque modis

⁴⁸ Primum hic publici facimus iuris discursum Pontificis consistorialem, qui spectat Ecclesiam catholicam Ucrainae. Nam discursus hos inter documenta Pontificum adnumerandos esse censuimus.

⁴⁹ Metropolitae Isidorus (1437-1458), dein Cardinalis S.R.E. Obiit 1463.

⁵⁰ Hypatius Potij, Episcopus Volodimiriensis, et Cyrillus Terleckyj, Luceoriensis. Cfr. vol. I, sub anno 1595-1596.

iuverit, apertissime testantur complures Apostolicae Constitutiones, quibus tum peculiare gratiae et maxima beneficia in gentem illam collata sunt, tum servati ipsius Clero, quatenus catholicae unitati non officerent, sacri ritus ab Orientalis Ecclesiae consuetudine profecti, tum erecta pluribus in locis, ac praesertim Vilnae, vel annuo censu ditata Collegia ad Ruthenae Nationis Clericos in sanctitate fidei morumque instituendos. Molestissimum equidem fuit, instauratam adeo feliciter cum Romana Ecclesia Ruthenorum coniunctionem adversis vicibus fuisse progressu temporis obnoxiam. Illud tamen supererat omnino laetandum, quod ingens illorum pars, sacerdotum in primis Praesulum constantia praeunte, tam firmiter Apostolicae Sedi devota, atque ab hoc unitatis centro indivulsa permanserit, ut, serpentibus licet elapso saeculo per suas regiones inanis philosophiae fallaciis pravisque opinionum commentis, a catholicae doctrinae fideique integritate nullimode deflexerit.

At o miseram et infelicem rerum conversionem! O, durissimam et nunquam satis lamentandam, Ruthenae Gentis calamitatem! Quos namque patres ac pastores proximis temporibus acceperat, quosque idcirco duces ac magistros experiri debuisset, ut arctiori usque nexu corpori Christi, quod est Ecclesia, iuncta servaretur, eos nuper in extremam suam perniciem sensit novae defectionis auctores. Hoc porro est, Venerabiles fratres, quod Nos anxios vehementer et sollicitos habet; hoc ad ingruentes undique amaritudines accessit lacrymis potius quam verbis commemorandum. Fatemur quidem, Nos initio adduci nequaquam potuisse, ut fidem iis omnibus adhiberemus, quae hac tristi de re fuerant rumore perlata; inspecta praesertim summa locorum distantia, et gravi qua angimur difficultate cum Catholicis passim ibi degentibus communicandi. Atque id causae fuit, cur hactenus distulerimus clamores questusque nostros pro mali magnitudine attollere. At certis subinde nuntiis acceptis, reque per publicas ephemeridas iam palam evulgata, sicuti altissime dolendum, ita minime dubitandum, plures ex Ruthenis unitis Episcopis in Lithuania et Alba Russia⁵¹ cum Cleri ac populi sibi crediti parte, relicta miserabiliter communionem Romanae Ecclesiae, unde unitas sacerdotalis exorta est, ad Schismaticorum castra transiisse. Ea autem fuit iniqui ipsorum consilii ratio, ut inductis primum fraudulenter in Sacri celebratione libris, quos a Graeco-Russis receperant, omnem propemodum divini cultus peragendi formam ad horum usus retulerint⁵²; quo nempe ignara plebs ex rituum simili-

⁵¹ Agitur de defectione anni 1839. Quo anno, die 12-23 Februarii tres Episcopi cum 21 sacerdotibus documentum adhaesionis Ecclesiae schismaticaе moscoviticae subscripserunt. Nomina Episcoporum sunt: Iosephus Siemaško, Episcopus Lithuaniae, Basiliius Lužynskij, Episcopus Oršanensis et Administrator Eparchiae Bielarusjae, et Antonius Zubko, Episcopus Berestensis, Coadiutor Eparchiae Lithuaniae. Petitio haec «pro admissine» a Synodo Petropolensi exaudita et comprobata fuit (25-III-1839), quod decretum Czar Nicolaus I subscripsit his verbis, fere sacrilegis: «Gratias ago Deo et accipio». Cfr. minuta in J. PELESZ, *op. cit.*, vol. II, p. 818-823 praesertim; A. M. AMMANN, *Storia della Chiesa russa e dei paesi limitrofi*, Torino 1948, p. 440-447, etc.

⁵² Praeparatio ad defectionem praesertim ex parte Iosephi Siemaško iam inde ab an. 1827 inchoata erat, prout constat ex memoriali Iosephi Siemaško de modo reducendi Ecclesiam Unitam in sinum Ecclesiae Status. Praeter eliminationem catholicorum ex Hierarchia, et destructionem Ordinis Basiliani, magno cum fervore adlaborabant unificationi librorum liturgicorum cum libris non Unitorum, immo anno 1831 introductum fuit «Liturgicum» editionis Moscoviticae. De hac violenta introductione librorum et rituum cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 812; A. M. AMMANN, *op. cit.*, p. 443 etc.

tudine sensim invalescente in schisma vel invita traduceretur. Dein mandato illorum convocati pluries Parochi, et litterae identidem ad eos datae sunt, quibus inter impudentes fallacias indicebatur, ut quisque adhaesionem suam Ecclesiae Graeco-Russiacae iuxta propositam in id formulam profiteretur; monitis una simul renuentibus de paroeciali munere illico amittendo, deque certa accusatione ad superiorem auctoritatem contra ipsos caeterosque Presbyteros eorum exemplo similiter detrectantes. Tandem post alias adhibitae machinationes eo perversitatis devenerunt, ut publice declarare non erubuerint, suam ad praedictam Ecclesiam accedendi voluntatem, et preces insuper subiecti quoque gregis nomine adicere, ad imperialem ea de re veniam impetrandam⁵³. Nec defuit eorum votis effectus. Omnibus quippe per schismaticam Synodum Petropoli manentem instructis, ac sanctione firmatis, Ruthenorum Praesulum Clerique ac populi hactenus Romanae Ecclesiae unitorum in Ecclesiam Graeco-Russiacam aggregatio decreta et concelebrata solemniter est⁵⁴. Taedit hic recolere quae infandum eiusmodi eventum iamdiu portenderent, quibusque demum incitamentis adducti degeneres isti Pastores in tantum nequitiae ac perditionis barathrum se ipsos demerserint. Respicientes potius ad miserimum eorum casum iuvat sacri eloquii verbis exclamare: « Iudicia Dei abyssus multa! ».

Ceterum ex tam atroci Catholicae Ecclesiae inflictio vulnere prope perspicitis, Venerabiles fratres, quo tandem animo simus, quaque intrinsecus aegritudine conficiamur. Dolemus atque imo ex corde ingemiscimus redactas in aeternae salutis discrimen tot animas, quas Christus suo sanguine redemerat; dolemus violatam turpiter per desertores Episcopos fidem illam, quam Romanae Ecclesiae primum desponderant; dolemus despectum pessime ab iis characterem sacratissimum, quo ex huius Apostolicae Sedis auctoritate fuerant insigniti. Sed ingens etiam Nos tenet sollicitudo de carissimis ex ea gente filiis, qui nec artibus illusi, nec minis perterriti, nec exempli pravitate seducti firmiter in catholicae communionis vinculo perstiterunt. Neque enim latet quam gravia in eos damna ex aliorum defectione fuerint consequuta, quantaque adhuc ipsos oporteat ob suam in sancta unitate constantiam tolerare. Atque utinam liceret illos paterna hortatione cominus solari, et aliquid gratiae spiritualis ad eos confirmandos impertiri! Interea memores officii quod gerimus, nobisque, uti olim Prophetae, inductum desuper arbitrantur: Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem, annuntia populo meo scelera eorum, et domui Jacob peccata eorum; ex hoc supremi Apostolatus fastigio, in conspectu totius Christiani Orbis, Ruthenorum et maxime Episcoporum defectionem incessanter querimus, iisque illatam Catholicae Ecclesiae tali facinore iniuriam gravissime exprobramus. Verum, cum Illius vice fungamur in terris, qui dives est in misericordia, cogitat consilia pacis, et non afflictionis, immo etiam venit quaerere et salvum facere quod perierat; quin Apostolicam in ipsos caritatem penitus exuamus, unumquemque illorum studiosissime admonemus,

⁵³ Agitur de s.d. Actu conciliari de data 12-23-II-1839 ubi adhaesio Ecclesiae non unitae publicae declarabatur. Huic Actui adnexa fuit petitio ad Nicolaum I, Moscoviae, quae a Nicolao I admisa fuit. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 818-823.

⁵⁴ Decreto Synodi Petropolitanae sub data 25-III-1839, a Nicolao I confirmato. Hac occasione sollemnitates etiam publicae ecclesiasticae et laycae locum habuerunt. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 823.

ut animo reputent unde exciderint, et in quas formidabiles poenas iuxta sacros canones fuerint prolapsi; videant quo aeternam sui salutem obliti temere pergant; paveant Principem Pastorum sanguinem deperditarum ovium ex ipsorum manibus requisiturum; ac terribilis expectatione iudicii salubriter perculsi in viam iustitiae et vertatis, a qua procul aberrarunt, sese dispersumque misere gregem reducant.

Post haec dissimulare minime possumus, Venerabilem fratres, latius patere causam doloris nostri de rei catholicae in vastissimis Russiaci Imperii finibus conditione. Novimus enim quantis illic religio nostra sanctissima iamdiu prematur angustiis. His sane levandis omnem pastoralis sollicitudinis operam impendere non praetermisimus; nullisque in posterum parcemus curis apud potentissimum Imperatorem⁵⁵, adhuc sperantes, ipsum pro sua aequitate, ac excelso quo est animo, postulationes et vota nostra benevole accepturum. Quem in finem communibus precibus adeamus cum fiducia ad thronum gratiae, Patrem misericordiarum et Deum totius consolationis unanimiter obsecrantes, ut in haereditatem suam benignus respiciat, Ecclesiam sponsam suam filiorum iacturam acerbissime plorantem opportuno auxilio soletur, optatamque diu in tot adversis serenitatem clementissime largiatur.

902.

Romae, 23 . V . 1840

Constantia Episcopi Chelmensis, Feliciani Szumborskyj, in vera fide atque unitate catholica custodienda laudatur.

ASV, Ep. ad Principes.

Acta Gregorii PP. XVI, vol. III, Romae, 1902, p. 54-55, nr. 19.

Venerabili fratri Philippo Feliciano, Episcopo Chelmensi⁵⁶.

GREGORIUS PP. XVI. Venerabilis frater, salutem etc.

Has ad te litteras damus, Venerabilis frater, ut de praeclarissima constantia tua in vera fide atque unitatis vinculo custodiendo vehementer in Domino gratulemur, simulque addamus tibi animum, quo de catholica ista re magis magisque bene mereri pergas. Equidem vix possumus explicare verbis, qualem concepimus doloris acerbiter ob Graeco-Ruthenos catholicos filios Nostros, in istis regionibus ad deserendum Christi ovile multimodis sollicitatos, ac praesertim ob alios nonnullos eiusdem Ritus Episcopos,

⁵⁵ Revera post hanc Allocutionem scripsit iam 7-IV-1841 litteram ad Nicolaum, in qua expetebat ab Imperatore: « ut libera in ipsis et integra stet eius fidei professio, in qua nati sunt ac instituti, cuique adhuc adhaeserunt... » (cfr. infra). Anno vero 1842 Romae apparuit Collectio documentorum de hac Ecclesiae persecutione sub titulo « *Allocuzione etc.* », ubi varia publici facta sunt iuris documenta. De his rebus agebat Gregorius XVI etiam coram Nicolao I, qui ipsum an. 1845 Rome adiit. Sed frustra. Cfr. M. HARASIEWICZ, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862; A. THEINER *Die neuesten Zustände der katholischen Kirche beinden Ritus in Poland und Rusland seit Katerina II bis auf unsere Tage*, Augsburg 1841; J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 830; A. M. AMMANN, *op. cit.*, p. 446-447.

⁵⁶ Philippus Felicianus Szumborskyj, Episcopus Chelmensis (1828-1851) Cfr. supra nota 39.

qui non Deo, sed hominibus placere volentes, transfugae ad A catholicos facti sunt in ruinam multorum⁵⁷. Sed benedictus Deus et Pater Domini Nostri Iesu Christi, qui aliquam cordi Nostro consolationis causam reliquit in te, Ven. frater, quem stare istic cernimus veluti columnam ferream nulla ventorum vi a fundamenti soliditate concussam, in te scilicet, cui nihil potius est, quam ut te ipsum ac traditas tibi oves in salutifera Ecclesiae catholicae unitate conserves. Bona quoque spe sustentamur, ut idem istud, quo una cum grege tuo praebes, invictae fidei documentum, Deo bene iuvante, proficiat aliis insuper circumstantium locorum Graeco-Ruthenis ad retinendae vel recuperandae ipsius verae fidei aemulationem excitandis.

Iam vero hanc ad te scribendi occasionem nacti, aliqua insuper significabimus speciatim, quae calamitoso hoc tempore praecipuam tuam curam exposcunt. Quamvis enim ea certe non fugiant prudentiam tuam, attamen officii memores confirmandorum fratrum, quod nobis, licet immerentibus, a Christo Domino in beati Petri persona impositum est, et periculorum istic rei catholicae impendentium gravitatem perspicientes, abstinere non possumus, quominus tuum pastoralem zelum Nostris etiam hortatibus inflammemus. Primum igitur intelleximus, fideles, tuae vigilantiae creditos, bonae quidem esse indolis et catholicae religionis conservandae studiosos; sed tamen, ut plurimum, rudes, magnaque ex parte elementis verae fidei adeo parum instructos, ut adversus ultiores A catholicorum machinationes et insidias haud satis praemuniti inveniantur. Quocirca tuum erit, parochos sive occasione pastoralis visitationis, sive ad te seorsim et caute advocatos admonere, ut ad instructionem suarum ovium alacrius incumbant, atque in privatis etiam ad fideles alloquiis saepius inculcent firmissimum illud sanctissimae religionis dogma, quod est de catholicae fidei et unitatis necessitate ad obtinendam salutem. Atque ut salutaris haec veritas in animis fidelium altius defigatur, itemque ut ipsi uberius caelestis gratiae roborentur auxiliis, eosdem docere oportebit brevem aliquam precationis formulam, qua speciatim a Deo supplices petant, ut per eius misericordiam digni habeantur profiteri constantes catholicam fidem, et in necessaria Sanctae huius Sedis communione firmiter perseverare.

Insuper cum istic nonnullis in locis contingere possit, ut fideles Rutheni, ob suas ecclesias ab A catholicis occupatas, nullam habeant in vicinia catholicum templum et sacerdotem, a quo salutaribus verbis et sacramentorum administratione pascantur et roorentur, hoc certe in casu non praetermittens peculiari caritatis studio illarum ovium indigentiae prospicere, easque per te ipsum identidem, saepius vero per idoneos presbyteros invisere, ac spiritualibus subsidiis reficere et consolari. Iam vero ut tua pro salute universi gregis sollicitudo felicior habeat exitum, invigiles praecipue oportet ecclesiasticis viris, ut omnes una tecum prae luceant populo verbis iuxta atque exemplis. Quo in loco dissimulare non possumus narratum Nobis esse de nonnullis e tuo isto clero, qui seu per imperitiam seu per levitatem dicitare non dubitant haud magni momenti illa esse, in quibus Graeco-Russi seu Rutheni schismatici a catholica Ecclesia dissentiant. Nuntius huiusmodi eo graviore nos moerore confecit, quod videmus equidem sacerdotes illos, etsi (ut pro cero habemus) nihil tale cogitantes, ipsa tamen inconsiderata ratione

⁵⁷ Cfr. supra, notam 51 et 52.

sua cum A catholicis conspirare ad catholicae veritatis amorem in Ecclesiae filiis labefactandum. Obtestamur itaque, Venerabilis frater, ut tanto ei scandalo opponere te totis viribus non desistas, atque omnino provideas, ut clerus tuus universus tecum una populum doceat, diffrentiam quidem illam, in qua Rutheni catholici a Latinis distinguuntur, utpote quae ad nonnulla merae disciplinae rituumque capita spectat, et Sanctae huius Sedis auctoritate permissa est, non dirumpere ullo modo inter ipsos vinculum, quo verae Christi oves conglutinatae invicem sunt; sed contra ea Ruthenos a catholicos tum a Latinis tum a Ruthenis catholicis dissentire in rebus pertinentibus ad veram Christi fidem, sine qua impossibile est placere Deo atque ad subiectionem erga successorem Petri apostolorum principis, Romanum Pontificem, cui (ut verbis utamur concilii Chalcedonensis) Vineae custodia a Salvatore commissa est; ad eius Ecclesiam (ut Irenaeus loquitur) propter potiore principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est eos qui sunt undique fideles; cum quo denique (ut inquit Hieronymus) quicumque non colligit, spargit: hoc est, qui Christi non est, antichristi est. Insuper cunctos, qui sub te sunt, ecclesiasticos viros, prout res et occasio tulerit monere atque hortari non intermites, ubi laborent sicut boni milites Christi Iesu, paratique sint sustinere sustentationes Domini, nec damna reformident, si quae ob fidei et catholicae unitatis causam sibi suisque impendere cognoverint; eoque in casu confidant subsidia sibi a pietate fidelium non defutura, imprimis autem omnem sollicitudinem suam proiciant in Deum, quoniam ipsi est cura de nobis; ac tandem meminerint, nihil prodesse homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiat. Quibus quidem salubribus monitis eo studiosius roborandi istic sunt ecclesiastici homines, quod plures illorum (et recepto apud vos more) uxorem habent ante sacros ordines acceptam; atque adeo timendum est, ne illius filiorumque periculo nimium commoveantur. Verum enimvero tua hoc in genere sollicitudo non eo solum pertinere debet, ut in clero tuo honos in animarum cultura adiutores habeas, dum ipse vivis; sed providentiam curasque tuas speciatim extendas oportet ad id quoque temporis (cuius sane adventum diu per Dei misericordiam retardatum iri confidimus) quum te, Venerabilis frater, in Christi caritate defuncto, graviora forsitan catholicae istic rei pericula imminebunt. Itaque ut gregi tuo opportunum ad ea propulsanda presidium non desit, iam nunc, Ven. frater, selige tibi ex sacerdotibus istis viros aliquos spectatae virtutis, cum quibus tua identidem consilia communices; atque hos primum, deinde vero et reliquos cleri primores opportunis seu instructionibus seu hortationibus diligentius excolere studeas, ut ipsi quoque zelum tuum aemulantes, parati deinde sint ad fidei et unitatis causam viduatae Ecclesiae tempore fortiter prudenterque sustinendam, atque ad orphanas oves a novis Schismaticorum insidiis, adiuvante Domino, liberandas.

Ad haec, ut Ecclesiae tuae non desint in posterum strenui veritatis vindices animarumque cultores, singularem oportet habeas curam educationis clericorum omnium tuae dioeceseos, ac praesertim illorum, qui sub ipsis pene tuis oculis in Seminario degunt. Equidem persuasum habemus, te, Ven. frater, hisce clericis informandis moderatores et praeceptores destinasse zelo fidei, doctrinaeque laude ac morum integritate probatissimos. Insta

igitur, ut iidem creditos sibi adolescentes erudiant in doctrina vere catholica atque a profanae cuiusque novitatis periculo aliena; et exerceant ipsos ad pietatem solidamque virtutem; praesertim vero, ut omni ope atque opera conitantur in teneros eorum animos horrorem schismatis et studium custodiendae promovendaeque catholicae unitatis infundere, atque adeo eosdem adversus Aatholicorum fraudes seu impetus praeparare ac muniri. Tu etiam, Ven. frater, ne cesses adire saepius ad Seminarii aedes, ut de profectu alumnorum, ac de ipsa praesidium magistrorum ratione certior fias, eorumque labores adiuves praesentia monitisque tuis, atque ut invigiles efficacius ne quis ab officio declinet; maxime autem ut irritas facias Aatholicorum machinationes, qui aut per libros et scripta fallacia, aut per subdolos homines vario sub obtentu in Seminarium immissos venena doctrinarum suarum in alumnorum animos clanculum instillare conentur. Iamvero Nos, qui nihil optamus magis quam tuas curas in gravissimo hoc clericorum informandorum negotio iuvare, significamus insuper fore Nobis gratissimum excipere, atque in aliquo Collegiorum Almae Urbis collocare unum aut alterum ex istis adolescentibus bonae indolis a te delectis, si scilicet pro tua prudentia fieri posse cognoveris, ut caute ac sine periculo illos huc mittas.

Quidquid praeterea erit, in quo tibi commodare valeamus, atque id, prout opportunum in Domino visum fuerit, perlibenter praestabimus. Verum de his, quae apud vos fiunt, rari admodum ad S. hanc Sedem nuncii perveniunt. Itaque a Tua Fraternitate vehementer exposcimus, ut de omnibus, quae timenda vobis aut speranda noveris, immo et de universo sacrarum istic rerum statu ad Nos referas tuis literis, quas tuto aliquo modo Nobis afferendas curabis.

Interea vide etiam atque etiam, Ven. frater, ne remittas ulla ex parte ardorem pastoralis tui zeli; sed potius curas laboresque tuos ad Dei gloriam salutemque animarum quotidie magis adauge. Et quoniam non ignoras incidisse te in tempora periculosa, cave ne ulla unquam re in Aatholicorum rationes connivere vel minimum videaris. Quo spectat, ut erga viros acatholicos, licet in potestate constitutos, eo semper prudenti modo te geras, unde manifesto appareat, te, ad religionem quod attinet, nihil habere cum illis commune; maxime autem ut iisdem invicto animo resistas, quoties novum aliquem liturgicum religiosumve librum Catholicis istic obtrudere vel te clerumque tuum adducere conantur ad catholicos ritus quantulumque in re immutandos. Aliter enim contingeret, ut catholicae oves haereticum schismaticumque cultum quotidie minus aversantes, atque assuescentes, paullatim ad maiorem cum Aatholicis rituum similitudinem, longe facilius decipi deinde ab illis possent, atque ad suam sectam traduci.

Haec, ut initio dictum est, ad te pro supremi apostolatus Nostri officio scribenda censuimus, Ven. Frater, ut qui iam asperrimis hisce temporibus minime negligis custodire vigiliis, Nostris porro adiutus monitis, et hortationibus exstimulatus, in eandem curam alacrius incumbas. Utinam vero datum Nobis esset Fraternitatem Tuam a tribulationibus et periculis eripere in quibus versaris. Equidem non desistimus, licet indigni, fervidas Deo in eum finem orationes et supplicationes offerre. Tu autem bono semper animo sis, et per patientiam curre ad propositum tibi certamen; ac sciens omnia

te posse in Christo Domino, qui te confortat, coronam recogita perseverantibus repromissam.

Interea Nostrae in te studiosissimae caritatis pignus adiungimus Apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde depromptam tibi ipsi, Ven. frater, et omnibus, quibus praees, clericis laicisque fidelibus, Nobis etiam in Christo carissimis, peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die vigesima tertia Maii, Millesimo octingentesimo quadragesimo, Pontificatus Nostri Anno decimo.

903.

Romae, 7 . IV . 1841

Gregorius XVI Nicolaum I rogat et hortatur, ut permittat Catholicis sui Imperii libere fidem catholicam profiteri.

ASV, *Ep. ad Principes.*

Acta Gregorii XVI, Romae, 1902, vol. III, p. 120-121, nr. 81.

Serenissimo ac potentissimo Nicolao Russiarum Regi Illustri⁵⁸.

GREGORIUS PP. XVI. Serenissime et potentissime rex.

Magna cum animi voluptate parique observantia accepimus litteras ab imperiali et regia Maiestate Tua ad Nos missas die tertia Decembris superioris anni per alterum ex imperii consiliariis, quem immatura morte in hac Urbe sublatum nuper indoluimus. Cumque una simul allata fuerit epistola, qua Ven. frater Ignatius Ludovicus tunc Episcopus Megarensis doctrinae suae integritatem, praecipuamque Nobis et Apostolicae Sedi devotionem profitebatur, nil amplius distulimus, quin ipsum ad metropolitanam Ecclesiam Mohiloviensem promovendum decerneremus⁵⁹; quod reapse in subsequente mox consistorio Calendis Martii perfectum est. Modo vero scripsimus ad Ven. fratrem Joannem Marcellum, Episcopum Podlachiesem, hortantes nimirum ac suadentes, ut Ecclesiam suam sponte dimittat. Ita porro consentaneus ex parte Nostra respondit exitus votis Maiestatis Tuae peculiari semel atque iterum missione patefactis⁶⁰. Hinc autem iure confidimus fore, ut vota item Nostra pro catholicis imperiali et regiae tuae dominationi permagno numero subiectis, eum consequantur effectum, de quo data ipso tuo nomine fides dubitare non sinit. Et sane cogitamur hoc loco, serenissime te potentis-

⁵⁸ Nicolaus I (1825-1855).

⁵⁹ Ignatius Ludovicus Pawlowski, antea Ep. tit. Megarensis, Archiepiscopus vero Mohiloviensis Latinorum ab an. 1841. Obiit 2-VII-1842. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 2, p. 129.

⁶⁰ Eparchia Podlachiensis Latinorum (ab. an. 1818). Secundus Episcopus erat Joannes Marcellus Gutkowski (1826-1841), qui Sedi huic resignare debuit, quia Nicolaus I ei aversus erat. Post hanc abdicationem Eparchia usque ad an. 1855 administrabatur a Bartholomaeo Radziszewski, Ep. tit. Eleuteropolitano. Cfr. *Enc. Pow.*, vol. 3, p. 667-668.

sime Imperator et Rex, haerentem cordi Nostro amaritudinem angoresque gravissimos, quibus indesinenter huiusmodi de causa divexamur, Maiestati Tuae aperte significare. Licet in ea conditione molestissime simus, ut nec aliquem istic habeamus, qui Nostram Sanctaeque huius Sedis personam gerat, nec facultas detur cum Episcopis vastissimae ditionis tuae circa Ecclesiae negotia libere communicandi, minime tamen Nos latet, quot quantisque ibidem malis catholica religio iam dudum prematur. Id quidem pro ea, quam gloriae tibi ducis, aequitate animique magnitudine, voluntati tuae prorsus alienum arbitramur.

Attamen, ne singula percenseamus, id unum dicimus, potentissime Imperator, quod aliunde exploratum satis est, talem nempe in variis dissitisque imperii ac regni provinciis agendi rationem adhiberi consuevisse, quae certe catholicae Ecclesiae incolumitati ac commodis plurimum adversatur. Haec profecto ratio, ut expectatum tamdiu Nobis finem quantocius habeat, vel unico supremae auctoritatis tuae nutu vales efficere. Atque huc omnino spectant curae, postulationes precesque etiam Nostrae, quibus Apostolici ministerii sollicitudine impulsus, apud imperialem et regiam Maiestatem Tuam maiorem in modum vehementer instamus. Prae caeteris autem miserrimos graeci ritus Catholicos iustitiae ac clementiae tuae studiosissime commendamus. Movet enim Nos planeque conturbat asperrima eorum conditio, unde in proximum discrimen adductam sentiunt suam in catholica unitate constantiam⁶¹. Illud tantummodo, serenissime Imperator ac Rex, efflagitamus, ut libera in ipsis et integra stet eius fidei professio in qua nati sunt et instituti. cuique hactenus adhaeserunt absque ullo detrimento externae tranquillitatis et concordiae, quae ad imperii bonum, maxime confert. Merito proinde ab excelsa benignitate tua validissimum praestolantur praesidium, quo ab tanta calamitate liberentur. Hanc et Nos fiduciam de re, quae imprimis animum Nostrum urget, ultro foventes, sane non pratermittimus multas Maiestati Tuae habere gratias, pro desponso Nobis studio, quod utique maximi facimus, ad temporalium Nostrarum ditionum integritatem tutandam. Quod superest, Deum suppliciter obsecramus, ut te, potentissime Imperator et Rex, amplioribus augeat largitatis suae donis, perfectaue Nobiscum caritate coniungat.

Datum Romae die septima Aprilis Millesimo octingentesimo quadragésimo primo, Pontificatus Nostri Anno decimo primo.

⁶¹ Post defectionem paucorum, de qua supra sub anno 1839, in Allocutione Gregorii PP. XVI, maior pars Ecclesiae machinationibus osorum nominis catholici restitit usque ad sanguinis profusionem. Nam apostatae saepe saepius brachium advocabant saeculare, ut possint se intrromittere in ecclesias Unitorum. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 824 etc *Allocutio Gregorii PP. XVI*. M. HARASIEWICZ, *Annales Ecclesiae Ruthenae*, Leopoli 1862.

904.

Romae, 15 . VII . 1841

Provisio Ecclesiae tit. Pompejopolitanae in persona Gregorii Jachymovyč, Coadiutoris Metropoliae Leopoliensis et Haliciensis.

SECRET. BREY. Bullae, vol. 3, fol.

Provisio Ecclesiae Pompejopolitanae in partibus Infidelium, per translationem vacantis, pro Gregorio Jachimowicz⁶² Praesbitero ad illam electo.

GREGORIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Gregorio Jachimowicz, Electo Pompejopolitan., salutem etc.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus etc. gubernare. Dudum siquidem etc. attentari. Postmodum vero Ecclesia Pompejopolitana, quae in patribus Infidelium consistit, et cui Ven. fr. Dionysius Augustus Alfri, ultimus etc. absolvendo illum ad Metropolitanam Ecclesiam Parisiensem certo tunc expresso modo etc. transtulerimus, praeficiendo ipsum etc. per translationem eandem simili pastoris solatio destituta, Nos ad provisionem etc. diligentem, demum ad te, de legitimis nuptiis ex catholicis honestisque parentibus in Dioecesi Leopoliensi progenitum, in quadragesimo octavo tuae aetatis anno, a quorum pluribus in sacro praesbiteratus ordine constitutum, in Philosophia Doctorem ac in Theologia Magistrum, qui primum in parochiali ecclesia S. Barbarae Vienna. Christifidelium animarum curam exercuisti, deinde Sacrarum Disciplinarum per plures annos Professor extisti, deinde in maiori ecclesia Leopoliensi primum Custodi, deinde Scholastici muneribus functus fuisti, ac demum Rectoris Seminarii Clericorum Leopoliensis officium summa cum laude exercuisti, quique fidem catholicam iuxta etc. direximus oculos nostrae mentis, quibus omnibus etc. te a quibusvis etc. censentes, Ecclesiae Pompejopolitan. etc. providemus, teque illi etc. committendo ad hoc, ut Venerabili quoque fratri nostro Michaeli Lewicki⁶³, Archiepiscopo Leopoliensi Rutheni Ritus ad pontificalia aliaque pastoralia etc. adiumento esse possis etc. incrementa.

Jugum igitur Domini etc. merearis. Nos enim ad ea, quae in tuae commoditatis etc. a quocumque quem malueris catholico Antistite etc. duobus vel tribus aliis catholicis Archiepiscopis vel Episcopis similes etc. munus consecrationis recipere libere valeas, ac eidem etc. recepto prius... solito iuramento... concedimus per praesentes. Volumus autem etc. ut nisi etc.

⁶² Gregorius Jachymovyč; studuit Vienna in Convictu Caesareo; ordinatus sacerdos 26-IX-1816, in ecclesia S. Barbarae Vienna; dein ulterius studiis vacabat in Instituto S. Augustini in eadem imperiali civitate, quae studia laurea doctorali in Sacra Theologia coronavit. In patriam rediens diversis in locis varia obibat munia. Consequenter Canonicus nominatus et an 1841 ad Sedem tit. Pompejopolitanam promotus, ex qua anno 1849 ad Sedem translatus est Peremyssliensem, in qua usque ad annum 1859 sedebat. Anno 1859, die 5 Septembris, imperialem obtinuit nominationem ad Metropolitanam Ecclesiam Leopoliensem. Obiit mense Aprili an. 1863. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 931-939.

⁶³ Michael Levycky, Metropolita Leopoliensis (1816-1858), dein Cardinalis S.R.E. (1856-1858). Jachymovyč erat primus inter Coadiutores huius Metropolitae (1841-1849).

suspensi sitis eo ipso. Quodque per hoc Venerabili quoque fratri nostro Archiepiscopo Seleucien., cui dicta Pompejopolitan. Ecclesia Metropolitico iure subesse dignoscitur, nullum in posterum praeiudicium generetur. Volumus etiam quod formam etc. procures. Et insuper, ut ad dictam Pompejopolitanam Ecclesiam quandiu illa sub infidelibus etc. indulgemus.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo quadragesimo primo, Idibus Iulii, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

905.

Romae, 17 . VII . 1841

Michaëli Levycykyj, Metropolitanae Haliciensis, Pontifex gratulatur de Romani Pontificis primatu vindicato ex libris liturgicis, quibus Ecclesia Orientalis utitur, culumiasque refellit eorum, qui asserunt Ecclesiam Ritus Romani avertere Orientales a propriis Ritibus, et de transitu ad alienum Ritum docet.

ASV, Ep. ad Principes.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. V, p. 277-282, nr. 198.

Venerabili fratri Michaeli, Archiepiscopo Leopoliensi,
Halicensi et Camenecensi Rutheni Ritus.

GREGORIUS PP. XVI. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Perlatum ad nos est exemplum epistolae pastoralis datae a te die X mensis Martii huius anni, qua id tibi propositum fuit, Ven. frater, ut clero tuarum dioecesium, ac per eum fidelibus ruthenis, qui sub tua cura sunt, supremam auctoritatem Romani Pontificis, et custodiendae cum illo communionis necessitatem studiosissime commendares. Hoc sane vigilantiae ac zeli tui documento lenitus est aliquantulum qui iam diu haeret infixus cordi nostro acerbissimus dolor ob damna inter Ruthenos nonnullorum locorum rei catholicae illata, et permultos nostrorum in Christo filiorum in magno religionis periculo versantes, ac praesertim ob infandum illud facimus Ruthenorum quorundam Antistitum, qui altero abhinc anno ad Graeco-Russos acatholicos transfugae parricidalia contra matrem ecclesiam arma sumpserunt⁶⁴. Igitur gratulamur tibi in Domino vehementer, quod licet gregi praesideas sub catholici et benignissimi erga illum amantissimique Principis ditione constituto, non tamen fugerit prudentiam tuam, quanta esse solet pravorum huiusmodi exemplorum vis, qualibusque insuper artibus acatholici homines uti consueverint ad decipiendum incautos, atque adeo tuum esse intellexeris, ut de salute sollicitus dilectarum ovium, ipsis ingruentium periculorum initiis omni ope atque opera obsisteres. Gratulamur deinde speciatim de ratione a te prudentissime adhibita, ut Pontificii Primatus dogma testimoniis etiam confirmares librorum liturgicorum, quibus Rutheni seu Graeco-Russi omnes tum catholici

⁶⁴ Cfr. documenta anni 1839; praesertim vero Allocutionem Gregorii PP. XVI, de data 22-XI-1839.

tum acatholici diversarum nationum ad nostra usque tempora usi sunt. Profecto cunctis, qui christiano nomine gloriantur, satis esse deberet plenissima illa eius veritatis ostensio, quae ex divinis scripturarum libris, constantique veterum patrum tum occidentalium tum orientalium traditione, atque adeo ex irreformabili universalis Ecclesiae doctrina clarescit. Sed nihilominus confirmatio dogmatis eiusdem ex libris assumpta, antiquo commendatis Ruthenorum usu, atque (ut opportune adnotas) in plures quoque variarum nationum linguas interpretatis, peculiarem habet vim catholicis eius Ritus in sanctae unionis cultu custodiendis, eademque Graeco-Russos seu Ruthenos acatholicos luculentiori quodam proprio sui oris testimonio redarguit. Nec refert si recens apud hos aliqua iis in libris resecta forsitan hoc in genere aut subdole immutata fuerint; quum imo ex mutationibus huiusmodi nedum ipsarum auctores inexcusabiles fierent, sed ipsa quoque illorum testimoniorum vis illustrior per eam fraudem ac manifestior evaderet.

Iam vero et illud opportunissimum fuit, quod in tua epistola commemorasti de statu schismatica Ecclesiae Constantinopolitanae, uti et aliarum Ecclesiarum a Sanctae huius Sedis auctoritate rebellium, quae in diversos prolapsae errores et dissociatae paullatim alterae ab alteris, ne umbram quidem retinent sanctae illius catholicae et apostolicae unitatis, quam inesse omnino in vera Christi Ecclesia ipsae quoque una nobiscum in Constantinopolitano symbolo profitentur. Quo in loco scitissime insuper adnotasti, plures illarum redactas fuisse in subiectionem omnimodam civilium potestatum, et contra Hierarchiae ordinem a Christo Domino institutum earum nutu atque arbitrio sacris in rebus gubernari. Pergratum pariter nobis fuit in eadem epistola tua legere, quae contra illos animadvertis, qui Sanctam hanc Sedem calumniari non verentur, quasi tum Orientales alios, tum etiam Ruthenos sibi obedientes avertere semper studuerit a propriis ipsorum Ritibus, ut tandem eosdem omnes ad Latinum Ritus traducat. Quam longe id a veritate absit, manifestissime evincitur ex plurimis Romanorum Pontificum sanctionibus (a te etiam laudatis), quae scilicet sive Orientalibus ceteris, sive Ruthenis catholicis nominatim permissum decernunt usum suorum Rituum; ea tantum exceptione adiecta, ut eiusmodi Ritus veritati et fidei catholicae non adversentur, et communionem cum Romana Ecclesia non excludant. Hinc porro si factum aliquando est, ut in Ritu nonnullarum Ecclesiarum peculiaris aliqua circa unum vel alterum eius caput mutatio expeteretur, non aliter illam probavit decrevitque Apostolica Sedes, nisi graves id causae suaderent; cautumque voluit, ut nihilominus suo semper in robore permanerent pontificiae constitutiones et generalium conciliorum decreta de Orientalibus Ritibus conservandis. Eo insuper spectant scholae et collegia sumptu aut cura Praedecessorum nostrorum tum alibi tum Romae aperta clericis diversorum Rituum informandis; eo spectant ecclesiae in illorum usum destinatae, ac non denegata Episcopis presbyterisque facultas celebrandi etiam more suo in ecclesiis latinis; eo denique spectat, quod iam diu institutum est, ut quoties Romanus Pontifex solemniter celebrat, adsint una cum Latinis subdiaconus atque diaconus Graeci Ritus, qui et ipsi epistolam et evangelium sua lingua decantant. Postremo nec praetermiserunt Romani Pontifices inconsultam reprehendere illorum rationem, qui Orientales catholicos ad Latinum Ritus amplectendum allicerent. Totam hanc Ecclesiae Romanae in permittendis, tuendis honoran-

disque tum Ruthenorum tum aliorum Orientalium Ritibus oeconomiam explicat fusius multisque omnis generis documentis illustrat Benedictus XIV, immortalis memoriae decessor noster, in litteris, quarum initium « *Allatae sunt* », datis die XXVI Julii MDCCLV, quas quidem litteras quis attente perlegerit, habebit profecto unde illorum inscitiam coarguat, qui Summos Pontifices erga Orientales liturgias minus aequos fuisse contendunt.

Illud vero dolendum, quod ex servata apud Ruthenos catholicos sui Ritus disciplina occasionem arripiunt Graeco-Russi acatholici, ut eos subdole avertant a Romana Ecclesia, quasi in diverso Ritu diversam religionem habente, atque adeo impellant facilius ad schismaticam suam communionem, quam vix in paucis ac nullius pene momenti rebus ab illorum cultu distingui communiscuntur. Probe autem nosti, Ven, frater, quanta penes rudiorem praesertim populum vis esse soleat in huiusmodi cavillationibus ex rerum similitudine externaque veluti facie petitis. Ne desistas itaque toto pastoralis vigilantiae studio prospicere, ut tuus iste grex iis fraudibus minime capiatur. Hunc vero in finem praecavere primum oportet, ne idem illud seductionis periculum maius evadat ex nova aliqua commutatione, qua scilicet Ruthenorum catholicorum ritus ad pleniorum cum Schismaticis similitudinem accommodentur. Enimvero si de iis ritibus loquimur, qui ad detestationem schismatis pertinent, hos quidem variari prorsus non posse, manifestissimum est. De aliis autem ritibus, quos Rutheni catholici retinuerunt ex veteri suo more, aut quos progressu temporis ad tuendam suam a schismaticis separationem, seu alias quascumque ob causas adoptarunt, hi quoque haud certe possunt variari pro lubitu, atque in tanto praesertim huius temporis periculo maximae prorsus imprudentiae foret quidquam eo in genere ad Schismaticorum placita detrahere, adiungere, aut quomodolibet immutare. Huc insuper spectat, ut intento iugiter animo caveas, ne clerus populusque iste missalia accipiant, vel catechismos, aut alios liturgicos seu religiosos quoscumque libros, qui ex officiis schismaticorum prodierint. Quam circa rem eo maior adhibenda vigilantia est, quod Graeco-Russi libros huiusmodi ad rationem suam callide aptatos magno nuper exemplarium numero edidisse narrantur, eosdemque Ruthenis catholicis modico aut etiam nullo petito pretio obtrudere gestiunt; speciatim vero catechismum non lingua solummodo qua ipsi utuntur, sed germanice insuper interpretatum evulgarunt; ut de hoc proinde magis adhuc timendum sit, ne inter Ruthenos, qui in dioecesibus tuis, aut in aliis Germaniae regionibus sunt, diffundatur.

Deinde non intermissa unquam solitudine providere perges ut sacerdotes, qui sub te sunt, ipsi inter se diligentius considerent, et tecum una prout res et occasio postulet, opportune populum doceant, differentiam quidem illam, qua Rutheni catholici a Latinis distinguuntur, utpote quae aliquibus tantum merae disciplinae capitibus sacrisque nonnullis ritibus continetur, et Sanctae huius Sedis auctoritate permessa est, non disrumpere ullo modo inter ipsos vinculum, quo verae Christi oves invicem conglutinantur; contra vero Graeco-Russis nihil prodesse totam illam suorum cum vestris ritibus similitudinem, quum ipsi nihilominus ab omnibus catholicis seu Ruthenis seu Latinis seu alterius cuiuscumque Ritus dissentiant in rebus ad veram pertinentibus fidem, ex qua iustus vivit, atque ad subiectionem erga successorem Petri Apostolorum Principis, Romanorum Pontificem, cui (ut verbis

utamur Patrum Chalcedonensium) vineae custodia a Salvatore commissa est, ad cuius ecclesiam (ut Irenaeus loquitur) propter potio-rem principalitatem necesse est omnem convenire ecclesiam, hoc est eos, qui sunt undique fideles cum quo denique (ut inquit Hieronymus) quicumque non colligit, spargit, hoc est, qui Christi non est, antichristi est.

Iuxta haec igitur, rationi insistens iam a te sapienter adhibitae, admonere gregem non cessabis, ut constantissimi adhaereant sanctae huic unitati, et fidei catholicae, quae a Christo et ab eius Apostolis annuntiata, atque a sanctis Patribus tum Latinis tum Orientalibus inviolate custodita, et unanimi consensione praedicata et trasmitta ad nos est; quam tenuerunt etiam Rutheni Russive omnes, quo tempore sive Graecorum sacerdotum Romanae Sedi tunc adhaerentium sive etiam Latinorum ministerio ad Christi ovile adducti sunt. De schismatica vero Graeco-Russorum communione perges dare operam, ut oves tuae penitus intelligant, illos non alios habere auctores suae a nobis scissionis, nisi Michaellem Caerularium, aliosque sive undecimi a Christo saeculi, sive recentioris adhuc aetatis superbissimos homines, qui rebellionis signa erigere ausi sunt contra Ecclesiae Catholicae doctrinam et auctoritatem totius licet vetustatis consensione comprobatae, quique porro evanuerunt adeo in cogitationibus suis, ut in liturgicis suorum sectatorum libris intactas relinquerint preces laudesque illas, quibus suprema, quam tantopere oderunt, Ecclesiae Romanae auctoritas luculentissime praedicatur.

Verum ut augeatur in Ruthenis fidelibus unitatis amor, iidemque uberioribus eum in finem divinae gratiae roborantur auxiliis, docere ipsos iuvabit brevem aliquam precationis formulam, qua saepius a Deo supplices petant, ut per eius misericordiam digni habeantur profiteri constanter veram catholicam fidem, atque adeo in necessaria Sanctae huius Sedis communione firmiter perseverare. Harum vero precationum usus et vicem supplebit amplioris instructionis, cui rudiores praesertim laici haudquaquam forent idonei.

De clero sane satagendum est, ut rite omnia noverint, quae sui muneris sunt; nec desint in sacerdotum Ordine viri plures ad sacras disciplinas diligentius exculi, qui potentes sint exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. Atque id ut futuro etiam tempore feliciter consequaris, perges, ut certe facis, cunctos pastoralis zeli nervos intendere, quo minores clerici tum ad pietatem solidamque virtutem, tum ad doctrinam informentur omnino catholicam, atque ab erroris cuiusque periculo alienam. Eo etiam spectat, ut maior, qui fieri poterit, illorum numerus a prima aetate (ut Tridentina Synodus monet) in Seminarium ecclesiasticum recipiantur, ubi a probatissimis viris sedulo instituti sub tuis oculis in spem Ecclesiae succrescant. Nunquam interea invigilare cessabis tum Seminarii eiusdem Moderatoribus, tum aliis extra Seminarium magistris minorum maiorumque disciplinarum, ut nemo illorum ab officio declinet, sed una omnium cura sit in teneros adolescentium animos catholicae veritatis amorem et horrorem schismatis instillare. Ita, Deo benedicente, continget, ut nihil unquam clero tuo potius sit, quam praedicare veram catholicam fidem, quam nisi quisque integram inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit, eoque ipso et unionem fovere cum Ecclesia Catholica, a qua quisquis fuerit separatus, non habebit vitam, et obedientiam tueri erga supremam hanc Petri

cathedram, ubi Christus Dominus ipsius Ecclesiae fundamentum posuit, in qua proinde est integra christianae religionis et perfecta soliditas.

Haec sunt, Ven. frater, quae tecum nostris hisce litteris communicare voluimus sive ad gratulandum eximiae tuae vigilantiae, sive ad zelum ipsum tuum pro supremi nostri apostolatus munere adiuvandum. Plane autem non ambigimus, quin aequo tibi gratulentur alli Ven. fratres catholici Ruthenorum Praesules, et maiorem inde animum sumant, ad suum quisque gregem alacriori sedulitate muniendum adversus Schismaticorum fraudes et in sanctae Ecclesiae unitate custodiendum. Utinam te atque ipsos non contristassent quidam illi eiusdem vestri Ritus Antistites, quos duobus ante annis rebellasse⁶⁹ a catholica veritate deflevimus. Heic autem temperare nobis non possumus, quin rursus doleamus etiam atque etiam calamitatem fidelium ovium, quibus eidem praepositi fuerant, quaeque nunc Pastorum loco veros in eis habent lupos in ipsarum caedem furentes. Nos quidem nihil intentatum relinquimus, quo illas eripiamus ab eorum faucibus et a conditione miserrima, in quam deiectae sunt, Deo bene iuvante, relevemus. Nec sane desistimus, ipsum Patrem misericordiarum per Iesum Christum Filium suum omni, qua possumus, supplicum precum contentione orare et obsecrare, ut roborare illas dignetur validioribus gratiae suae donis, simulque propitius adsit sollicitudini nostrae, qua levamen eis atque opem ferre connitimur.

Denique tibi etiam, Ven. frater, et creditis fidei tuae ovibus, nec non caeteris omnibus aliorum locorum Ruthenis fidelibus universis prospera et salutaria omnia impense precamur a Domino, et nostrae testem studiosissimae benevolentiae Apostolicam benedictionem toto cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die XVII Iulii MDCCCXXI, Pontificatus Nostri Anno XI.

906.

Romae, 29 . I . 1842

Provisio Ecclesiae Prjašovensis in persona Josephi Gaganetz.

ASV, Reg. Lat., vol. 2232, fol. 314-316v.

GREGORIUS Episcopus etc. Josepho Gaganetz⁶⁵, Electo Eperiesen. salutem etc.

Apostolatus officium etc. gubernare. Sane Ecclesia Eperiesen. Ritus Graeci uniti, ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio personae idoneae etc. Pontifici pro tempore existenti facienda ad carissimum in Christo filium nostrum Ferdinandum Austriae Imperatorem ac Bohemiae et Hungariae Regem Apostolicum ex fundatione et dotatione cum privilegio Apostolico cui

⁶⁵ Josephus Gaganetz, Episcopus Prjašovensis (1842-1875). Natus 10-IV-1793. Parochus in Kerestur. Dein Canonicus, et Vicarius Capitularis an. 1841. Die 13-VII-1842 nominatus Episcopus, et confirmatus a S. Apostolica die 29.I.1842; consecratus Viennae die 25.VI.1842. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 1051. Obiit anno 1875, die 22 Decembris.

non est hactenus in aliquo derogatum spectare et pertinere dignoscitur, et cui bo.mem. Gregorius Tarkovich, ultimus illius Episcopus, dum viveret, praesidebat, per obitum dicti Gregorii etc. intendentes, post deliberationem etc. demum ad te, de legitimo matrimonio ex catholicis honestisque parentibus in Gallica Professione Vizlok progenitum ac in quadragesimo nono tuae aetatis anno constitutum, qui iam dudum praesbiteratus ordine initiatus plures per annos animarum curam magno animarum cum fructu exegisti diversis in paroeciis, districtum Borsodiensem qua diaconus rexisti, variaque munia qua delegatus Ordinarii tui explevisti, quique fidem catholicam iuxta articulos iampridem a Sede Apostolica propositos expresse professus es, quaemque praedictus Ferdinandus Imperator et Rex nobis nominavit et de cuius etc. testimonia perhibentur, direximus oculos etc. praedictae Ecclesiae Eperiessen. de persona tua nobis etc. providemus, teque illi in Episcopum praeficimus etc. commitendo etc. incrementa. Iugum igitur Domini etc. commissam. Tuque etc. merearis. Nos enim tecum, ut licet tu doctoratus gradu insignitus non sis, nihilominus etc. eidem Ecclesiae Eperiessen. praefici illique praesse atque illam ut supra regere et gubernare licite et libere valeas, defectu gradus doctoratus huiusmodi ac Constitutionibus etc. dispensamus.

Volumus autem quod in dicta Ecclesia Ep. theologalem ac poenitentialem praebendas ad praesciptum Concilii Tridentini instituas, Montemque pietatis erigi cures, conscientiam tuam super his onerantes.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, tertio Kalendas Februarii, Pont. Nostri Anno duodecimo.

907 - 912.

Romae, 29 . I . 1842

Diversa transmittuntur documenta pontificia occasione provisionis Ecclesiae Prešovienis an. 1842.

ASV, Reg. Lat., vol. 2232, fol. 314-316v.

Simili modo.

GREGORIUS Episcopus etc. Carissimo in Christo filio Ferdinando Austriae Imperatori ac Bohemiae et Hungariae Regi Apostolico, salutem etc.⁶⁶.

Hodie etc. conetur. Cum itaque, fili carissime, etc. venerari. Maiestatem Tuam regiam rogamus etc. actio gratiarum.

Datum ut supra.

Simili modo.

GREGORIUS etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc. Ad cumulum etc. prosequaris. Hodie etc. continetur. Cum itaque, ut idem Iosephus Electus etc. opportunis. Fraternitatem Tuam etc. monemus etc. prosequaris etc. quod ipse etc. uberius promereri. - Datum ut supra.

⁶⁶ Ferdinandus I, Imperator Austriae (1835-1848).

Simili modo.

GREGORIUS Episcopus etc. DD. FF. Capitulo Ecclesiae Eperiessen, salutem etc. Hodie etc. continetur. Quocirca etc. alioquin etc. observari. - Datum ut supra.

Simili modo.

GREGORIUS etc. DD. FF. Clero civitatis et Dioecesis Eperiessen, salutem etc. Hodie etc. continetur. Quocirca etc. curetis. Alioquin etc. observari. - Datum ut supra.

Simili modo.

GREGORIUS etc. DD. FF. Populo civitatis et Dioecesis Eperiessen, salutem etc. Hodie... continetur. Quocirca universitatem vestram monemus etc. gaudeatis. Datum ut supra.

Simili modo.

GREGORIUS etc. Universis Vassallis Ecclesiae Eperiessen., salutem etc. Hodie etc. continetur. Quocirca etc. studeatis, alioquin etc. observari. - Datum ut supra.

Taxa III - II - II - II - II - II - II. Residuum.

Expedita tertio Nonas Maii Anno tertio decimo.

A. Cioja
S. Alessi

913.

Romae, 29 . I . 1842

Bulla absolutionis a censuris pro Electo Ecclesiae Prešovienensis.

ASV, Reg. Lat., vol. 2232, fol. 316rv.

GREGORIUS etc. Dilecto fratri Josepho Gaganetz, Presbitero Gallicae, salutem etc.

Apostolicae Sedis etc. opportuna. Cum itaque Nos hodie etc. (*cf. supra sub data 2.X.1837*) incursum.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Millesimo octingentesimo quadragesimo secundo, tertio Kalendas Februarii, Pont. Nostri Anno duodecimo. - Taxa - II Resid.

A. Cioja
S. Alessi

914.

Romae, 31 . I . 1842

Bulla qua conceditur facultas recipiendi consecrationem a quocumque catholico Antistite.

ASV, Reg. Lat., ibidem ac in praecedenti.

GREGORIUS etc. Dilecto fratri Josepho Gaganetz, Electo Eperiessen., salutem etc.

Cum eras pridem Ecclesiae Eperiessensi etc. (*ut sub data 3.X.1837, mutatis mutandis*) procures.

Forma autem iuramenti, quod praestabis, talis est: Ego Josephus Gagnetz, Electus Eperiessen., ab hac hora in antea etc. Dei Evangelia.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno 1842, pridie Kalendas Februarii, Pont. N. An. duodecimo. - Taxa - II Resid..

A. Cioja
S. Alessi

915.

Romae, 22 . VII . 1842

Allocutio habita in Consistorio secreto de luctuoso statu Ecclesiae catholicae in Imperio Rossiaco. In specie agitur de suppressione Ecclesiae catholicae Ritus Orientalis in Ucraina et Belorussia.

Acta Gregorii PP. XVI, ed. Romae, vol. 3, p. 224.

Venerabiles fratres.

Haerentem diu animo nostro dolorem ob miserrimam catholicae Ecclesiae in Russiaco Imperio conditionem alias, Ven. fratres, vobiscum ex hoc ipso loco communicavimus⁶⁷. Testis quidem est ille cuius, immerentes utique, vicaria potestate fungimur in terris, Nos statim ab inito supremi pontificatus munere nullam sollicitudinis studiique partem pratermisisse, ut tot tantisque quotidie ingravescentibus malis, quoad fieri posset, mederemur. Quis autem impensis huiusmodi curis responderit fructus, facta etiam recentissima satis superque demonstrant. Quantum inde assiduus noster dolor exereverit, magis vos cogitatione perceptis, quam nobis liceat verbis explicare. Est vero quod intimae amaritudini summum veluti cumulum addit, quodque Nos, pro Apostolici ministerii sanctitate, praeter modum anxios et sollicitos habet. Cum enim quae ad incolumitatem catholicae Ecclesiae intra Russicae dominationis fines tuendam indesinenter praestitimus, in iis maximae regionibus palam non innotuerint, illud sane molestissimum accidit, ut apud degentes inibi permagno numero fideles, avita Sanctae huius Sedis inimicorum fraude, rumor invaluerit, Nos sacratissimi officii immemores tantam illorum calamitatem silentio dissimulasse, atque adeo catholicae religionis causam pene deseruisse. Itaque eo iam adducta res est, ut lapis offensionis ac petra scandali propemodum evaserimus amplissimae parti dominicae gregis, cui regendo divinitus positi sumus; immo vero universae Ecclesiae super eum tamquam super firmam petram fundatae, cuius ad Nos, utpote successores, veneranda dignitas promanavit.

Haec porro cum sint, id Dei, religionis et nostra etiam ratio omnino postulat, ut vel ipsam tam iniuriosae culpae suspensionem longissime a nobis propulsemus. Atque haec causa est, cur omnem seriem curarum, quas pro catholica Ecclesia in memorato Imperio suscepimus, peculiari expositione⁶⁸ ad

⁶⁷ In Consistorio secreto diei 22.XI.1839. Cfr. supra.

⁶⁸ Agitur de libro sub titulo: « Allocutione ».

unumquemque vestrum mittenda, pateferi iusserimus; quo nimirum universo fideli orbi elucescat, Nos proprio apostolatus muneri nullatenus defuisse. Ceterum non concidamus animo, Ven. fratres, futurum sperantes, ut potentissimus Russiarum Imperator et Poloniae Rex Illustris⁶⁹, pro sua aequitate et excelso, quo praestat animo, diuturnis nostris ac subditae sibi catholicae gentis votis benevole obsecundet. Hac spe fulti, non desistamus interim oculos ac manus in montem, unde veniet auxilium nobis, fidenti cum prece levare omnipotentem ac pientissimum Deum una simul enixe obsecrantes, ut laboranti iam dudum Ecclesiae suae expectatissimam opem quantocius largiatur.

916.

Romae, 30 . VIII . 1842

Provisio Ecclesiae, ut videtur, Belzensis, Ecclesiae Chelmensi perpetuo canonicè unitae in persona Joannis Teraševyč, in Coadiutorem Episcopi Chelmensis electi.

Cfr. J. PELESZ, *Geschichte de Union der ruthenischen Kirche mit Rom*, vol. II, p. 846.

GREGORIUS PP. XVI. Dilecto filio, etc. salutem etc.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, etc. gubernare etc. (*cfr. ut ex gr. sub data 15.VII.1841*).

Datum Romae etc. die 30 Augusti 1842, etc.

* * *

Bullam provisionis huius Ecclesiae non invenimus. Sed eventum hunc summarie saltem commemorare hic utile fore duximus. Ceterum Bulla haec secundum formulam solitam exarata fuit, cuius textus proinde ex aliis similibus deduci potest.

917.

Romae, 27 . III . 1844

Episcopo Chelmensi de persecutionibus Ecclesiae Orientalis, eumque enixe hortatus ad pericula et vexationes fortiter sustinendas gregemque suum in fide catholica tutandum.

ASV, *Ep. ad Principes*.

Acta Gregorii PP. XVI, Romae 1902, vol. III, p. 326-7, nr. 272.

Venerabili fratri Philippo Feliciano,
Episcopo Chelmensi⁷⁰.

⁶⁹ Nicolaus I (1 825-1855).

⁷⁰ Philippus Felicianus Szumborskyi, Ep. Chelmensis (1828-1851). Obiit 19.I.1951. Cfr. de eius vita et activitate bene dicta a J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 836-846. Praesertim de eius difficultatibus an. 1841-1842 cfr. in p. 845. De eius morte cfr. *Giornale di Roma*, 5. IV. 1851.

GREGORIUS PP. XVI. Venerabilis frater, salutem etc.

Etsi summo quotidie afflictemur moerore, ob gravissima Catholicae Ecclesiae vulnera, quae per istas praesertim regiones vaferrimis furentium Schismaticorum consiliis violentisque molitionibus acerbiora in dies reddi cognoscimus; tamen maiorem in modum animi Nostri dolor est auctus, cum nuper, Vev. frater, tuas tristissimas atque amantissimas accepimus literas, die vigesima secunda mensis Septembris superiori anno ad Nos datas. Ipsis enim iure quereris, non paucos tuae quoque dioecesis homines, nefariis insidiis falsisque sollicitationibus misere deceptos, a catholica fide iam defecisse, atque ad Schismaticorum sectam demigrasse. Ac vehementer doles et angeris cum videas optimos quosque tuae Ecclesiae sacerdotes, de re catholica bene sentientes, atque ecclesiasticis muniis obeundis sanisque doctrinis publice tradendis idoneos, ad defectionem tentari, a cathedris expelli, minis terreri, contumeliis modisque omnibus vexari, exagitari tuisque clericis purae doctrinae et rectae educationis fontes intercludi atque ecclesiasticas leges violari, tuam iurisdictionem turbari, et episcopalis muneris officia impediri. Nos quidem tecum una, Ven. frater, intimo corde ingemiscimus, ac tantis Catholicae Ecclesiae damnis atque huius Sanctae Sedis detrimentis districti ac pene obruti, die nocteque coram Deo in lacrymas effusi, ipsum, qui pacis et consolationis est auctor, humillimis precibus orare, obsecrare nunquam omittimus, ut tot Ecclesiae suae sanctae vulneribus mederi, ac tantas calamitates, aerumnas secundum suam misericordiam avertere velit. Interim vero Nostram infirmitatem sustentat lenitque incredibilem dolorem eximia ac spectata tua virtus, Ven. frater, qui in tanta rerum vicissitudine, ac tam aspera temporum procella nihil tibi, sed divino auxilio omnino fretus, immobili fide huic Petri Cathedrae, centro catholicae unitatis, adhaerere laetaris, atque indutus lorica iustitiae impavidus adversus Ecclesiae Christi osores et huius Apostolicae Sedis hostes factus tamquam murus aeneus, et columna ferrea quantum in te est, episcopali robore omnibus illorum conatibus obsistere, tela retundere, fallacias detegere, impetus frangere non reformidas, ad omnia subeunda pericula paratissimus, quo tuum ministerium implere ovesque tibi commissas tueri atque a venenatis pasculis arcere, ad salutaria propellere possis. Neque leviori etiam solatio affecti fuimus cum ex iisdem tuis litteris noverimus, singulari miserantis Dei beneficio, maximam tui gregis partem mortiferis insidiantium vocibus aures haud praebere, atque adhuc in Apostolico fundamento persistere. Itaque in tanto discrimine ne abiicias animum, Ven. frater, sed confortare in Domino, et in potentia virtutis eius, atque assumens in omnibus scutum inexpugnabile aequitatis et fidei, et sumens gladium spiritus, Deo semper auctore, perge certare bonum certamen ac praeclara tuae constantiae et fortitudinis documenta exhibere, neque unquam desinas pro viribus tuum gregem hortari, monere, ut in catholica fide, sine qua nulla est salus, immotus permaneat, et numquam ab officio deflectat. Probe enim nosis te ita non solum de Catholica Ecclesia, de hac Apostolica Sede, de Nobis vel maxime meriturum, verum etiam magis magisque eius oculis placiturum, qui Nos in confessione nominis sui constitutos desuper spectans, volentes comprobatur, adiuvat dimicantes, vincentes coronat. Meritis autem laudibus te prosequimur, Ven. frater, quod nulla interposita mora, non nullorum rituum immutationem a te propositam, omni cura et studio revocandam curaveris, vix dum intellexisti illam ex Schismaticorum

potissimum fraudibus in tui gregis damnum cedere, a qua quidem immutatione Fratritatem Tuam Nostris litteris, die vigesima tertia Maii Anno Millesimo octingentesimo quadragesimo latis, abstinere monuimus. Hisce vero diebus ad Nos pervenerunt acta episcopalis consecrationis, Ven. fratris Ioannis Teraszkiewicz, quem tibi suffraganeum Episcopum a Nobis datum esse gaudeas, quemque egregiae tuae pietatis, religionis, constantiae imitationem esse vehementer desideramus, atque ideirco ipsissimis tuis sensibus a te, Ven. frater, illum animari maxime exoptamus. Cum autem Nobis nihil optabilius esse possit, quam Fratritatis Tuae litteras accipere, tum futurum sane confidimus, ut tu, Ven. frater, quacumque occasione uti volueris, quo tuae ad Nos litterae perveniant.

Denique, Ven. frater, pro certo habe Nos Fratritatem Tuam omnesque tuos clericos laicosque fideles potissima in Christo caritate complecti et in omni oratione et obsecratione cum gratiarum actione Deo et Verbo gratiae ipsius humiliter commendare, ac paratissimos esse ad opem tibi ferendam quibusque in rebus, divina iuvante providentia, poterimus. Atque huius studiosissimae Nostrae voluntatis et praecipuae benevolentiae pignus, Apostolicam benedictionem tibi, Ven. frater, tuisque commemoratis ovibus toto cordis affectu peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die vigesima septima Martii, Millesimo octingentesimo quadragesimo quarto, Pontificatus Nostri Anno decimo quarto.

918.

Romae, 19 . I . 1846

Allocutio Gregorii PP. XVI ad Cardinales de intercessione apud Imperatorem Rossiae in favorem Catholicorum facta, eius in Urbe commorationis occasione.

ASV, Ep. ad Principes.

Acta Gregorii PP. XVI, Romae 1902 vol. III, p. 464, nr. 343.

Allocutio in Consistorio secreto die decima nona
Ianuarii, An. Millesimi octingentesimi quadragesimi sexti.

VENERABILES FRATRES!

Ante anni proximi finem cum in Italia longissimo itinere esset profectus serenissimus ac potentissimus Russiarum Imperator et Poloniae Rex Illustris⁷¹, desiderio captus invisendae huius etiam Almae Urbis Nostrae, eam, ut omnibus est notum, reipsa nuperrime petiit. Illico autem pro ea qua praestat humanitate, Nos imprimis convenire voluit salutationis causa, quod ipsum officiose iterum fecit, antequam paucis postea diebus discederet. Dum autem ipsum eo, quo par est, excepimus honore, haud quidem Apostolicum divina dispositione Nobis impositum ministerium oblitum sumus. Obversatur enim assidue ante oculos Nostros misera Catholicorum magno eidem principi subiectorum conditio, quam hoc ipso in loco non semel vobiscum amare deflevimus; ac propterea quum idem Nos atque Nostram voluerit civitatem adire, occasionem huiusmodi opportunam Nobis fore putavimus, ut lumine Spiri-

⁷¹ Nicolaus I (1825-1855).

tus Sancti humillimis precibus implorato, tot filiorum Ecclesiae adeo Nobis dilectorum causam tueri coram ipso eorum principe, afflictisque per vastissimas eius ditionis provincias religionis catholicae rebus opitulari ac prospicere annitemur. Partes igitur Nostras hoc etiam tempore pro viribus implere haud omisimus; sperantes Imperatorem ac Regem pro sua aequitate non commissurum, ut iustissimis expostulationibus votisque Nostris in Alma hac Urbe praesentiaque ipsa Nostra detrectaret annuere, atque ipse quidem horum se rationem habiturum promisit, cum Petropolim remeaverit. De reliquo spes omnis Nostra in Deo est, in cuius manu corda sunt regum. Quapropter a vobis, Venerabiles fratres, in partem sollicitudinis Nostrae vocatis enixe postulamus, ut eundem misericordiarum Patrem una simul Nobiscum oretis, at thronum gratiae eius cum fiducia adeuntes, ut suum mittat auxilium ex Alto, quo sanctae Christi Ecclesiae respirare tandem a malis contingat, quibus per Russiarum Polonicasque regiones divexatur atque adeo Catholicis illic degentibus futura deinde sint prava in directa et aspera in vias planas.





Ex opere depicto, Romae

PIUS IX

(16.21.VI.1846 — 7.II.1878)

senogalliensis

(Joannes M. Mastai Ferretti)

DOCUMENTA PII PP. IX

919.

Romae, 3 . VII . 1848

Metropolitae Mohiloviensi Catholicos Ritus Orientalis in Imperio Rossiaco commendat.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. VI, 1, p. 63-64, nr. 46.

Ven. fratribus Archiepiscopo Mohiloviensi et eius Suffraganeis⁷².

PIUS PP. IX. Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ubi inscrutabili Divinae Providentiae consilio ad totius Ecclesiae regimen evecti fuimus, nihil certe antiquius habuimus, Venn. fratres, quam intensissimo studio omnia conari, ut in vastissimis istis Russiaci Imperii regionibus sanctissimae nostrae religionis res ad meliorem conditionem adduceremus. Itaque rec.mem. Gregorii XVI, Praedecessoris nostri, vestigia sectantes, cum serenissimo ac potentissimo Russiarum Imperatore et Poloniae Rege Illustri tractationem suscipiendam curavimus, ut spirituali istorum fidelium honore et utilitati maiorem in modum consulere possemus⁷³. Atque inter alia, quae in huiusmodi tractatione sunt constituta, novam quoque istarum Latini Ritus dioecesium circumscriptionem sancendam censuimus, sicut ex nostra allocutione hodie in Consistorio a nobis habita typisque edita atque ex Apostolicis literis de eiusmodi circumscriptione hoc ipso die datis, quisque vestrum plenius intelliget.

Verum inter alia multa maximi quidem et gravissimi momenti, quae adhuc ad optatum exitum adducenda supersunt, restat etiam, ut plurimis Catholicis qui, veluti probe nostis, in istis versantur regionibus quique vel Graecum seu Ruthenum, vel alium, praesertim Armenum, profitentur Ritus, proprios cuiusque Ritus Antistites, ut summopere exoptamus, praeficere nondum possimus, qui fideles illos ad salutis semitam facilius perducant. Quamobrem pro Apostolici nostri ministerii debito, de eorundem fidelium conditione ac spirituali incolumitate vel maxime anxii atque solliciti, has vobis, Venn. fratres, scribimus literas, quibus vestram religionem, pietatem atque episcopalem sollicitudinem et vigilantiam vehementer in Domino excitamus, ut summam curam de carissimis illis filiis, qui in vestris morantur dioecesibus,

⁷² Archiepiscopus Mohiloviensis Latinorum tunc temporis erat Casimirus Pobóg Dmochowski (1848-1851). Antea Episcopus Piltensis, Coadiutor Curlandiae. Episcopus Suffraganeos habuit tunc temporis sex (cfr. *Enc. Pow.*, vol. 3, p. 129).

⁷³ Conventio haec subscripta est anno 1847. Cfr. A. M. AMMANN, *op. cit.* p. 447-450.

suscipere velitis, et quicquid vel consilio, vel industria, vel labore ac providentia potestis, id omne in sempiternam eorum salutem procurandam totis viribus conferre adnitamini, donec ipsi catholico sui Ritus Antistite destituantur.

Equidem pro vestra sapientia optime scitis, Catholicos cuiusque Orientalis Ritus proprio Antistite carentes, ad illius latini Episcopi in cuius dioecesi morantur curam et iurisdictionem pertinere, cui etiam commendatum est ut curare debeat quo idonei cuiusque Ritus presbyteri ab ipso probati iuxta Rituum diversitatem divina Catholicis ipsis officia celebrent et ecclesiastica sacramenta ministrent atque opportunam in eos auctoritatem exercent, quemadmodum in Concilio Lateranensi IV praescribitur. Neque ignoratis, immortalis mem. Benedictum XIV, Praedecessorem nostrum, eadem ratione Graecorum in Italia degentium regimini consuluisse per suas Apostolicas literas, VII Kalendas Junii anno MDCCXLII datas, quorum initium « *Etsi pastoralis* »⁷⁴.

Dum autem a vobis enixe exposcimus, ut maxima industria et alacritate spiritualibus illorum fidelium necessitatibus diligentissime occurrere nunquam intermittas, illud quoque vehementer expetimus, ut vestram omnem operam in Orientalis Ecclesiae Ritibus servandis atque tuendis impendere studeatis. Etenim vobis compertum exploratumque est, Venerabiles fratres, huiusmodi Orientalis Ecclesiae Ritus venerabili suae originis antiquitate commendatos et non minima ex parte a Ss. Patribus profectos summo in pretio a Romanis Pontificibus decessoribus nostris habitos semper fuisse, ac tantam ab hac Apostolica Sede in Ritibus ipsis conservandis adhibitam esse curam, ut absque eiusdem Apostolicae Sedis venia minime liceat Orientalem deserere Rituum, prout idem decessor noster Benedictus XIV generatim in pluribus suis Apostolicis literis (Extant Constitutiones eiusdem Pontificis in eius Bullario tom. I., n. 87, tom. III., n. 44, et tom. IV. n. 47) impensius vero Clemens XIV, et Pius VII, Praedecessores pariter nostri, renovantes sanctiones Urbani VIII, Decessoris etiam nostri, suis decretis constituere (Urb. VIII. decret. VII. Februarii MDCXXIV., Clemens XIV. decret. XII. Aprilis MDCCXXIV, et Pius VII. decret. XIII. Junii MDCCCII.).

Iam vero cum persuasissimum nobis sit, vos hisce nostris desideriis et postulationibus quam diligentissime esse responsuros, non dubitamus, Venerabiles fratres, quin maiore usque zelo ministerium vestrum implentes et custodientes vigilias noctis super gregem curae vestrae commissum, nihil unquam intentatum relinquatis, quo summa voluntatum, animorum et studiorum consensione Dei gloriam magis magisque procurare eiusque Sanctae Ecclesiae causam, iura, libertatem impavide prudenterque defendere, ac dilectarum ovium saluti sedulo consulere possitis.

Nos certe, licet indigni, haud omittemus clementissimum misericordiarum Patrem in humilitate cordis nostri orare et obsecrare, ut uberrima quaeque suae bonitatis dona super vos propitius semper effundat, ac pastoralibus vestris curis benedicat, quo fideles vobis commissi magis in dies enutriti verbis fidei crescant in scientia Dei, et per gratiarum charismata confirmati alacriori pede incedant per semitas Domini. Atque divini huius praesidii

⁷⁴ Cfr. DE MARTINIS, *op. cit.*, vol. III, p. 58-73, nr. 24.

auspicem et studiosissimae nostrae in vos caritatis pignus accipite Apostolicam benedictionem, quam ex intimo corde deproptam et cum omni verae felicitatis voto coniunctam vobis ipsis, Venn. fratres, omnibusque clericis laicisque fidelibus vestrae vigilantiae concreditis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscatoris, die III Julii MDCCCXLVIII, Pontificatus Nostri Anno III.

920.

Romae, 3 . VII . 1848

Allocutio PP. Pii IX de conventionibus cum Gubernio Rossiaco, nec non de opera nondum completa quoad Catholicos Ritus Orientalis.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. VI, 1, p. 64-68, nr. 47.

Allocutio habita in Consistorio secreto die III Julii MDCCCXLVIII.

Venerabiles fratres.

Probe scitis, Venn. fratres, nos de universi Dominici gregis salute nobis divinitus commissa vehementer sollicitos, vel ab ipso supremi nostri pontificatus exordio illustria rec. men. Gregorii XVI, Praedecessoris nostri, vestigia sectantes intentissimo quidem studio curas omnes cogitationesque nostras convertisse ad sanctissimae nostrae religionis res in amplissimis serenissimi ac potentissimi Russiarum Imperatoris et Poloniae Regis Illustris dominiis componendas. Hinc scitis, Ven. fratrem nostrum Aloisium Episcopum Portuensem, S. Rufinae et Centumcellarum S. R. E. Cardinalem Lambruschini singulari pietate, prudentia, doctrina et in ecclesiasticis negotiis peragendis peritia spectatum plena potestate munivimus, eique in tanti momenti re adiutorem dedimus dilectum filium Ioannem Corboli Bussi, Antistitem nostrum domesticum, ut cum nobili viro comite de Bloudoff ab ipso serenissimo Principe ad nos cum literis mandatis extra ordinem legato, ac nobili item viro comite Bouténeff eiusdem Principis apud nos et hanc Apostolicam Sedem legato extraordinario et ministro plenipotentiario⁷⁵ de variis maximisque Ecclesiae in vastissimo illo Imperio rebus tractationem susciperet, quo nos facilius et catholicae religionis statum illic in meliorem conditionem adducere et dilectarum illarum ovium saluti consulere possemus. Iam vero hodierno die vobis annuntiamus quos fructus, Deo bene iuvante, sollicitudinesque curaeque nostrae in tanto Catholicae Ecclesiae negotio sint consequutae. Ac primum summam animi nostri consolationem vobiscum partimur, Venn. fratres, quod in hoc ipso Consistorio nonnullas in illo Imperio Latini Ritus ecclesias diuturna viduitate misere afflictas recreare, easque idoneis Pastoribus concredere valemus, et quamprimum alias quoque tum in Imperio ipso, tum in Poloniae Regno diu vacantes Ecclesias suis Antistitibus instruere poterimus, qui commissum sibi gregem ad salutis semitam deducere conten-

⁷⁵ Iam inde ab initiis sui regiminis Nicolaus I legatos suos Romae habebat. Unus eorum erat sane Butenieff. Anno 1847 missus erat etiam comes Bloudoff, ut de conventionem inter S. Apostolicam et Nicolaum I ageret.

dant. Constitutum autem est, ut in urbe Chersoneso nova erigatur episcopalis sedes, quae suum habeat Canonicorum collegium et Seminarium ad Concilii Tridentini normam, ac Suffraganeum in civitate Saratovia; utque sex aliae dioeceses Latini item Ritus in illo Imperio iam existentes novis circumscribantur limitibus, quemadmodum clare aperteque cognoscetis ex Apostolicis litteris, quas hac super re, ut moris est, edi mandavimus. Quod enim attinet ad dioeceses in Poloniae Regno sitas, nullam illae immutationem patiuntur, propterea quod statutum fuit, Apostolicas litteras a fel. rec. Pio VII, Decessore nostro, die XXX Iunii anni MDCCCXVIII editas, esse servandas. Omni quidem studio curavimus, ut Episcopis in suis dioecesibus integra sit ecclesiasticarum rerum procuratio, quo ipsi pro pastoralis muneris debito et catholicam fidem tueri, et ecclesiasticam disciplinam fovere, et fideles ad religionem et pietatem formare, eorumque mores continere, et iuvenes, ac praesertim illos, qui in sortem Domini vocati sunt, ex sapientissimis aequae ac providentissimis Tridentinae Synodi praescriptis ad omnem virtutem mature fingere, rebusque optimis instituere, sanisque doctrinis imbuere, et ecclesiasticam academiam moderari, eique sedulo advigilare possint. Cum autem in illo Imperio quamplurimi diversorum Rituum catholici existant, nemo certe ignorat, eosdem dum proprio sui Ritus Episcopo careant, ad latini Antistitis iurisdictionem pertinere, a quo et a presbyteris ab ipso probatis illi et divina sacramenta et spiritalia subsidia excipiant oportet. Itaque cum in Camenecensi dioecesi, necnon in nova dioecesi Chersonensi, magnus sit Armenorum catholicorum numerus, qui catholico proprii Ritus Antistite orbatii sunt, haud omisimus spiritualibus illorum indigentis peculiari aliqua ratione prospicere. Siquidem sancitum est, ut non solum illis aptentur quae in capite nono Concilii Lateranensis quarti praescripta sunt, donec suum non habuerint Episcopum, verum etiam ut iidem Antistites Camenecensis et Chersonensis armeniorum clericorum numerum statuunt, qui in sua Seminaria excipi, ibique a catholico armenio presbytero sedulo institui debent.

Atque singula commemorare praetermittimus quae plenius perspicere poteritis in variis conventi articulis, quos una cum hac nostra allocutione in lucem edendos existimavimus. Quos quidem articulos nobis probari declaravimus, antequam potentissimus Russiarum Imperator et Poloniae Rex sibi illos acceptos esse significaret, quandoquidem de prona ac benevola ipsius serenissimi Principis voluntate certiores facti dubitare non poteramus, quin ipse illos suo quoque consensu muniret, quemadmodum re quidem vera evenisse laetamur.

Habetis, Venn. fratres, quid pro Catholicae Ecclesiae rebus in Russico Imperio componendis inceptum actumque a nobis fuerit. Multa quidem alia et maximi sane momenti ad optatum exitum adducenda supersunt, quae a Plenipotentariis in tractatione perfici haud potuere, ac Nos vehementissime sollicitant et angent, cum ad Ecclesiae libertatem, iura, rationes et ad illorum fidelium saltem summopere pertineant. Etenim hic loquimur, Venn. fratres, de vera et plena libertate illis fidelibus tribuenda, ut in rebus ad religionem spectantibus cum hac Apostolica Sede catholicae unitatis et veritatis centro, omniumque fidelium matre ac magistra, sine ullo impedimento communicare possint; et quantus in hac re sit animi nostri dolor, quisque vel facile intelligit ex iteratis reclamationibus, quas variis temporibus haec Apos-

tolica Sedes, ob hanc liberam fidelium communicationem agere nunquam intermisit, etiam circa alias regiones, ubi communicatio ipsa cum non levi animarum detrimento in nonnullis religionis negotiis impeditur. Loquimur de bonis clero restituendis, loquimur de laica persona per Gubernium electa ab Episcoporum Consistoriis amovenda, ut Episcopi in huiusmodi conventibus omni libertate fruantur, loquimur de lege, qua ibi mixta coniugia uti valida non agnoscuntur, nisi postquam nuptiis ipsis acatholicus presbyter graeco-russus benedixerit, loquimur de libertate, qua catholici pollere debent ut matrimoniales eorum causae in mixtis coniugiis a catholico tribunali ecclesiastico expendantur et iudicentur, loquimur de variis legibus ibi editis, quibus et religiosas professionis aetas fuit praefinita, et scholae in religiosorum Ordinum familiis sunt penitus sublatae, et provinciales moderatores omnino amoti, et conversio ad catholicam religionem praepedita atque interdicta. Atque ingens nos quoque urget sollicitudo de tot carissimis nobis filiis inclytæ ruthenae nationis, qui (proh dolor!) ob infandam et nunquam satis lugendam quorundam Antistitum ab hac Romana Ecclesia defectionem per vastissimas illas regiones miserandum in modum dispersi in luctuosissima sane conditione et summo aeternae salutis discrimine versantur, cum careant propriis catholicis Episcopis qui illos regere et ad salutaria pascua atque ad iustitiae semitas ducere, et spiritualibus auxiliis roborare, atque ab inimicorum hominum fallaciis, fraudibus, insidiis defendere possint. Quae sane omnia ita animo nostro penitus haerent infixæ, ut cum Dei gratia nullam sollicitudinis studiique partem omissuri simus, quo tam gravibus Ecclesiae sanctae rebus occurrere valeamus. Neque animum despondemus. Namque idem nobilis vir Comes de Bloudoff ex hac Urbe decedens Petropolim rediturus luculentissimis verbis nobis est pollicitus, se ad imperialem et regiam Maiestatem Suam nostra desideria et expostulationes esse delaturum, ac de illis magna saltem ex parte curam habiturum et coram ea omnia declaraturum, quae absens haud facile explicare potuisset.

Nuper autem summa animi nostri laetitia cognovimus, ipsum serenissimum Principem consensisse, ut novus Chersonensis Episcopus alterum quoque Suffraganeum habeat; atque insuper, ut matrimoniales et aliae ecclesiasticae causae tum in Russiarum Imperio, tum in Poloniae Regno in posterum agenda, post primam sententiam a proprio Ordinario latam, in secundo iurisdictionis gradu vel ad cuiusque Metropolitanæ tribunal, ut moris est, vel si ab ipso Metropolitanano in prima instantia iudicatae fuerint, ad viciniorem deducantur Episcopum peculiaribus in id facultatibus ad congruum tempus duraturis ab hac Apostolica Sede instruendum; ac denique ut in ulterioribus appellationibus omnes eadem causae ad ipsam Apostolicam Sedem in hac alma Urbe deferantur. Neque minori certe gaudio ex recentibus nuntiis, qui ab illa imperiali et regia aula ad nos pervenerunt, accepimus, eundem serenissimum Principem in aliis quoque commemoratis negotiis serio se occupare, ac porro spem affulgere fore, ut illa felici exitu conficiantur. Itaque maiori spe sustentamur fore, ut ipse serenissimus ac potentissimus Princeps pro sua aequitate, iustitia, prudentia atque excelsi animi magnitudine iustissimis nostris desideriis ac postulationibus obsecundet, quo vobis quamprimum annuntiare possimus, omnia quaeque ad Catholicam Ecclesiam in illis dominiis pertinentia ad optatissimum exitum adducta fuisse.

Et quoniam deploranda Ruthenorum conditio paternum animum nostrum vel maxime excruciat atque sollicitat, idcirco iterum iterumque profitemur, Nos pro Apostolici nostri ministerii officio nihil intentatum unquam esse relicturos, ut tot tantisque spiritualibus illorum indigentibus opportuna ratione subvenire valeamus. Dum autem ea spe nitimur fore, ut latini presbyteri summa cura et industria carissimis illis filiis spiritualia subsidia praebere contendant, ipsos Ruthenos intimo nostri cordis affectu in Domino amantissime ac studiosissime hortamur, monemus, ut in Catholicae Ecclesiae unitate stabiles atque immoti persistent; ac si ab ea exciderint, ad amantissimae matris sinum redeant, atque ad Nos confugiant, qui Deo bene iuvante parati sumus ad ea omnia praestanda, quae ad aeternam eorum salutem conducant.

Interim vero ne desinamus unquam, Venn. fratres, enixis humilibusque precibus clementissimum bonorum omnium largitorem Deum orare et obsecrare, ut in abundantia divinae suae gratiae nostris curis, studiis, consiliis propitius adesse dignetur, quae ad spiritualem omnium fidelium utilitatem, atque ad sanctissimae suae religionis bonum et incrementum unice spectant, in qua tutissimum etiam ac solidissimum regnorum et publicae populorum tranquillitatis et prosperitatis praesidium est collocatum.

921.

Romae, 5 . IX . 1848

De translatione auctoritate Apostolica Gregorii Jachymovyč a Sede titulari Pompeiopolitana ad Ecclesiam residentialem Peremyslensem.

SECRETARIA BREVIUM, Pius IX, an. 1848, Septembris, p. II, nr. 192, f. 32rv.
DE MARTINIS R., op. cit., vol. VI, 1, p. 77-8, nr. 54.

Venerabili fratri Michaaeli, Arch. Leopoliensi⁷⁶.

PIUS PP. IX. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Per Apostolicas literas sub plumbo datas anno MDCCCVII, VIII Kalendas Martii, felicis recordationis Pius VII, Praedecessor noster, Metropolitano Leopoliensi et Haliciensi facultatem in perpetuum concessit nominatos ad suas suffraganeas episcopales Ecclesias Kelmensem et Premisliensem, dummodo necessariis dotibus praediti sint, auctoritate et nomine Sedis Apostolicae confirmandi et instituendi munusque consecrationis eisdem impendendi modo ac forma quibus huiusmodi facultas a Clemente Papa VIII per suas Apostolicas literas, datas VII, Kalendas Martii anno MDXCV, Metropolitano Kioviensi fuerat impertita. Iamvero, quum vacans existat episcopalis Ecclesia Praemisliensis Graeci Rutheni Ritus suffraganea Leopoliensis Archiepiscopi, ad eamque carissimus in Christo filius noster Ferdinandus I, Austriae Imperator, nominaverit Ven. fratrem Gregorium Iachimowic⁷⁷, Episcopum Pompeiopolitanum in partibus infidelium, Auxiliarem tuum in Metropolitana ista Ecclesia Leopoliensi, hinc est, ut concessa per dictas Pii VII, Praedecessoris

⁷⁶ Lucas Baraniecki (1846-1858). *Enc. Pow.*, vol. 2, p. 128.

⁷⁷ Cfr. supra sub nota 62.

nostri, literas facultate uti nequeas eo quod nominatus Antistes Pompeiopolitanae Ecclesiae vinculo obstrictus maneat; quare suppliciter a nobis postulasti, ut hac super re Apostolica nostra auctoritate providere velimus. Nos igitur tuis adnuere votis volentes, tenore praesentium eam tibi, Ven. frater, tribuimus facultatem, ut auctoritate et nomine Sanctae Sedis consueta acta seu processus conficere dictumque Ven. fratrem Iachimowic a vinculo quo tenetur episcopalis Ecclesiae Pompeiopolitanae absolvere eumque sic absolutum dicta auctoritate et nomine ad vacantem Premisliensem Ecclesiam transferre possis et valeas.

Haec concedimus, atque elargimur, decernentes has literas semper firmas, validas et efficaces existere ac fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac omnibus, ad quos spectat et pro tempore quando-cumque spectabit, in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii nostri Apostolici Auditores, iudicari et definiti debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Nos obstantibus Apostolicis ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, caeterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Mariam Maiorem, sub Annulo Piscat., die V Septembris MDCCCXLVIII, Pontificatus Nostri Anno III.

922.

Romae, 20 . V . 1850

Provisio Ecclesiae tit. Rosensis in persona Joannis Bochenskyj, electi Coadiutoris Ecclesiae Metropolitanae Leopoliensis.

SECRET. BREV., *Bullae*, vol. I, fol.

Provisio episcopalis Ecclesiae Rosensis in partibus Infidelium pro Electo absente, cum dispensatione super defectu gradus, deputatione in Auxiliarem ac retentione dignitatis⁷⁸.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Joanni Bochenski, Electo Rosen., salutem etc..

Apostolatus officium etc. gubernare. Dudum etc. attentari. Postmodum vero ecclesia Rosen. quae in partibus infidelium consistit et cui b.m. Antonius Burbane, ultimus etc. per obitum etc. demum ad te ex catholicis honestisque parentibus in Dioecesi Leopoliensi ortum, sexagesimum septimum tuae aetatis annum agentem, iamdiu Praesbiterum et ecclesiasticis doctrinis apprime instructum, qui Vicarii, Concionatoris archicathedralis Leopoliensis, Cancellarii, et Consilarii Consistorialis, Examinatoris Prosynodalis ac

⁷⁸ Joannes Bochenskyj, Ep. tit. et Auxiliaris Metropolitae Leopoliensis (1850-1857). Cfr. F. PELESZ *op. cit.*, II, p. 926.

Seminarii Clericorum Leopoliensis Rectoris officia successive ac laudabiliter exegisti, ac de cuius gravitate, prudentia etc. censentes, te eidem Ecclesiae Rosen. de persona tua nobis et eisdem fratribus etc. providemus, teque illi etc. plenarie committendo ad hoc, ut Venerabili quoque fratri nostri Michaeli Lewicki, Archiepiscopo Leopoliensi, Haliciensi et Camenecensi Rutheni Ritus in pontificalibus exercendis aliisque muniis obeundis auxilio esse possis, cuius quidem Michaelis Archiepiscopi in Episcopum auxiliarem iuxta decretum a nobis approbatum Apostolica auctoritate praedicta deputamus, ita tamen, ut non nisi de ipsius Michaelis Archiepiscopi licentia et consensu quidquam agere queas in Illo, qui dat etc. incrementa.

Jugum igitur Domini etc. merearis. Nos enim tibi, ut tu licet doctoratus gradu insignitus non sis, nichilominus quia sufficienti doctrina praeditus et ad dictam Rosen. Ecclesiam regendam et gubernandam habilis et idoneus esse dignosceris, eidem Ecclesiae Rosen, in Episcopum praefici illique praeesse ac illam, ut supra, regere et administrare libere et licite valeas, defectu gradus doctoratus huiusmodi ac constitutionibus etc. nequaquam obstantibus, Apostolica auctoritate etc. dispensamus. Ac ad ea quae in tuae commoditatis etc. a quocumque quem malueris catholico Antistite etc. in hoc ei assistentibus duobus Praesbyteris in ecclesiastica dignitate consitutis, munus consecrationis suscipere libere etc. recepto prius etc. iuramento iuxta formam, quam sub Bulla etc. per praesentes. Statuentes et dicta auctoritate decernentes, quod nisi recepto etc. suspensi sitis eo ipso. Quodque per hoc Ven. fr. etc. generetur. Volumus autem quod tu antequam etc. in manibus praedicti Antistitis fidei etiam catholicae professionem etc. expresse emittere illamque sic emissam sine mendis cum tui et praedicti Antistitis subscriptione ad Urbem intra praefixum tempus transmittere omnino tenearis.

Formam vero iuramento praedicti, ut praefertur, praestandi nobis de verbo ad verbum per tuas patentes litteras, tuo sigillo munitas, per proprium Nuntium quantocitius destinare procures. Et insuper tibi, ut ad dictam Ecclesiam Rosen. quamdiu etc. minime tenearis. Ac praeterea tibi, ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis exigentias decentius tenere valeas etc. Motu proprio et ex certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine tecum, ut etiam postquam in vim provisionis et praefectionis praedictarum pacificam possessionem seu quasi regiminis et administrationis praedictae Ecclesiae Rosen. assequutus fueris, ac munus consecrationis praefatum susceperis, Archidiaconatum seu Decanatum, quo sicut accepimus in Metropolitana Ecclesia Leopoliensi poteris, ut prius quoadvis etiam munere praedicto tibi impenso una cum dicta Ecclesia Rosen. quamdiu illi praefueris retinere libere et licite valeas. Constitutionibus et ordinationibus etc. nequamquam obstantibus,... dispensamus. Decernentes propterea Archidiaconatum seu Decanatum praedictum minime vacare ac irritum quoque etc. attentari. Ac volentes etiam quod Archidiaconatus seu Decanatus praedictus debitis propterea non fraudetur obsequiis, sed eius congrue supportentur onera consueta. Ac insuper tibi Congruam iam constitutam trium millium florenorum monetae conventionalis ab erario imperiali persolvendorum eorundem tenore praesentium assignamus.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno etc. Millesimo octingentesimo quinquagesimo, tertio decimo Kalendas Junii, Pontificatus Nostri Anno IV.

923.

Romae, 8 . VIII . 1851

Iterum confirmatur privilegium Ordinis Basiliiani recipiendi etiam Latinos.

SECRETARIA BREVIUM, Pius IX, an. 1851, Augusti, nr. 172, fol. 16rv. 20.

PIUS PP. IX Ad futuram rei memoriam.

Quam Ordo S. Basili Magni Congregationis Ruthenorum praeclare semper de Catholica Ecclesia sit meritis in fovenda praesertim Ruthenae Nationis coniunctione cum hac Beati Petri Cathedra, catholicae unitatis centro, et magistra veritatis, hinc factum est, ut Praedecessores nostri, Romani Pontifices, pluribus eundem Ordinem indultis ac privilegiis ditaverint, eoque praesertim ut Latinis etiam liber pateret in eandem Congregationem ingressus. Postmodum vero fel. mem. Pius VII, Decessor noster, ad servandam, augendamque tam bene meritam Congregationem, ex qua nimirum sacri praecones, praeceptores, et vere etiam Episcopi desumerentur, de consilio Cardinalium Propagandae (f. 16v) Fidei praepositorum indultum illud confirmavit, vel si opus esset, de novo concessit, expeditis ea super re in simili forma Brevis litteris die 30-a Julii anno 1822.

Iam vero cum eadem Congregatio in dies imminui deprehendatur, ne illa tandem redigatur ad solitudinem, dilectus filius Marianus Maximowicz, Provincialis Ordinis S. Basili Magni in Galicia⁷⁹, Austriacae ditionis, nobis humiliter supplicaverit, ut memoratum indultum a fel. mem. Pio VII, Praedecessore nostro, confirmatum, ut supra, seu de novo concessum, per Apostolicas nostras in forma Brevis litteras, innovemus iterum seu confirmemus.

Nos igitur praeclara dicti Ordinis Basiliiani Ruthenorum in rem catholicam merita debito praeconio prosequentes, ac maxime cupientes (f. 26), ut quam plurimi dicti Ordinis Institutum amplexentur, quo magis in dies florescat, ac vigeat, omnes et singulos, quibus hae litterae favent, peculiari beneficentia prosequi volentes et a quibusvis etc. censentes, aliorum Summorum Pontificum, Praedecessorum nostrorum, hac super re indulta renovantes, ut qui Latino utuntur Ritu Ordini S. Basili Magni Congregationis Ruthenorum nomen dare, in eoque Instituto vota Deo nuncupare etc. possint concedimus et indulgemus. Decernantes has litteras firmas etc. usque ad quos spectant etc. suffragari etc. attentari. Non obstantibus Apostolicis constitutionibus, et ordinationibus ceterisque etc. quibuscumque.

Datum Romae, apud S. Petrum, die 8 Augusti 1851, Pontificatus an. 6

⁷⁹ Marianus Maxymovyč, Provincialis Prov. SS. Salvatoris (1850-1854).

924.

Romae, 27 . V . 1856

Extenditur privilegium usus Pontificalium pro Praeposito et Decano Capituli Leopoliensis.

SECRETARIA BREVIUM, Pius IX, an. 1856, Maii, nr. 125, fol. 390, 393.

PIUS PP. IX. Ad perpetuam rei memoriam.

Supplicatum nobis est nomine Archiepiscopi Leopoliensis, ut privilegium pontificalium insignium, quod duabus tantum infra annum vicibus fel. rec. Gregorius XVI, Praedecessor noster, suis litteris Apostolicis sub annulo Piscatoris die 3 Septembris anno 1840 datis⁸⁰ utrique dignitati sui Metropolitanani Capituli, Praeposito nempe et Decano, concessit, ita de nostra indulgentia extendamus, ut ipsi iisdem pontificalibus insignibus saepius ad libitum tamen sui Antistitis uti queant, Nos porro quum id in maiorem Dei laudem et fidelium pietatis augmentum cessurum noverimus, huiusmodi supplicationibus aequo animo obsecundandum existimavimus. Quare omnes et singulos, quibus hae nostrae litterae favent (f. 393) a quibusvis etc. censentes, auctoritate nostra Apostolica tenore praesentium hoc futurisque temporibus concedimus atque indulgemus, ut Praepositus et Decanus Metropolitanani Capituli Leopoliensis, quoties Archiepiscopus id opportunum duxerit, Pontificalibus uti libere ac licite possint et valeant. Id tamen concedimus et indulgemus servatis reliquis conditionibus prius memorati Decessoris nostri concessionem adiectis, et non obstantibus in contrarium facientibus etiam speciali atque individua mentione ac derogatione dignis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 27 Maii 1856, Anno X

925.

Romae, 16 . VI . 1856

Pius PP. IX Michaellem Levyckyj, Metropolitanam, certiozem facit de eius ad dignitatem cardinalitiam promotione.

HARASIEWICZ M., *Annales...*, p. 1170-1.

Dilecto filio nostro Michaeli S.R.E. Presbytero Cardinali Lewicki nuncup. Archiepiscopo Leopoliensi Graeci Rutheni Ritus⁸¹.

PIUS PP. IX. Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

In Apostolicae Sedis fastigio Divina miserante Clementia, meritis licet imparibus constituti, deque catholicae Ecclesiae bono vehementer solliciti,

⁸⁰ Litteras has invenire non potui.

⁸¹ Michael Levyckyj, Metropolita Haliciensis (1816-1858). Creatus Cardinalis in Consistorio die 16.VI.1856. Cfr. minutiora in J. PELESZ, *op. cit.*, vol. II, p. 929-931; et M. HARASIEWICZ, *Annales*, p. 1070-1071, ubi etiam Brevia Pontificia impressa fuerunt. Cfr. « *Documenta concernentia promotionem ad dignitatem Cardinalitiam Em.mi ac R. D. M. Lewicki*, Leop. 1856.

illud curamus, ut Collegium Venerabilium fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium amplissimis refulgeat viris, prout splendidissimi huius Ordinis dignitas ac munus efflagitant. Hinc te in eundem Ordinem adscribendum censuimus, quippe egregia tua pietas, doctrina, catholicae fidei zelus, aliaeque virtutes, quibus commendaris, Nos in eam spem adducere, fore, ut ministerium tuum Ecclesiae Dei magno sit et usui et ornamento.

Ad te igitur Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalem creatum, sublimis huius dignitatis unum ex insignibus, Birretum scilicet purpureum, per dilectum filium Hieronymum Feliciangeli, Cubicularium nostrum supra numerum, mittimus, ut postquam illo reverenter fueris insignitus, huius splendidissimae purpurae nota admoneri te intelligas in Cardinalitia dignitate constitutum adversus quaeque pericula interritum, et invictum pro Ecclesia Dei stare oportere, usque ad pretiosam in conspectu Domini sanguinis effusionem.

Quem vero ad te mittimus tum ob rem ipsam, quae mittitur, tum nostra causa, ut benigne excipias, omnibusque prosequaris officiis magnopere hortamur. Volumus autem ut antequam Birretum ipsum accipias, iuramentum a dicto Hieronimo Feliciangeli tibi exhibendum omnino praestare, illudque manu tua subscriptum ad Nos sive per eundem, sive per aliam personam mittere tenearis.

Datum apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XVI Junii MDCCCLVI, Pontificatus Nostri Anno decimo.

V. Cardinalis Macchi

926.

Romae, 19 . VI . 1856

Alia littera Pii IX ad Cardinalem Levycky de eius ad cardinalitiam dignitatem promotione.

HARASIEWICZ M., *Annales...*, p. 1172.

Dilecto filio nostro Michaeli S.R.E. Presbytero Cardinali Lewicki,
Archiepiscopo Leopoliensi, Haliciensi et Camenecensi.

PIUS PP. IX. Dilecte fili noster, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dilectum filium Hieronimum Feliciangeli, intimum Cubicularium nostrum delegimus, ut ad te collatae nuper a nobis Cardinalitiae Dignitatis insigne purpureum birretum nomine Nostro deferat. In illo reddendo tibi luculenter idem declarabit singulares nostrae paternae erga te benevolentiae sensus, tibi que palam faciet, quo animi nostri gaudio te ad Cardinalitiam Dignitatem eveximus, cum illa maiore iucunditate perfruamur, quam cum beneficiis ac praemiis eos augemus, quos iisdem, ut in te ornando contigit, dignissimos iudicamus. Plane non dubitamus, quin Ablegatum hunc nostrum eum in modum sis excepturus, quem et munus ipsi a nobis demandatum, et eius generis honestas, egregiaeque dotes exigunt. Attamen eum tibi magnopere commendamus, et persuasum tibi esse volumus, Nos quaecumque illius causa feceris, nostra causa te facisse existimatos.

Tibique, dilecte fili, noster, intimo pontificii animi affectu Apostolicam benedictionem peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XIX Junii Anno MDCCCLVI, Pontificatus Nostri Anno 10.

LUCAS PACIFICI

927.

Romae, 15 . IX . 1856

Breve Pii PP. IX Michaeli Levykyj, Cardinali, datum, quo Pontifex cum novo Cardinali congratulatur.

HARASIEWICZ M., *Annales...*, p. 1178-9.

Dilecto filio nostro Michaeli S.R.E. Presbytero Cardinali Lewicki,
Archiepiscopo Leopoliensi, Haliciensi et Camenecensi.

PIUS PP. IX. Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Jucundissimum nobis fuit te in augustum S.R.E. Cardinalium Collegium cooptare, atque id libentissimo prorsus animo facimus, ut egregiis tuis virtutibus, et in Ecclesiam meritis debitum haberemus honorem, ac simul palam publiceque testificaremur singularem benevolentiam, qua catholicos Orientalis Ecclesiae Sacrorum Antistites, eorumque fideles prosequimur.

Nihil autem dubitamus, quin amplissima, ad quam te eveximus, dignitas novos tibi stimulos addat ad christianas virtutes splendidius exercendas. Dum vero a Deo Optimo Maximo humiliter exoptamus, ut in abundantia divinae suae gratiae tibi semper propitius adesse velit, teque in bona senectute tueatur, flagrantissimae nostrae in charitatis pignus Apostolicam benedictionem intimo cordis affectu tibi ipsi, dilecte fili noster, cunctisque Clericis laicisque fidelibus tuae vigilantiae commissis peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Maiorem, die 15 Septembris Anno 1856, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

928.

Romae, 8 . IV . 1857

Provisio Ecclesiae tit. Canatensis in persona Spiridionis Lytvynovyč, Praesbyteri Archieparchiae Leopoliensis.

SECRET. BREVIUM, Pius IX, Apr. 1857, pars II, nr. 173, fol. 189v-190v.

Dilecto filio Spiridioni Litwinowicz⁸², Presbytero
Leopoliens. et Parocho.

⁸² Spiridion Lytvynovyč. Natus 6.XII.1810, ordinatus 19.VII.1835; laurea in Theologia insignitus in « Augustineo », Viennae; dein ut catecheseos magister in Cernivci. Ab anno 1848 Rector ecclesiae ad S. Barbaram, Viennae, dein Canonicus Leopoliensis,

PIUS PP. IX. Dilecte etc.

Apostolatus officium etc. attentari. Postmodum vero episcopalis Ecclesia Canathen, in partibus infidelium, cui bo.me. Antonius Franei ultimus illius Antistes, dum viveret, praesidebat, per obitum ipsius Antonii, extra Romanam Curiam defuncti, solatio Pastoris destituta, Nos ad illius Ecclesiae etc. de persona tua etc. providemus teque illis in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam etc. committendo, itemque te in Auxiliarem deputamus dilecti filii nostri Michaelis S. R. E. Cardinalis Lewicki, Archiepiscopi Leopoliensis, Haliciensis et Camenecensis Rutheni Ritus, in Illo qui dat gratiam et largitur bona confisi etc. Praeterea tibi, ut ad praedictam Ecclesiam Canathen., quamdiu ab infidelibus detinebitur, etc. Reliqua ut supra (*id est in provisione Ecclesiae Marcopolitanae in partibus, in persona Gregorii Szymonowicz, Ritus Armeni, vel alias ut sub data 24.III.1865*). Non obstantibus Apostolicis etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 8 Aprilis 1857, An. XI.

Placet J. M. Pro Card. Domino Macchi

Io. B. Brancaleoni Castellani

929.

Romae, 24 . IV . 1857

Causae matrimoniales iudicantur in secunda instantia penes Archiepiscopum Leopoliensem latinum, quae in prima in Tribunali Metropolitae Leopolitani diiudicatae sunt.

SECRET. BREVIUM, Pius IX, Apr. 1857, pars II, nr. 208.

PIUS PP. IX. Ad futuram rei memoriam.

Vicario munere fungentes Illius, de quo in sacris Litteris legitur: Iustitia et iudicium correctio Sedis Eius, inter multiplices Apostolici nostri Ministerii curas illa etiam praestamus, quae expeditiorem facilioremque iustitiae et iudicii viam muniant. Id porro nunc in Ditionibus Serenissimi Austriae Imperatoris quod ad matrimoniales aliasque ecclesiasticas causas curare volentes, ita ut infra disponere et constituere censuimus. Itaque auctoritate nostra Apostolica tenore praesentium duraturam facimus Venerabili fratri Archiepiscopo Leopoliensi. Latini Ritus pro tempore existenti, cuius in ipsa, uti delegatus ad hoc ab Sancta hac Apostolica Sede in secunda provocatione, sive ut vocant instantia, cum matrimoniales tum alias ecclesiasticas causas, de quibus Venerabilis frater Archiepiscopus Leopoliensis. Haliciensis. et Camenecensis. Rutheni Ritus, sive, huiusmodi Archiepiscopatu vacante, Vicarius

et Rector Seminarii Graeco-catholici, Viennae (1852). Anno vero 1857 promotus Ep. titularis et Coadiutor Metropolitae Leopoliensis, quam post obitum Coadiuti administrabat usque ad diem 5.IX.1859. Denique an. 1863 ab Imperatore nominatus ad Sedem Metropolitanam (30.VI). Obiit an. 1869, die 4 Junii. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, vol. II, p. 939-42.

Capitularis in prima instantia iudicaverit, agnoscere, deque eisdem iudicari queat, servatis tamen quod ad causas matrimoniales Constitutione f.r. PP. Benedicti XIV, Praedecessoris nostri, cuius initium « Dei miseratione », et quod ad alias ecclesiasticas causas iis omnibus, quae iure canonico praescripta sunt.

Volumus autem atque mandamus, ut dictus Archiepiscopus Leopoliensis Latini Ritus in omnibus et singulis huiusmodi actis expressam ac specificam mentionem faciat delegationis Apostolicae, de qua supra. Haec constituimus, concedimus et mandamus, non obstantibus Constitutionibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, 24 Aprilis 1857, Pont. 11.

Pro Domino Cardinali Macchi
Jo. B. Brancaleoni Castellani

930.

In Arce Gandulphi, 11 Maii 1858

Committitur Nuntio Apostolico apud Austriae Imperatorem deputandi Episcopum Canathensem in Administratorem Archiepiscopalis Ecclesiae Leopoliensis Rutheni Ritus.

SECRET. BREVIUM, Pius IX, Maius 1858, pars II, nr. 189, 381rv.

Venerabili fratri Antonino, Archiepiscopo Tarsensi,
apud Serenissimum Austriae Imperatorem Apostolicum
Nuntio Apostolico.

PIUS PP. IX. Venerabilis frater, salutem etc.

Apostolicum officium divina providentia infirmitati nostrae impositum exigit, ut ad illas potissimum dioeceses curas concertamus, quae pastore viduatae peculiari nostra sollicitudine indigere videantur. Huius nostri officii memores ad dioecesim Leopoliitanam Rutheni Ritus mentis oculos intendimus, quae pastoris auxilio orbata existit, ob mortem Michaelis⁸³ postremi illius Ecclesiae Antistitis, et S. R. E. Cardinalis Presbyteri; quapropter eisdem Ecclesiae regimini per idoneum Administratorem providere constituimus.

Itaque hisce litteris tibi, Ven. frater, committimus, et mandamus, ut auctoritate nostra Apostolica Venerabilem fratrem Spiridionem Episcopum Canathensem in partibus Infidelium, ac defuncti Antistitis, dum ille viveret, auxiliarem, in Administratorem Ecclesiae Leopoliitanae praedictae Rutheni Ritus ad nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum eligas atque constituas, cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis. Non obstantibus Apostolicis atque in Universalibus etc. quibuscumque.

Datum ex Arce Gandulphi, die 11 Maii 1858, An. 12.

Pro Domino Card. Macchi
Jo. B. Brancaleoni Castellani

⁸³ Michaelis Levyckij, Metropolitae Haliciensis (1816-1858), qui obiit Unioviae die 15.I.1858. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, vol. II, p. 931.

931.

Romae, 21 . IV . 1859

Metropolita Mohiloviensis exprobratur, quod adistentiam religiosam sui Cleri Catholicis Ritus Orientalis in Imperio Rossiaco negavit.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. VI, 1, p. 302-3, nr. 227.

Venerabili fratri Venceslao, Archiepiscopo Mohiloviensi⁸⁴.

PIUS PP. IX. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Litteras Cardinalis a publicis nostris negotiis tibi nostro iussu ac nomine scriptas et die XIII proximi mensis Martii datas ad te pervenisse arbitramur. Ex quibus quidem literis vel facile intelligere potuisti, Ven. frater, quo acerbissimo dolore affecti fuerimus ubi primum novimus te die II Octobris superiore anno edidisse Instructionem, qua minime horruisti tuum istud consistorium serio excitare, quo tuae Archidioecesis clerus omni studio moneret, ut serio prae oculis haberet ac servaret istius Imperii leges, quae severissime prohibent, ne latinus catholicus clerus ullo quovis modo vel minimam curam suscipiat de spiritualibus illorum indigentibus, qui ad Latinum catholicae Ecclesiae Ritus minimet pertinent. Equidem nunquam fore putavissemus, Ven. frater, ut episcopalis tuae dignitatis ac muneris oblitus tam graviter errare atque a gravissimo tuo officio plane deflectere velles. Etenim haud ignoras Episcopum debere omnia pro animarum salute agere ac perpeti, eumque nunquam posse vel ipsius vitae discrimine illa exsequi Gubernii mandata, quae sanctissimis Dei eiusque Ecclesiae legibus adversantur. Ex qua tua nunquam satis deploranda et omnino improbanda Instructione evenit, ut iste ab internis negotiis minister die XII Novembris superiore anno ediderit decretum, quo sub gravissimis poenis iussit, omnes catholicos Latini Ritus presbyteros se scriptis polliceri debere, se nullam Catholicis graecis in spiritualibus eorum indigentibus opem auxiliumque esse laturos. Vides quae quantaque damna ex tua illa Instructione redundarint. Namque auctor fuisti, ut tuus clerus in miserrimam redigeretur conditionem, et tot animae pretiosissimo Christi sanguine redemptae necessariis spiritualibus privarentur subsidiis. Et sane vel ipse clerus, veluti debet, praedictis Gubernii mandatis minime obediet, et gravissimis exponetur periculis, vel iisdem obtemperabit mandatis, et in hoc luctuosissimo casu gravissimam culpam admittet, ac tot fidelium animae maximum detrimentum patientur. Insuper minime veritus enunciatum Gubernii decretum exsequi, etiamsi dilectus filius presbyter Lubinski iustissimum optimumque tibi dedisset consilium, ut contra decretum ipsum reclamares et congruo responso luculenter isti gubernio significares et ostenderes te nullo modo decretum idem exsequi nunquam posse. Cum autem idem presbyter, omni certe laude dignus ob salutare consilium tibi datum, in tuam offensionem incidere, coactus est se ad dicere a paroecia, quam istic regebat, ac Petropoli discedere et migrare in oppidum Karkow, nec existimasti tu ipse eidem mandare, ut istinc abiret.

⁸⁴ Venceslaus Zelinski (1856-1863).

Verbis exprimere haud possumus quantum animo nostro dolorem attulerit eiusmodi tua agendi ratio ab episcopali tua dignitate et gravissimis tui muneris officiis vel maxime aliena. Itaque pro Apostolici nostri ministerii debito ac paterna nostra in te caritate, hisce litteris te, Ven. frater, maiore qua possumus contentione monemus, hortamur et obsecramus, ut rem omnem serio considerans in conspectu Domini, velis statim conscientiae tuae consulere et opportuna tot malis adhibere remedia et gravissimum reparare scandalum, quod ex tua, in hac re agendi ratione in omnes bonos redundavit. Quocirca, Ven. frater, omni cunctatione abiecta ne omittas et commemoratam tuam Instructionem revocare et contra enunciatum decretum reclamare ac protestari tuumque clerum monere, ut suam operam in animarum salute procuranda impendat. Ea profecto spe sustentamur fore, Ven. frater, ut hisce paternis nostris monitis excitatus, ac meditans districtam Christo Domino rationem a te aliquando reddendam, nostris hortationibus studiosissime obsequi proponas, atque in posterum omni episcopali fortitudine, constantia, prudentia, Dei eiusque Sanctae Ecclesiae causam tueri ac defendere contendas. Nostrae autem paternae in te caritatis testem et caelestium omnium munerum auspitem Apostolicam benedictionem tibi ipsi, Ven. frater, et gregi tuae curae concredito peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXI Aprilis MDCCCLIX, Pontificatus Nostri Anno XIII.

932.

Romae, 23 . III . 1860

Provisio Ecclesiae Metropolitanae Leopoliensis in persona Gregorii Jachymovyč, per translationem ex Sede Peremysliensi.

ASV, Reg. Lat. (vol. 2284-2286).

Venerabili fratri Gregorio Jachimowicz⁶⁵, etc.

PIUS etc. Venerabilis frater etc. salutem.

Romani Pontificis, quem Pastor illae coelestis etc. (*prout sub data 27.IX.1863, mutatis mutandis quoad nomen personae*), conscientiam tuam super his onerantes.

Datum Romae etc. die 23 Martii 1860 etc.

Hoc eodem die expeditae fuerunt etiam aliae Bullae ad Imperatorem, Suffraganeos, Capitulum, Clerum et populum Eparchiae Leopoliensis, similes ac eius Successori Spiridioni Lytvynovyč (cfr. infra, sub data 27.IX.1863).

⁶⁵ Gregorius Jachymovyč, Metropolita Haliciensis (1860-1863). Obiit mense Aprili an. 1863. Cfr. plura de eius persona in nota 62.

933.

*Romae, 2 . III . 1863**De concordia servanda inter Clerum et fideles Ritus Latini et Ritus Rutheni in Galicia, Austriae subiecta.*ASV, *Ep. ad Principes.*DE MARTINIS R., *op. cit.* vol. VI, I, p. 386-7, nr. 277.

Venn. fratribus Francisco Xaverio Archiepiscopo Leopoliensi
 Latinorum, Gregorio⁸⁶ Archiepiscopo Leopoliensi, Haliciensi et
 Cameneciensi Ruthenorum, eorumque Suffraganeis.

PIUS PP. IX. Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Romani Pontifices illius vicariam in terris gerentes operam, qui non est dissensionis Deus, sed pacis, omni cura studioque Ecclesiarum concordiae semper consulerunt, neque umquam praetermiserunt paternis curis, consiliis opportunisque remediis interna amovere dissidia, quae inimicus homo solet interdum excitare, ut funestissima Ecclesiae afferat damna. Atque huiusmodi dissensiones, veluti pro vestra sapientia optime nostis, Ven. fr., perniciosiores magisque deplorandae sunt, si inter sacros ministros oriantur ac foveantur, quandoquidem et caritas graviter laeditur, et christiano populo non leve infertur scandalum, et vinea Domini eos fructus emittere haud potest, quos in ea excolenda varii cleri ordines mutua caritate, auxilio et concordissimis animis afferre omnino tenentur. Ac probe scitis quantopere ad Christi Ecclesiae eiusque fidelium prosperitatem conducat sacrorum pastorum concordia, quae etiam mirifice ostendit quomodo in legitimorum quoque Rituum varietate inter eiusdem Ecclesiae filios stabile et integrum inviolatumque servetur unitatis vinculum. Hinc, Venn. fratres, vel facile intelligere potestis quanto animi nostri dolore noverimus quaestiones inter utriusque Ritus clerum istarum vestrarum dioecesim exortas. Ac nostris in votis fuisset ut huiusmodi quaestiones et dissidia nunquam ecclesiasticae hierarchiae pacem et concordiam turbare potuissent. Ea autem spe nitebamur fore, ut eiusmodi dissensiones saltem spirentur ob curas quas, veluti cognoscitis, Congregatio a nobis pro Ecclesiarum Orientalium negotiis instituta in praesentia impendit in examinanda concordia ab utriusque Ritus Ordinariis communi consensu proposita, ut omnis scilicet quaestionis et dissidii causa ab utraque parte penitus amoveatur. Verum summo animi nostri moerore agnoscere debuimus, quaestiones ac dissidia non solum sopita, sed etiam aucta fuisse, et nonnullos e clero utriusque Ritus proprio arbitrio res egisse, quae canonicis sanctionibus et ecclesiasticae disciplinae minime sunt consentaneae. Itaque maxime optantes huic gravi sane malo promptum et efficax adhibere remedium, has vobis, Venn. fratres, scribimus litteras, quibus vos etiam atque etiam excitamus, hortamur et obtestamur, ut pro eximia vestra religione et episcopali zelo nihil interdum relinquatis, ut omnium animos ad optatam pacem tranquillitatemque reducatis. Quocirca ne desinatis clero vobis subiecto inculcare et prospicere, ut se omnino obstineat a renovandis quaestionibus quae sacram liturgiam et ecclesiasticam disciplinam respiciunt, cum huiusmodi dissensio-

⁸⁶ Gregorius Jachymovyč (1860-1863), cum suo Suffraganeo Peremysliensi, tunc temporis Thoma Polanskyj (1860-1869).

nes mutuam inter utriusque Ritus clerum concordiam omnino necessariam vehementer pertubent. Neque omittatis, Venn. fratres, in omnium memoriam revocare, omnem de hisce rebus ordinationem et innovationem ad supremam nostram et Apostolicam huius Sedis auctoritatem omnino pertinere. Atque a vobis exposcimus, ut Nos accuratissime certiores faciatis de iis omnibus, quae ad huiusmodi spectant negotium, et ea nobis praesertim exponatis, quibus opportune ac provide consulere possimus. Etenim etiamsi haec Apostolica Sedes omni cura semper advigilaverit, ut legitimi Ritus integri servarentur, tamen pari studio curavit ut omnes eliminarentur abusiones, et nunquam omisit iustas excipere postulationes debitamque earum rationem habere. Ac si opportunum esse censueritis una cum vestris responsis aliquem ecclesiasticum vestrarum dioecesium virum ad nos mittere, quo controversiae melius clariusque noscantur, pro certo habete, Nos illum omni benevolentia esse excepturos ac perlibenter audituros. Nihil vero dubitamus quin pro vestra singulari pietate atque erga Nos et hanc Petri Cathedralam fide et observantia, hisce nostris desideriis monitisque studiosissime obsequi velitis. Interim vero hanc etiam occasionem libentissimo animo complectimur, ut iterum testemur et confirmemus praecipuam, qua vos prosequimur, benevolentiam. Cuius quoque pignus Apostolicam benedictionem impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die II Martii MDCCLXIII, Pontificatus Nostri Anno XVII.

934.

Romae, 16 . III . 1863

Provisio Ecclesiae Belzensis in persona Joannis Kalinskyj, Coadiutoris cum futura successione Episcopi Chelmensis, Joannis Teraševyč.

Cfr. INFRA, sub data 27.III.1863.

PIUS etc. Dilecto filio Joanni Kalinski⁸⁷ etc. salutem etc.

Apostolatus officium etc. gubernare etc. (*ut sub data 15.VII.1841*), indulgemus.

* * *

Datum Romae etc. die etc.

Utrum Bulla provisionis expedita fuit non constat; quia nuntius advenit Romam Coadiutum vita functum fuisse. Unde Pontifex Joanni mandavit, ut administrationem et regimen Ecclesiae Chelmensis acciperet. Hic nunquam consecratus fuit Episcopus, sed Eparchiam tantummodo administrabat. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, vol. II, p. 849.

⁸⁷ Joannes Nicolaus Kalinskyj, Administrator, tantummodo Eparchiae Chelmensis (1863-1867). Natus 14.V.1799 in Radzin. Theologiae cursum Chelmae absolvit, dein vero variis in locis curae animarum incumbat. Anno 1863 in Coadiutorem Chelmensem designatus, cuius Eparchiae administrationem anno 1863 accepit, die 4 Augusti, temporibus pro Eparchia difficillimis, ob interventum Gubernii praesertim in educationem inventus. Die 3.X.1866 cum una suorum Canonicorum parte deportatus in Viatka, ubi mox obiit. De hac re Pius IX in Consistorio secreto die 29.X.1866 egit veritatemque toto orbi revelavit. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 849-853.

935.

Romae, 27 . III . 1863

*Joanni Kalinskyj datur facultas suscipiendi possessionem Ecclesiae Chel-
mensis.*

SECR. BREVIUM, Pius IX, *Diversorum* 1863, *Martii* p. II, fol. 268rv nr. 174.

Venerabili fratri Joanni Kalinski, Episcopo Blettiensi⁸⁸.

PIUS PP. IX. Venerabilis frater, salutem etc.

Quum modo acceperimus Ven. fratrem Joannem Teraszkiewicz⁸⁹, in Consistorio habito die 16 vertentis Martii in Episcopum Ecclesiae Chelmen-
s Rutheni Ritus uniti per Nos electum, e vivis excessisse, ne Ecclesia ipsa
Pastoris solatio diutius destituta maneat, te, quem in eodem Consistorio in
Episcopum Blettiensem cum futura successione memorati Chelmen-
s Antistitis auctoritate nostra Apostolica renunciavimus, dictae Chelmen-
s Ecclesiae regimen et administrationem quam primum fieri possit, suscipere volumus.
Quapropter facultatem tibi impertimur, ut in viam litterarum Apostolicarum,
quae tibi expeditae sunt, episcopalis Ecclesiae Chelmen-
s possessionem ac
regimen una cum (f. 268v) titulo suscipias. Contrariis licet expressa mentione
dignis non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, 27 Martii 1863, An. 17.

936.

Romae, 30 . III . 1863

*Sufficitur Coadiutor in locum demortui Episcopi Chelmen-
s cui plura hac occasione dantur monita ad regimen Eparchiae melius exequendum.*

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. VI, 1, p. 388-390, nr. 279.

Dilecto filio presbytero Joanni Kalinski,
electo Episcopo Chelmen-
s Rutheni Ritus.

PIUS PP. IX. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ubi primum novimus, Ven. fratrem Joannem Teraszkiewicz a nobis in
Consistorio die XVI huius mensis habito Episcopum Chelmen-
sem Rutheni

⁸⁸ Agitur de civitate Belzensi, in Ucraina Occidentali, prope Leopoli quae civitas episcopalis erat, Chelmen-
s tamen perpetuo canonicè unita. Unde Episcopi Chelmen-
s semper titulum: «Chelmen-
s et Belzensis» habebant. Hoc saeculo Coadiutoribus saepe
saepius Ecclesiarum perpetuo unitarum tituli hi concedebantur: ut Troviensis pro Coa-
diutore Pinscensi, Ostrogiensis pro Luceoriensi, Berestensis pro Volodimiriensis etc.

⁸⁹ Cfr. sub anno 1842, die 30 Augusti. Joannes Teraskevyč, Administrator et Epi-
scopus Chelmen-
s (1851-1863). Natus 5.V.1793 in Kniazopol; studia theologica Leopoli
absolvit, Lector S. Scripturae in Seminario Chelmen-
s (1819); ordinatus sacerdos an.
1825, Parochus, Canonicus Chelmen-
s (1830), Rector Seminarii (1832), et dein nomi-
natus Ep. titularis, ut videtur, Belzensis an. 1841, confirmatus die 30.VIII.1842, et die
21.V.1843 consecratus Chelmae. Usque ad mortem Feliciani Szumborskyj fungebatur mu-
nere Seminarii Rectoris. Post obitum Coadiuti, Administrator Eparchiae, et in hac admi-
nistratione usque ad mortem permansit. Praeconisatus die 16.III.1863, ingressum et Epar-
chiae possessionem non iam obtinere potuit. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 846-849.

Ritus renunciatum ex hac vita migrasse⁹⁰, diuturnae eiusdem ecclesiae viduitati prospicere summopere optantes, nulla interposita mora, Apostolicas litteras, Annulo Piscatoris obsignatas ac die XXVII vertentis mensis datas, expediri iussimus, quarum exemplar huic insertum tibi mittimus. Hisce enim litteris, uti vides, Ven. frater, quem in eodem Consistorio Episcopum Blettiensem et commemorati defuncti Antistitis Coadiutorem cum futura successione constituimus, facultatem facimus ut eiusdem episcopalis Chelmenis Ecclesiae possessionem ac regimen una cum titulo suscipias et ipsius Ecclesiae Episcopus existas. Hac autem epistula te etiam atque etiam excitamus, ut maiori qua fieri potest celeritate eiusdem Chelmenis episcopatus possessionem capias atque illi dioecesi regendae et moderandae manum admoveas. Cum vero propter memorati Antistitis obitum istic desit qui episcopalem consecrationem proprio ac legitimo Graeco Ritu unito tibi impendere queat, ac nostris in votis sit ut, si id fieri prossit, episcopalem consecrationem eodem Ritu suscipias, idcirco, Ven. frater, omnem adhibe curam ut id efficiatur. Itaque ab isto Gubernio efflagita ut in Galiciam vel in Hungariam te libere conferre possis ad episcopalem consecrationem suscipiendam, aut obtinere cura, ut ab ipso Gubernio Ven. frater Georgius Episcopus Crisiensis, Ritus Graeco-catholici uniti, vel Ven. fr. Spiridion Episcopus Canatensis, Auxiliaris Archiepiscopi Leopoliensis Ruthenorum, invitetur, quo Chelmae episcopalem consecrationem proprio Ritu accipere queas, adhibitis penes Austriacam Aulam debitis officiis. Iam vero cum probe noscamus quanta sit temporum perturbatio et iniquitas et quanta contra catholicam religionem conspiratio, animos tibi addimus, Ven. frater, ut tuam omnem spem in Deo collocans ac divino illius auxilio fretus, velis gravissimi episcopalis muneris partes diligenter ac strenue implere. Tibi summopere cordi sit animi sollicitudine, vigilantia et studio sanctissimae fidei nostrae depositum integrum inviolatumque custodire et catholicae Ecclesiae causam, iura, doctrinam libertatemque impavide tueri ac defendere. Omnem autem vigilantiam auctoritatemque adhibe, ut ecclesiastici viri suae vocationis ac dignitatis semper memores, virtutum omnium exempla christiano populo praebeant ac proprii ministerii munia naviter, scienter sancteque obeant, orationi instent et sacras praesertim disciplinas assidue excolant et in animarum salutem procurandam totis viribus incumbant. Te autem minime latet quam vehementer Ecclesiae intersit, hisce potissimum asperrimis temporibus, idoneos habere ministros, qui vitae sanctitate spectati et salutari doctrina praediti valeant praeliari praelia Domini et eos qui contradicunt devincere. Et quoniam huiusmodi ministri non nisi ex clericis optime institutis fieri possunt, idcirco, Ven. fr., omnes vigilantiae tuae nervos in id assidue intende, ut adolescentes clerici vel ab ineunte aetate per probatissimos magistros ad pietatem et ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ac litteris ac disciplinis praecipue sacris, ab omni prorsus cuiusque erroris periculo alienis, diligentissime erudiantur.

Ac pari sollicitudine advigila, ut utriusque sexus iuventus, qua Ecclesiae et civilis societatis spes tantopere continetur, ad honestatem, probitatem omnemque virtutem sedulo formetur et sanctissimis divinae nostrae religionis praeceptionibus accurate imbuatur. Nullis vero curis nullisque consi-

⁹⁰ Obiit iam die 1.III.1863. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 849.

liis parcere velis, ut fideles tibi cecrediti, magis in dies enutriti verbis fidei et per gratiarum charismata confirmati, recedant a malo et faciant bonum atque alacriori usque pede incedant per semitas Domini et crescant in scientia Dei et cognitione D. N. Iesu Christi. Optime vero noscis quibus monstruosis opinionum portentis quibusque pestiferis scriptis et pravis cuiusque generis molitionibus Dei hominumque hostes calamitosissimis hisce temporibus sanctissimam nostram religionem oppugnare omniumque animos mentesque corrumpere et a cultu catholico avellere connituntur. Quocirca, Ven. fr., ne desinas qua voce, qua salutaribus scriptis, nefarias adversariorum insidias detegere, errores refellere, impetus frangere ac tuos fideles monere et exhortari, ut in catholicae veritatis professione stabiles et immoti permanent ac nunquam se decipi et in errorem induci patiantur.

Cum autem haud ignores te pro Christo legatione fungi, qui venit in hunc mundum peccatores salvos facere, idcirco quanto consilio, labore et auctoritate eniti et efficere poteris, nihil unquam intentatum relinquant oportet, ut miseros errantes in omni patientia et doctrina ad veritatem iustitiamque reducere et Christo lucrifacere queas. Inter angustias vero et difficultates, quae hisce praesertim tristissimis temporibus ab episcopali munere abesse non possunt, ne abicias unquam animum, sed confortare in gratia D. N. Iesu Christi, memoria repetens, quod qui ad iustitiam erudiunt multos, fulgebunt quasi stellae in perpetuas aeternitates. Tibi persuade, Nos libentissime praestituros quicquid maiori tuae et Chelmenensis dioecesis utilitati conducere posse noverimus. Interim in humilitate cordis nostri divitem in misericordia Deum oramus et obsecramus, ut uberrima divinae suae gratiae dona super te propitius semper effundat. Atque horum auspiciem Apostolicam benedictionem impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXX Martii MDCCCLXIII, Pontificatus Nostri Anno decimosextimo.

937.

Romae, 7 . VII . 1863

Spiridion Lytvynovyč, Ep. tit. Canatensis nominatur Solio Pontificio Assistens.

SECRET. BREVIUM, Pius IX, Julius 1863, pars II, nr. 145, fol. 7rv.

Venerabili fratri Spiridioni Litwinowicz⁹¹,
Episcopo Canaten. in partibus infidelium.

PIUS PP. IX. Venerabilis frater, salutem etc.

Romanorum Pontificum mos atque institutum est, ut ii etc., decorenturque. Quocirca propensum illud studium, quod tu, Venerabili frater, in eadem Sedem ostendis, Nobis, qui nunc, meritis licet imparibus, Cathedram ipsam tenemus, iam exploratum perspectumque simul cum ceteris illustribus tuis eximiisque virtutibus quodammodo etc. Nos impellit, ut te perinde

⁹¹ Cfr. supra, sub data 8. IV.1857, nota 82.

aq̄ si semper in hac Alma Urbe Nostra adesses praesens non modo instar Praesules Nostros domesticos adnumeremus, sed honoribus quoque Episcoporum Pontificio Solio assistentium libenti animo afficiamus.

Ideoque etc. reliqua ut in formulario.

Datum Romae apud S. Petrum, 7 Julii 1863, An. 19.

Placet I. M.

N. Paracciani Clarelli

938.

Romae, 17 . VII . 1863

Spiridion Lytvynovyč nominatur Administrator Ecclesiae Metropolitanae Leopoliensis post obitum Gregorii Jachymovyč.

SECRET. BREVIUM, Pius IX, Julius 1863, pars. II, 149, fol. 3rv.

Venerabili fratri Spiridioni Litwinowicz, Episcopo Canathen.

PIUS PP. IX. Venerabilis frater, etc.

Pastorale munus, quod divini consilio Numinis in Ecclesia universa gerimus, Nos admonet, ut earum potissimum dioecesum curam suscipiamus, quae proprio orbatae Antistite peculiarem nostram sollicitudinem exquirunt. Iamvero quum Archiepiscopalis Ecclesia Leopolitana Graeci Ritus Rutheni ob mortem Gregorii Jachimowicz, postremi illius Antistitis suo pastore viduata existat, ne illa quidquam inde experiatur detrimenti, eiusdem regimini per idoneum Administratorem providere constituimus.

Te igitur, qui memorato defuncto Antistiti, dum ipse viveret, auxiliariam operam praestitisti, Administratorem Archiepiscopalis Ecclesiae Leopolitanae Graeci Ritus Rutheni ad Nostrum et S. Sedis beneplacitum auctoritate nostra Apostolica eligimus, constituimus, et renuntiamus cum omnibus et singulis facultatibus necessariis et opportunis.

Mandamus proinde omnibus ad quos spectat seu spectabit, ut te ad munus Administratoris Apostolici memoratae Archiep. Ecclesiae recipiant, et admittant, tibi que in omnibus quae ad huiusmodi munus pertinent faveant, pareant, ac praesto sint. Non obstantibus Apostolicis etc. in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, 17 Julii 1863, An...

939.

Romae, 27 . IX . 1863

Provisio Ecclesiae Metropolitanae Leopoliensis in persona Spiridionis Lytvynovyč, Ep. tit. Canathensis.

ASV, Reg., Lat., vol. 2297, fol. 287-288.

PIUS etc. Venerabili fratri Spiridioni Litwinowicz, Antistiti nuper Canathensi in Archiepiscopum Leopoliensem Ritus Graeco-Rutheni electo, salutem etc.

Romani Pontificis, quem Pastor ille Caelestis etc. etc. incrementis. Sane Metropolitana Ecclesia Leopoliensis Ritus Graeco-Rutheni cui titulus Archiepiscopalis Ecclesiae Haliciensis adnexus reperitur, et ad quam dum illa pro tempore vacat nominatio personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad carissimum in Christo filium nostrum Franciscum Josephum hoc nomine Primum, Austriae Imperatorem ac Bohemiae te Hungariae Regem Apostolicum ex fundatione etc. dignoscitur, cuique ho.mem. Gregorius Jachimowicz⁹², ultimus illius Archiepiscopus dum viveret etc. destituta, Nos vacatione huiusmodi etc. diligentem, demum ad te Episcopum nuper Canathensem, consideratis etc. insignivit et attendentes, quod tu, qui consecrationis munere accepto, licet ad Ecclesiam tibi concreditam utpote ab Infidelibus detentam accedere nequiveris, attamen quia praedictae Ecclesiae Metropolitanae Leopoliensis Auxiliaris vel Suffraganeus Pontificalia sollemniter celebrasti, sacras exegisti ordinationes ceteraque pastoralia munia verbo et exemplo laudabiliter obivisti, nuper vero fidem catholicam a fel. rec. Urbano Papa Octavo Orientalibus praescriptam expresse professus es, et quem praedictus Franciscus etc. nominavit, eandem Metropolitanam Ecclesiam Leopoliensem scies, voles et poteris etc. direximus oculos nostrae mentis. Intententes igitur tam eidem Ecclesiae Metropolitanae quam eius gregi Dominico salubriter providere, te a vinculo etc. absolventes, te ad praedictam Metropolitanam etc. transferimus illique in Archiepiscopum praeficimus et Pastorem, curam etc. incrementa. Quocirca Fraternitati Tuae per Apostolica scripta mandamus etc. merearis. Volumus autem quod tu antequam etc. fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum iuxta formam etc. mandamus ut ipse a te etc. recipiat.

Volumus etiam quod Archidiaconatus seu Decanatus Metropolitanae Ecclesiae Leopoliensis, quam ad praesens obtines per solas translationem et praefectionem nostras huiusmodi vacet eo ipso. Volumus etiam quod tu ipsius ecclesiae, quatenus opus sit, atque Palatii archiepiscopalis reparationibus pro viribus consuli nec non Theologalem ac Poenitentiarium Praebendas ad praescriptum Concilii Tridentini institui cures, conscientiam tuam super his onerantes.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo sexagesimo tertio, quarto Kalendas Octobris, Pontificatus Nostri Anno decimo octavo.

A. Pila - A. Brimont

⁹² Gregorius Jachymovč, obiit mense Aprili an. 1863. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 939. Cfr. de eius provisione sub anno 1841 (15.VII), 1848 (5.IX), et 1860 (23.III).

940.

Romae, 27 . IX . 1863

Francisco Josepho I, Imperatori, occasione provisionis Ecclesiae Leopoliensis dantur litterae Apostolicae commendationis.

ASV, Reg. Lat., vol. 2297, fol. 288rv.

PIUS etc. Carissimo in Christo filio nostro Francisco Josepho etc. salutem etc.

Gratiae divinae premium etc. impendatur. Hodie siquidem ven. fratrem nostrum Spiridionem Litwinowicz Antistitem etc. a vinculo etc. absolventes etc. eum ad Metropolitanam Ecclesiam Leopoliensem Ritus Graeco-Rutheni certo etc. continetur. Cum itaque tibi, carissime etc. opus Dei Ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro Regis Aeterni gloria etc. Maiestatem Tuam rogamus etc. commendatos in ampliandis et conservandis eorum iuribus, sic eos tui benigni favoris auxilio etc. actio gratiarum.

Datum ut supra.

941.

Romae, 27 . IX . 1863

Simili modo Episcopo Peremysliensi, Suffraganeo Leopoliensi.

IBIDEM

PIUS etc. Venerabili fratri nostro Episcopo Premislien. Ritus Graeco-Rutheni Metropolitanae Ecclesiae Leopoliensis. eiusdem Ritus Suffraganeo, salutem etc.

Hodie Venerabilem fratrem nostrum Spiridionem etc. continetur. Quocirca Fraternitatem Tuam monemus et hortamur attente, tibi per Apostolica scripta mandantes, quatenus eidem Spiridioni Archiepiscopo obsequens exhibeas ei obedientiam et reverentiam debitas et devotas, ita quod mutua inter te et ipsum gratia gratos sortiatur effectus, et Nos propterea te et devotionem tuam possimus in Domino non immerito commendare. Datum ut supra.

942 - 946.

Romae, 27 . IX . 1863

Similia documenta data fuerunt etiam Capitulo, Clero, populo et Vassallis Ecclesiae Metropolitanae Leopoliensis.

IBIDEM

PIUS etc. Dilectis filiis Capitulo etc. salutem. Hodie etc. continetur. Quocirca Discretionem vestrae etc. adimplere curetis, alioquin etc. observari. Datum ut supra.

PIUS etc. Dilectis filiis Clero Graeco-Rutheni Ritus civitatis et Dioecesis Leopoliens., salutem etc. Hodie etc. continetur. Quocirca Discretioni vestrae etc. curetis, alioquin etc. observari. Datum ut supra.

PIUS etc. Dilectis filiis Clero Graeco-Rutheni Ritus civitatis et dioecesis Leopoliensis, salutem etc. Hodie Venerabilem fratrem nostrum Spiridionem Litwinowicz, Antistitem nuper Canathen. in Archiepiscopum Leopoliens. Ritus Graeco-Rutheni electum a vinculo etc. continetur. Quocirca discretioni vestrae per Apostolica scripta mandamus, quatenus eundem Spiridionem Archiepiscopum tamquam (f. 289) patrem et pastorem animarum etc. curetis alioquin sententiam etc. observari. Datum ut supra.

PIUS etc. Dilectis filiis populo etc. salutem etc. Hodie etc. continetur. Quocirca etc. intendatis, ita quod idem Spiridion Archiepiscopus in vobis devotionis filios, et vos in eo per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Datum ut supra.

PIUS etc. Dilectis filiis universis Vassallis Ritus Graeco-Rutheni civitatis et dioecesis Leopoliens., salutem etc. Hodie Venerabilem fratrem etc. a vinculo etc. continetur. Quocirca universitati vestrae etc. prosequentes, ei fidelitatem solitam nec non consueta servitia et iura ipsi a vobis debita integre exhibere intendatis, alioquin sententiam etc. observari. Datum ut supra. Expediit. quinto nonas Octobris Anno decimoctavo. Cimara.

947.

Romae, 27 . IX . 1863

Dispensatio Spiridionis Lytvynovyč a censuris ad effectum translationis ad Metropoliam Leopoliensem.

ASV, Reg. Lat., vol. 2297, fol. 289v.

PIUS etc. Venerabili fratri Spiridioni Litwinowicz, Episcopo Canathien., salutem etc.

Apostolicae Sedis consueta clementia per dispensationes etc. opportuna. Cum itaque Nos hodie te a vinculo quo Ecclesiae Canathen. etc. absolventes, et ad Metropolitanam Ecclesiam Leopoliensem Ritus Graeco-Rutheni ad praesens certo modo etc. intendamus, Nos ne si forsan aliquibus sententiis etc. ligatus sis, translatio et praefectio praedictae possint propterea quomodolibet invalidae reputari, providere volentes, te a quibusvis etc. existis ad hoc dumtaxat ut translatio et praefectio huiusmodi nec non singulae litterae apostolicae desuper conficiendae suum sortiantur effectum apostolica etc. nuntiamus. Non obstantibus Constitutionibus etc. quibuscumque. Nulli ergo etc. contraire. Si quis autem etc. incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno millesimo octingentesimo tertio, quarto Kalendas Octobris, Pontificatus Nostri Anno decimoctavo.

A. Brimont
A. Pila

948.

Romae, 27 . IX . 1863

Commissio recipiendi solita iuramenta et professionem fidei a novo Metropolita Leopoliensi.

ASV, Reg. Lat., vol. 2297, fol. 289v-290.

PIUS etc. Venerabili fratri cuicumque catholico Antistiti, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habenti, salutem etc.

Cum Nos hodie Venerabilem fratrem nostrum Spiridionem Litwinowicz, Antistitem nuper Canathen. in Archiepiscopum Leopoliensem. Ritus Graeco-Rutheni electum a vinculo etc. committendo. Volentes ut antequam regimini et administrationi dictae Metropolitanæ Ecclesiae Leopoliensis in aliquo se immisceat, in manibus tui fidelitatis debitæ solitum præstet iuramentum, iuxta formam, quam (f. 290) sub Bulla nostra mittimus introclusam, ac formam iuramenti huiusmodi quod præstabit nobis de verbo etc. continetur. Fraternalitati Tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus tu ab eodem Spiridion Archiepiscopo nostro et Romanæ Ecclesiae nomine iuramentum huiusmodi iuxta dictam formam recipere auctoritate nostra cures.

Datum Romae ut supra.

A. Brimont.

A. Pila

949.

Romae, 10 . V . 1864

Martinus Barvinskyj insignitur titulo Praelati Domestici.

SECRET. BREVIUM, Pius IX, *Diversor. an.* 1864, *Maii*, pars II, p. 373rv-376, nr. 114.

Dilecto filio Martino Barwinski, Praesbitero Graeco-Rutheni Ritus,
Dioecesis Leopoliensis.

PIUS PP. IX. Dilecte fili, salutem etc.

Ecclesiasticos viros pietate, integritate, consilio, aliorumque meritorum laude præstantes pontificiæ munificentiae testimoniis libenti animo cupimus, ut iis ornati luceant melius exemplo ceterorum. Iam vero cum compertum habeamus te, dilecte fili, ex illorum numero esse, tecum ita, uti diximus, facere constituimus, Peculiari ergo te honore prosequi volentes, teque ab quibusvis etc. censentes, te hisce litteris Antistitem Urbanum, id est Praesulem Nostrum Domesticum Apostolica Nostra auctoritate elegimus, et renuntiamus. Proinde tibi concedimus ut veste ac Palliolo vulgo Mantelletta violacei coloris, ac extra Romanam Curiam etiam lineo amiculo seu Rocheto indutus incedere libere liciteque possis et valeas, utque singulis quibusque

honoribus, privilegiis, indultis utaris, fruendis, quibus alii Praesules Nostri Domestici utuntur, fruuntur, vel uti, frui possunt, poteruntve⁹³. Non obstantibus constitutionibus et sanctionibus Apostolicis etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 10 Maii 1864, An. 18.

950.

Romae, 10 . V . 1864

Aithalus Vitošynskyj, dioecesis Peremysliensis nominatur Praelatus Domesticus.

SECRET. BREV., ut supra, nr. 115.

Dilecto filio Aitholo Witoszynski, Praesbitero Graeci-Rutheni Ritus,
Premisliensis dioecesis

PIUS PP. IX. Dilecte etc.

Ecclesiasticos viros etc. (*ut supra, iisdem verbis*) quibuscumque.

Datum ut supra (*10 Maii 1864*).

951.

Romae, 12 . VII . 1864

Breve Pii PP. IX, quo Capitula Leopoliense et Peremisliense approbantur.

SECR. BREVIUM, Pius IX, *Divers.* 1864, *Julii* pars II, fol. 27-28, nr. 136.
Ruskij Sion, Leopoli V (1875), nr. 19, p. 585-587.

PIUS PP. IX. Ad perpetuam rei memoriam.

In Apostolicae Sedis fastigio, Deo sic volente, collocati, deque universi catholici gregis incolumitate solliciti, prout nostri muneris ratio postulat, libenter ea concedimus atque elargimur, quae ad bonum Ecclesiarum Orientalis Ritus, earumque cum hac Sancta Sede catholicae unitatis centro coniunctionem firmandam conducere videantur.

Iam vero superiori saeculo Rutheni Antistites et Clerus Ecclesiae Haliensis, Leopoliensis et Kameneccensis ad Metropolitanam dignitatem a fel.

⁹³ Brevia quae spectant Praelaturas domesticas secundum hanc formulam fere usque ad novissima tempora repetuntur (—1946), quod spectat partem collationalem; in una alterave sententia breviter tantummodo in ipso initio Brevis commemoratur meritum personae hac honorifica dignitate ornatae. Ab anno 1946 Brevia haec non iam in Secretaria Brevium, sed in ipsa Secretaria Status Suae Sanctitatis praeparantur, et per formulam typis impressam conceduntur, mutato nomine et dioecesi. Propterea non omnia haec Brevia hic colligere curavimus, sed unum alterumve exempli causa; aliqua ex parte difficultas in collectione horum recentiorum documentorum in causa erat. Hanc ob causam omnes distinctiones personis laicis concessas omittere debuimus, quae etiam suas habent stabiles fere formulas.

rec. Pio VII Praedecessore nostro evectae, nec non Cathedralis Premisliensis, Samboriensis et Sanociensis non semel ab Apostolica Sede flagitarunt, ut Sacerdotum Praesbyteria seu Collegia, quae in praefatis Ecclesiis sive in sacris muneribus obeundis sive in dioecesibus regendis sedulam Episcopis operam navant, quaeque a Metropolitanis instituta et erecta atque etiam capitula fuerant nuncupata, Apostolica auctoritate roborarentur, quo et maiori decore fulgerent, et magis stabilia et vero etiam in aevum duratura evaderent.

Veruntamen plurimis interiectis impedimentis voti compotes fieri nunquam potuerunt. Novissime tamen Michael Cardinalis Lewicki, Metropolita Leopoliensis, eoque defuncto praesens eiusdem Ecclesiae Archiepiscopus Litwinowicz, itemque praesens Antistes Premisliensis Thomas Polanski una cum utriusque Ecclesiae clero et dignitatibus iteratas hac super re preces exhibuerunt, datis ad Nos litteris, quibus nimirum enixe flagitabant, ut in divini nominis gloriam, Catholicae Ecclesiae exaltationem Sanctaeque Unionis amplitudinem ac firmamentum illarum Ecclesiarum Collegiis canonicam approbationem largiri dignaremur; simulque nobis exponebant, utrumque Collegium, Archiepiscopalis scilicet Ecclesiae Leopolitanae Graeco-Ruthenae titulo S. Georgii Megalo-Martyris decoratae et Cathedralis eiusdem Ritus Ecclesiae Premisliensis sub titulo Nativitatis S. Joannis Baptistae, quinque constare Praelatis seu dignitatibus, videlicet, Archipraesbytero seu Praeposito, Archidiacono seu Decano, Skenophilace seu Custode, Scholiarcha seu Scholastico, Chartophilace seu Cancellario, quibus in Ecclesia Leopolitana quinque, tres vero in Premisliensi accedunt Canonici gremiales, quorum omnium sustentationi satis provisum est. Nos igitur perpendentes Romanos Pontifices, Praedecessores nostros Orientalibus ad catholicam unitatem reversis nedum indulgisse, ut in avitis ritibus et consuetudinibus permanere posset, dummodo veritati ac doctrinae fidei catholicae minime adversarentur, et communionem cum Ecclesia Romana non excluderent, verum etiam eas honorum accessiones largiri non dubitasse, quas ipsi Orientales, praesertim qui Latinis immixti vivunt, pluries et enixe postulassent, inspectisque iuribus, ac rationum momentis, quae allata sunt, probe libratis, de consilio Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium de propaganda fide negotiis Orientalis Ritus praepositorum exhibitis eiusmodi precibus annuendum existimavimus. Itaque per has litteras eadem Praesbyteria seu Capitula Cleri saecularis Graeco-Rutheni, Metropolitanum scilicet Leopoliense, et Cathedrale Praemisliense auctoritate nostra Apostolica approbamus seu erigimus, hac tamen lege, ut nonnisi Praesbyteri saeculares coelibes aut viduati in eadem cooptentur.

Volumus autem et mandamus, ut Venerabiles fratres Archiepiscopus Leopoliensis et Episcopus Premisliensis collatis cum suo quisque Capitulo, ut supra approbato seu erecto, consiliis, constitutiones conficiant, quibus definiatur, quidquid ad persolvendum divinum officium, ad chori disciplinam, ad ecclesiasticas functiones et singulorum officia, quidquid denique ad rectam pertinent rerum omnium sive in spiritualibus sive in temporalibus ordinationem, ut omnia tum dictarum Ecclesiarum tum utriusque Praesbyterii seu Capituli negotia apte ac rite gerantur. Item iubemus, ut praedicti Venera-

biles fratres, Archiepiscopus Leopoliensis et Episcopus Premisliensis, Constitutiones communi consilio, ut supra mandatum est, confectas intra sex mensem transmittant ad Congregationem de Propaganda Fide, ut examini subiciantur, et, si opus sit, corrigantur ac rite probentur.

Praesentibus autem litteris nostris nihil innovare intendimus de iis, quae a Praedecessoribus nostris optime statuta fuerunt circa Graecos, qui Latinis immixti vivunt, et praecipue decreta ab enuntiata Congregatione Venerabilium fratrum nostrorum eiusdem S. R. Ecclesiae Cardinalium negotiis Propagandae Fidei praepositorum pluries super iisdem emanata, firma, valida ac in eorum plenissimo effectu remanere volumus atque mandamus.

Decernentes hac nostras litteras firmas, validas et efficaces existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, ac illis ad quos spectat et pro tempore quaecumque spectabit, plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari et definiri debere irritumque et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinatio-nibus Apostolicis ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die XII Julii MDCCCLXIV, Pontificatus Nostri Anno XIX.

N. Card. Paracciani Clarelli (*m.p.*)

952.

Romae, 26 . XII . 1864

Condolet cum novo Episcopo Chelmensi de impedimentis ex parte Gubernii Rossiaci in libera provisione Seminarii Chelmensis obiectis nec non in mittendis Alumnis ad Universitatem catholicam Varsaviensem.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. VI, 1, p. 425-6, nr. 293.

Dilecto filio Presbytero Ioanni Kalinski, electo Ep. Chelmensi
Ritus Rutheni Uniti. Chelmam in Polonia.

PIUS PP. IX. Dilecte frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Dolenter novimus quomodo Russicum Gubernium tuam impediatur operam in eligendis vel amovendis istius tui Chelmensis Seminarii praeceptoribus et praepositis, quin hoc in negotio appellare et provocare possis ad conventionem cum hac Apostolica Sede initam, quandoquidem Gubernium idem huiusmodi provocationem veluti crimen reputat tibi poenas minitatur. Atque etiam non sine gravi animi nostri molestia agnovimus te, d.f., ab eodem gubernio prohibitum fuisse mittere, tuis etiam sumptibus, ad catholicam Varsaviensem universitatem tui Seminarii alumnos, ac per legem, die XXVI mensis Julii hoc anno latam, patronos spoliatos fuisse iure designandi ad caetera beneficia et eiusmodi ius attributum fuisse Directori negotiorum graeco-unitorum penes Commissionem causarum internarum. Per te

ipsum, d.f., vel facile intelligere potes quomodo auctus fuerit animi nostri moeror quo iamdiu, ob tristissimam catholicae Ecclesiae, in Poloniae praesertim Regno, conditionem, conficimur, ubi haec et alia contra ipsam Ecclesiam a Russico Gubernio in dies patrari accepimus. Itaque haud possumus quin tibi inter maximas difficultates constituto addamus animos, ut confortatus in Domino et in potentia virtutis eius tuam omnem spem et fiduciam in Deo collocans, qui est adiutor et protector ac salus nostra in tempore tribulationis, ministerium tuum explere studeas; et, quantum in te est, omnes episcopalis muneris et potestatis praerogativas ac iura totis viribus integra et inviolata, ad memoratae conventionis normam, servare, tueri ac defendere contende, ac nullis curis consiliisque unquam parce, ut in tuum Seminarium ii tantum admittantur, qui veris catholicis sensibus sint animati, quique ad sanam planeque catholicam clericorum institutionem educationemque curandam, eorumque ecclesiasticum spiritum firmandum omnino idonei sunt. Ne cesses penes Russicum Gubernium omni studio instare et urgere ut tibi liceat Seminarii tui alumnos ad commemoratam catholicam Varsaviensem universitatem mittere. Si vero id obtinere minime potueris, tuam omnem operam, industriam indesinenter impende, ut iidem tui Seminarii alumni meliori, quo fieri potest, modo perfectam solidamque sacrarum praesertim disciplinarum scientiam, ab omni prorsus cuiusque erroris periculo immunem, in ipso Seminario sedulo addiscant. Iam vero quod attinet ad ecclesiastica beneficia animarum curae obnoxia, tibi benigne hisce litteris concedimus, ut, quoties ecclesiastici viri, doctrinae facto periculo, idonei reperti fuerint ac catholicae fidei doctrinaeque integritate et laude probati, possis eisdem beneficii animarum curae obnoxii possessionem et canonicam institutionem libere ac licite impertire, ea tamen conditione, ut nunquam fiat mentio de gubernii praesentatione. Et quoniam iam eveniet, ut unus idemque ecclesiasticus vir duo habuerit beneficia cum animarum cura, ne omittas, d.f., isti Gubernio exponere, duo beneficia cum animarum cura non posse in una eademque persona consistere seu *incompatibilia* omnino esse, ac te nullam habere auctoritatem dispensandi super hac generali Ecclesiae lege. Scias autem velimus nostro iussu Cardinalem a publicis nostris negotiis scripsisse hac super re ad Russicam Legationem epistolam, qua gravissimae etiam expostulationes factae sunt, ut omni amoto impedimento episcopalem consecrationem rite accipere queas. Denique tibi persuade praecipuam esse, qua te in Domino prosequimur, caritatem, cuius quoque pignus Apos. bened. peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XXVI Decembris MDCCCLXIV, Pontificatus Nostri Anno decimonono.

953.

Romae, 24 . III . 1865

Provisio Ecclesiae titularis Nazianzenae in persona Josephi Sembratovyč.

SECRET. BREVIUM, Pius IX, Martius, pars II, nr. 160-161, fol. 3-5, 15-16.

Dilecto filio Josepho Sembratowicz, Praesbitero Rutheno⁹⁴.

PIUS PP. IX. Dilecte, etc.

Divini Apostolatus officium etc. attentri Postmodum vero Archiepiscopalis Ecclesia Nazianzena in patibus infidelium, cui Venerabilis frater Joannes Baptista de Albertis, ultimus illius Antistes, dum viveret praesidebat, per eiusdem Ven. fratris obitum Pastoris etc. intendentes, post deliberationem etc. diligentem, demum ad te, qui ex legitimo es matrimonio procreatus, et in aetate etiam legitima es constitutus, et cuius de probitate etc. et singulari erga Apostolicam Sedem observantia magna apud Nos extant documenta, oculos mentis Nostrae direximus. Quibus omnibus mature perpensis etc. teque illi in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam etc. incrementa. Iugum igitur Domini, tuis impositum humeris etc. merearis benedictionem et gratiam. Praeterea tibi concedimus, ut quamdiu dicta Ecclesia ab infidelibus detineatur, ad illam accedere, et apud illam personaliter residere minime tenearis. Ceterum ad ea, quae in tuae commoditatis etc. atque eidem Antistiti ut receptis a te prius etc. professione metc. fidelitatis debitae solito iuramento, praedictum munus tibi etc. facultatem. Volumus autem atque decernimus, ut nisi receptis etc. suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum. 24 Martii 1865, Pont. 19.

954.

Romae, 27 . III . 1865

Josephus Sembratovyč deputatur Episcopus Ordinans pro Ritu Graeco in Urbe.

SECR. BREVIUM, Pius IX, Diver. an. 1865, Martii pars II, fol. 72-76, nr. 156.

Dilecto filio Josepho Sembratowicz, Praesbitero Rutheno.

⁹⁴ Josephus Sembratovyč, notus ut Metropolita Leopoliensis (1870-1882). Natus 8. XI.1821, dioecesis Peremyliensis. Ab anno 1841 Alumnus Imperialis Collegii Viennensis, ordinatus vero 7.X.1845. Dein officio Praefecti in Seminario Leopolitano fungebatur; anno vero 1852 nominatus Praefectus studiorum Seminarii Viennensis, et Vice Rector Seminarii. Anno 1858 designatus Professor S. Scripturae Novi Testamenti in Universitate Leopoliensi. Et dein anno 1865 Ep. tit. Nazianzenus et Ordinans Ritus Orientalis Romae. Consecratus die 11.VI.1865 Leopoli. Anno 1867 nominatus Administrator Apostolicus Eparchie Peremyliensis, ad latus Episcopi Thomae Polanskyj, senio confecti. Tandem anno 1870 (18.V) nominatus ab Imperatore Austriae Metropolita Leopoliensis, cui dignitati anno 1882 renuntiavit, obtento tit. Ep. Theodosiopolitani. Commorabatur Romae praetiosasque consilia S. C. de Prop. Fide suppeditabat. Obiit anno 1900.

PIUS PP. IX. Dilecte fili, salutem etc.

Qui pietate, integritate, consilio, doctrina et catholici nominis studio egregio praeter ceteros probati Nobis fuerint Ecclesiastici viri, iis graviora Ecclesiae munera demandare solemus, pro certo habentes eos prae quaesita sibi huiusmodi meritis laude expectationi de se Nostrae cumulate responsuros. Cum itaque per obitum Venerabilis fratris Stephani Alisir Archiepiscopi Irenopolitani in hac Alma Urbe deest Episcopus graecus, qui Pontificalia et sacras Graecorum ordinationes, iuxta illius Ecclesiae Ritus peraget, atque ea quae ceremonias et ritus Orientalis Ecclesiae faciunt, Alumnos Collegii Graeci ad S. Athanasii de Urbe doceat, post deliberationem, quam de deputando ad istud officii persona utili atque fructuosa, cum Ven. fratribus N.S.R.E. Cardinalibus negotiis Fidei Propagandae pro negotiis Ritus Orientalis praepositis habuimus diligenter, demum ad te oculos mentis Nostrae convertimus, qui Sacrae Scripturae in Lyceo Magno Leopolitano doctor, morum puritate, ecclesiastica scientia, et singulari erga Apostolicam Sedem observantia plurimum commendaris. Quae cum ita sint, tibi, dilecte fili, quem per similes Nostras litteras, hoc ipso die datas, Archiepiscopum Nazianzenum in partibus infidelium renunciavimus, de eorundem VV.FF.NN. consilio, hisce litteris auctoritate Nostra Apostolica memoratum munus committimus, adeo ut hac Alma in Urbe Nostra Pontificalia, sacrasque Graecorum ordinationes iuxta illius Ecclesiae ritus peragere, eaque quae ad ceremonias et Ritus Orientalis Ecclesiae pertinent Alumnos suprascripti Collegii ad S. Athanasii docere libere et licite possis et valeas; ea tantum lege ut Sacram Liturgiam et ecclesiasticas omnes ceremonias Graeco Ritu atque idiomate peragere tenearis. Omnes itaque ad quos spectat, seu spectare poterit iubemus, ut te ad istiusmodi officium excipiant, admittent, tibi que in omnibus iuxta praesentem tenorem pareant, faveant, praesto sint. Non obstantibus Apostolicis etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 27 Martii 1865, An. 19.

955.

Romae, 18 . XII . 1866

Designatur secunda instantia ad iudicandas causas ecclesiasticas Metropoliae Leopoliensis et Haliciensis.

SECRET. BREVIUM, Pius XI, Decembr. pars II, nr. 126-127, p. 477-485.

Venerabili fratri Archiepiscopo Leopoliensi Ruthenorum

PIUS PP. IX. Ad futuram rei memoriam.

Inter graves multiplicesque, quibus distinemur, Apostolici ministerii curas, ad ea etiam animum intendimus, quae ad expediendum ecclesiasticorum iudiciorum cursum maximi facere intelligimus. Cum itaque facultas iudicandi huius Sanctae Sedis nomine in secunda provocatione matrimoniales aliasque ecclesiasticas causas, quas nonnullis Imperii Austriaci Antistitibus alias ad decennium largiti fuimus, elapso iam tempore, ad quod eas concesseramus in ea sunt ut vi sua destituantur. Nos ne exinde iudicandarum causarum

actio retardetur, huic difficultati mature occurrere, atque, ut infra scriptum est, decernere constituimus.

Itaque auctoritate nostra Apostolica tenore praesentium proximum decennium tantum duraturam facimus Venerabili fratri Archiepiscopo Leopoliensi Latinorum pro tempore existenti, cuius vi ipso uti Delegatus ad hoc ab hac Sancta Sede Apostolica in secunda provocationis, seu uti vocant instantia, cum matrimoniales tum alias ecclesiasticas causas, de quibus Archiepiscopus Leopoliensis, Haliciensis et Camenecensis Ruthenorum, sive, Sede illa vacante, Vivarius eiusdem Capitularis in prima instantia iudicaverit, cognoscere deque iis iudicare queat, servatis tamen quod ad matrimoniales causas constitutione fel. rec. Benedicti PP. XIV, Praedecessoris Nostri, cuius initium *Dei miseratione*, et quod ad alias ecclesiasticas causas iis omnibus, quae ex Iure Canonico praescripta sunt. Volumus autem atque mandamus, ut dictus Archiepiscopus Leopoliensis Latinorum in omnibus et singulis istorum iudiciorum actis expressam atque specificam mentionem faciat delegationis Apostolicae, de qua supra. Haec constituimus, concedimus, mandamus non obstantibus constitutionibus etc. dignis, contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, 18 Decembris 1866, Anno 21.

956.

Romae, 22 . II . 1867

Provisio Ecclesiae Munkacsiensis in persona sacerdotis Stephani Pankovyč, cum solitis documentis Imperatori, Archiepiscopo Strigoniensi, Capitulo, Clero et populo Dioecesis Munkacsiensis.

ASV, Reg. Lat. (vol. an. 1867).

Dilecto filio Stephano Pankovics⁹⁵, Praesbitero etc.

PIUS etc. Dilecto filio, etc. salutem etc.

Apostolatus officium etc. gubernare. Sane Ecclesia Munkacsiensis Ritus Graeci Sanctae Romanae Ecclesiae uniti ad quam etc. (*prout sub data 2.X.1837, in provisione eius Praedecessoris, vel sub data 15.III.1875, in provisione eius Successoris; mutatis mutandis quoad qualitates personae*), conscientiam tuam super hoc onerantes.

Datum Romae etc., die 22 Februarii 1867 etc.

Alia documenta Pontificia hac occasione expedita, mutatis mutandis, similia illis, quae sub data 2.X.1837, vel sub data 15.III.1875 data fuerunt.

⁹⁵ Stephanus Pankovyč, Episcopus Munkacsiensis (1867-1874). Natus 29.X.1820 in Velejte. Post ordinationem sacerdotalem longum per tempus fungebatur ut magister penes nobiles familias. Anno 1865 nominatus Consiliarius Scholarum, et Abbas titularis. Die 14.IX.1866 nominatus Episcopus Munkacsiensis, confirmatus vero die 22.II.1867, et dein consecratus die 5.III.1867. Obiit die 29.VIII.1874. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, vol. II, p. 1045-1048.

957.

Romae, 15 . III . 1867

Facultas Episcopo Munkacsiensi conceditur utendi pileolo in Sacris peragendis.

SECRETARIA BREVIUM, Pius IX, an. 1867, Martii, p. I, nr. fol. 347rv, 358rv.

Venerabili fratri Stephano Pankovics,
Episcopo Munkacsiensi Ruthenorum.

PIUS PP. IX. Venerabilis frater, salutem etc.

Exponendum nobis etc. (*ut infra sub data 3 . VII . 1868*)... quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum die 15 Martii 1867, Pontificatus an. 23.

958.

Romae, 6 . VII . 1867

Bulla Canonizationis Beati Josaphat, Archiepiscopi olim Polocensis.

SECRET. BREVIUM, Pius IX, Bullae, vol. an. 1867 fol. n.n., et separatim.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

§. 1. Splendidissimum Orientalis Ecclesiae lumen Basilius Caesariensis antistes, non modo virtute et litteris Magni nomen accepit, perpetuique haereticorum mallei, sed coenobitarum, quibus tradidit sanctissimas vivendi regulas, parens appellatus est « ita ut quemadmodum aiebat praedecessor noster Gregorius XIII in litteris Apostolicis *Benedictus Dominus* (MDLXXIX) perpetua futurorum temporum successione monachi, verbo et opere a se instructi, Deum confiterentur, catholicaeque Ecclesiae ornamento essent atque in dubiis rebus adiumento, qui vitae sanctitate et doctrina, toto terrarum orbe insignes..... floruerunt ». Nec in Oriente solum, sed in Occidente quoque atque in ipsa Italia basiliana proles vel ab ipso exordio enituit, pluraque volventibus annis utriusque sexus constituens domicilia sedulam dedit operam, ut integra atque intacta catholica fides servaretur. Qui vero post Phoxianum schisma ruthenum ritum sequebantur, exilia potius, vincula, verbera, mortemque ipsam perferre passi sunt, quam schismatico graeco Patriarchae parere. Quod praecipue visum fuit sub Eugenio IV cum in Concilio Florentino de unione utriusque Ecclesiae Graecae nempe ac Latinae, quam Bessarion Archiepiscopus Nicaenus, ejusdem Ordinis alumnus, habendam curavit. Neque minus in hac re sanctissimi alii Episcopi omni aevo adlaborarunt, inter quos apud Ruthenos saeculo XVI maxime claruit et luculentissimum constantis animi praebuit exemplum Josaphat Kuncevicus Archiepiscopus Polocensis rutheni ritus. ejusdem S. Basilii monachus, qui mori potius maluit, quam seipsum prodere, ovesque sibi creditas ad mala pascua ducere;

vir sane tot virtutibus silentio magis quam verbis commendandus, quem Nos ad maximos superum honores, uti Urbanus VIII, Antecessor Noster, habuerat in votis, Deo favente, eveximus⁹⁶.

§. 2. Anno a partu Virginis circiter MDLXXX, Vladimiriæ illustri Poloniæ civitate, Gabriele Kuncevicio et Marina conjugibus nobili et consulari ex utroque genere vitæ usuram accepit Joannes inde Josaphat appellatus, nec mora in ecclesia ruthena sanctæ martyris Parasceves salutari baptismatis lavacro renatus est. Quamvis in ea regione graecum schisma grassaretur, omnem tamen parentes adhibuerunt curam, ut puer diligentissime in pietate institueretur, atque inde a prima aetate timorem Domini edoceret. Quod bene evenit; puer enim saepe a suis conquisitus vel in eodem S. Parasceves templo orans, vel domi abditus Sanctorum pingens imagines inveniebatur, quod ab omnibus futuræ sanctimoniae argumentum habitum est. Nil in eo puerile, suisque coequalibus tamquam pietatis exemplar proponebatur. Patres Societatis Jesu, quibus etiam conscientiae moderatoribus utebatur, toti erant, ut eum ad coelestia vocatum a mundi oblectamentis atque a Schismaticorum seductionibus averterent. Itaque ut vigesimum attigit annum, quo facilius divinae gratiae responderet, an. MDCIV in monasterio Vileni S. Basilii Magni Ordini se adscripsit, assumptoque Josaphat nomine insequenti anno vota solemniter nuncupavit.

§. 3. In tam splendida religiosae vitæ palestra, charitate, modestia, temperantia, divinorum officiorum assiduitate, corporis afflictatione, sacrorum librorum lectione, animarumque zelo ita claruit, ut vix diaconus non solum a contubernalibus tamquam monasticae vitæ speculum et exemplar, sed etiam a civibus tamquam validissimum adversus schisma columen haberetur. Ex quo factum est, ut non modo complures cives ad eum audiendum alacriter convenirent, ipsumque sibi conscientiae moderatorem seligerent, sed et ipsi heterodoxi magna in aestimatione illum haberent, sibi que conjunctissimum reddere exoptarent. Tot virtutibus tantaque omnium benevolentia commendatus, Josepho Rutscio, Monasterii Archimandritæ, ad metropolitanam totius Russiæ sedem evecto, Josaphat basilianæ Vileni familiae regendæ suffectus est. Singulari vigilantiae ac prudentiæ laude in hoc munere obeundo refulsit. Quo alios in officio contineret, in monasticae vitæ regulis vel levissimis exercendis princeps erat. Ob magnam orthodoxorum sacerdotum penuriam, sedulo ipse versabatur vel in confessionibus excipiendis, vel in concionibus habendis, vel in aegrotis supremo agone juvandis; ita ut omnia civitatis suae ecclesiastica munera prope suscipisse videretur.

§. 4. At Deus, qui Josaphat elegerat, ut tamquam lucerna super montem posita in domo Domini luceret, ampliorem vineam colendam ei comparavit. Tredecim vix elapsis annis, magno suorum desiderio, monasterium, in quo perpetuo abjectus esse cupiebat relinquere coactus est, et Gedeoni Brolnickio, Archiepiscopo Polocensi, senio confecto, Jdibus Novembris MDCXVII adjutor datus est, in cujus locum quadriennio post successit. Tan-

⁹⁶ Urbanus PP. VIII in Brevi «*In Sede principis Apostolorum*» de data 16.V.1643, scribebat: «*posse dictum Servum Dei Josaphatum Beatorum martyrum cathalogo adscribi, et ad solemnem ipsius canonizationem quandocunque deveniri*». Cfr. vol. I, p. 522, nr. 459.

tam dignitatem humilis Dei servus abhorrens, muneri se imparem ac indignum putans, fugam capessere meditabatur, seque uti Magnus Basilius in deserto abdere; jamque illi omnia prospere eveniebant, cum ei allatus est nuntius, Poloncenses omnes magno gaudio gestiisse, illumque habere ceu pastorem ab ipso Dei missum, utpote magnae utilitatis futurum ad exoptatam Ruthenae cum Romana Ecclesia unionem. Itaque obedientia coactus tanto muneri, monachis omnibus lugentibus, cessit, seque ad vastissimam illam archidioecesim tribus palatinatibus, seu provinciis constantem, nempe Polocensi, Vitebskensi et Mstislaviensi se contulit Pridie Idus Novembris ejusdem anni solemnem manuum impositionem accepit, atque adveniente Januario solemniter Polocensem ecclesiam ingenti civium omnium ordinum frequentia, tantoque gaudio et pompa ingressus est, ut par neque in ipso regum vel principum ingressu umquam visa fuerit⁹⁷.

§. 5. Ad tantam dignitatem evectus, externum dumtaxat habitum, non autem severam vivendi rationem immutavit. Coenobii sui regulas vel levissimas, ut licuit perpetuo servavit; quod maxime admirandum non in senes sed in juvene viridioris aetatis. Ex quo factum est, ut plurimi in illo non illustrem Archiepiscopum sed humilem Vilnae monachum adhuc suspicerent et appellerent. Uti in caenobio, ceteros semper in matutinis horis et quotidianis functionibus persolvendis antecedeat. Ea erat animi demissione ut ne a lampadibus refovendis vel ipsis tintinnabulis pulsandis abhorreret, quo omnes tempestive possent ad ecclesiam convenire. Plerumque super nudos asseres cubabat; noctu etiam summo hieme viis persaepe durissima glacie refertis ad divinam eucharistiam in cathedrali adorandam nudis pedibus se conferebat. Extremis viginti vitae suae annis, idest ab ipso monastico tyrocinio ad mortem usque pro indusio asperrimo cilicio usus est. Cum vel ad Sacramenta administranda vel ad Sacrum faciendum accederet, pungentes quoque catenulas adhibebat, idque tam diu, ut olim dum Sacrum solemniter faceret, prae doloris acerbitate sensibus defecerit, coactusque archidiaconus fuerit illum ferrea zona exuere. Flagellis quoque durissime se caedebat sive ad incruentam hostiam offerendam se compararet, sive sacram exomologesim exciperet. Numquam carnis, raro piscibus usus est; herbis et leguminibus plerumque vescebatur. Quinquennio sitim tantummodo frigida levavit, cui nonnisi medicorum consilio vini pusillum postea addidit.

§. 6. Factus forma gregis ex animo, pravos mores verbo et exemplo emendans, errantes ad bonam frugem reduxit, plures, qui in dioecesi irreperant, amovit abusus, illos praesertim qui schisma redolerent. Incredibile dictu est, quantum in pastoralibus muneribus obeundis studium impenderit. Cum eloquenter concionaretur, totus erat in catholicae religionis documentis tradendis, in haereticis profligandis, schismaticis convellendis; omnibusque eam vitae rationem suadebat, quae christianum virum maxime decet. Liberalis in pauperes, omnes Ecclesiae proventus iisdem distribuebat, nihil fere nec ad sui alimoniam reservans; quod praesertim accidit, cum extremae cujusdam viduae necessitati occurrere satagens, suo ab eleemosynis praefecto pretiosum pontificale *homophorium* oppignorare jusserit. Quoties vero

⁹⁷ Cfr. A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat - Hieromartyr*, Romae 1952, p. 115-118, ubi datur authentica huius ingressus descriptio.

de Dei honore vel de religionis cultu ageretur, pecuniae non parcebat, uti visum est in nova cathedrali ecclesia Polocensi excitanda, cui multa aureorum millia aere proprio suppeditavit. Cumque hac de re ejus propinqui cum eo conquererentur, suaviter respondebat, ecclesiae opes non ad ipsum pertinere, sed nonnisi ecclesiae ipsi ac pauperis erogandas. Gedeoni Brolnikio, Antecessori suo, non modo peramanter adfuit sed in vitae extremis curavit, ut publica edita fidei professione se in catholica religione mori omnibus palam faceret. Paroeciis nonnisi viros recte de catholica fide sentientes praefecit. Ecclesiae jura ac bona fortiter asseruit, eaque ab laicis usurpata vindicavit. Romani Pontificis primatus propugnator acerrimus, sive concionibus, sive scriptis, sive disceptationibus acriter factus est. Cum vero Schismaticos alloqueretur, Christi mansuetudinem praeseferens, tanta erat oris suavitate, tanta in argumentis subtilitate tantaque in suadendo felicitate, ut slavice *duszochvat*, animarum raptor, appellaretur. Saepe ex ipsis vetustis slavonicis codicibus annalibusque ruthenis demonstrabat, Ruthenos Romani Pontificis obedientiae semper fuisse subjectos. Quadam vero die cum Schismaticis disputans, ab illis provocatus, ut Patriarchae Constantinopolitano, utpote sibi superiori, obedientiam praestaret; reddito enim illo sibi amico, facilius Ruthena ad unionem cum Romana Ecclesia adduci poterat; acriter respondit, *recognoscat Patriarcha Papam, et ego illico Patriarcham recognoscam*, cumque hoc responso permulti mortem ei minitati fuissent, *libenter* addidit, *mundo pro Christo moriar*.

§. 7. At vir Dei tot christianis virtutibus ornatus, quae solae sufficerent ad ejus perfectionem ostendendam, quaeque coelestibus honoribus plene dignum efficerent, haud dubitavit cum Schismaticis fortiter praeliare; bellum enim ipsis a primo sui sacerdotii anno indixerat. Qui cum ejus robur infirmare nullatenus possent, impie eum vexare numquam destiterunt. Primum, irrisionibus ejus constantiam tentare coeperunt. Itaque eum in tabulis diabolico habitu indutum et uncis animas ad se trahentem deformiter pinxerunt. Cum per vias incederet, En, clamabant, en praesulem latinum, en papistam; tollamus eum de medio nostrum. Quae omnia heterodoxi cum nossent frustra adhiberi, hostes palam facti, eum e vivis eripere cogitarunt totque artibus sunt usi, donec assequuti sunt. Ter nefario conatu in famulum Dei conspirarunt. Primum VIII Idus Augusti MDCXXI festo transfigurationis Domini Nostri Jesu Christi, dum Sacrum solemne in collegiali ecclesia Witebskensi perageret, eo furore ictibus illim una cum suis adorti sunt, ut hi prodigio fugientes incolumitatem sibi pepererint. Anno vero insequenti MDCXXII, mense Aprili, cum publice in praetorio litterae a Poloniae Rege ad Archiepiscopum missae legerentur, quibus mandabatur, ne Meletio Smotricio Pseudo-Archiepiscopo, sed Josaphat Sanctae Romanae Ecclesiae obedienti illique unito, omnes Polocenses Rutheni obsequerentur, eandemque cum Romana Ecclesia profiterentur unionem, maxima a Schismaticis facta est seditio. Tertio tandem, cum eadem in civitate sacro Pentecostes die cuidam publicae supplicationi interesset, illico haereticorum copia circumdatus tot contumeliis et clamoribus fuit appetitus, ut fideles vix pastorem ab illis eripere potuerint, coactique fuerint inordinate velociterque ad templum redire.

§. 8. Quamvis autem ab ecclesiasticis viris et ab amicis cohortaretur, ut

sibi consuleret, nec adeo animae suae pro grege sibi concredito prodigus esset, nihilominus exeunte Octobri MDCXXXIII, Vitebskum petiit, cujus plebrique cives Schismaticis adhaerebant, se ad martyrium paratum habere animum asserens, solummodo cupere boni pastoris officium adimplere, laetissimum sibi diem futurum, quo pro ovibus suis animam poneret. Paucis ante necem diebus, cum dies festus ageretur S. Demetrii Martyris, conscendit cathedram et sermonem ad populum habuit, in quo illa evangelica verba, quae lecta fuerant, usurpans: *Venit hora ut omnis qui interimat vos arbitretur se obsequium praestare Deo*, totus in Sancti Martyris laudibus fuit. Conversus deinde ad populum « Vos, inquit, Vitebscenses me ad mortem quae-
« ritis, in fluminibus, in pontibus in viis, in civitatibus insidias mihi struitis; « ecce me sponte ad vos venisse videtis, ut sciatis me esse pastorem vestrum; « atque utinam pro vobis, pro unione sancta, pro sede Petri ejusque succes-
« sorum Romanorum Pontificum animam meam effundam ». Quae concio haereticorum animos magis accendit, qui eas meditati sunt insidias, quas Dei servus evadere omnino nequiret. Pridie Idus Novembris ejusdem anni, fovente Pseudo Archiepiscopo Smotricio, tumultus ex industria excitatus est. De hac re tempestive Archiepiscopus ab amicis monitus noluit sibi consulere. In somnis noctem in lacymis, precibus ac flagellis jugiter produxit. Summo mane collegialem ecclesiam petiit, ut assuetas horas canonicas persolveret; et quod mirum, inter cives jam concitados minime observatus incolumis pertransiit. In domesticum oratorium se recipiens, in oratione perseverabat, cum hostes confractis foribus pontificalem domum facto impetu invadunt. Dorotheum ejus archidiaconum famulosque acerbissime caedunt sauciantque, omnem suppellectilem diripiunt. Antistes clamoribus excitatus, fervidas quas Deo fundebat preces reliquit, e cubiculo exiit, in atrio constitit, impertitoque sicariis crucis signo, blandis verbis: *filioli*, inquit, *quid meos famulos insontes caeditis? siquid contra me habetis, ecce adsum*. Impii homines hac voce veluti fulgure percussi immobiles steterunt; at duo, qui ejus verba minime audierant ex adverso cubiculo erumpentes, illico Archiepiscopum manibus ad crucis instar ante pectus positus, alter fuste caput, alter bipenni percussit. Tum gloriosum martyrem humi prostratum, quotquot in atrio aderant, gladiis confodiunt, qui inter vulnera elevatis ad coelum manibus, exclamat: *Oh! Deus meus!* Sicarii quum minime mortuum adhuc eum viderent, globulo igneae balistae caput ejus effodiunt. Nec satis efferati in praesulis cadaver insaeviunt, vestes detrahunt, illumque cilicio indutum, et zona ferrea acutis cuspidibus intertexta praecinctum inveniunt. Obstupentes, haerent an pontificem vel simplicem monachum interemerint, dictitantes Josaphat molles vestes, non ejusmodi asperitates adhibuisse. Duos deinde famulos jam vulneribus affectos e latibulis protrahunt, atque verberibus adigunt, ut interemptum palam faciant. Certiores facti, esse Archiepiscopum Josaphat, super nudum ejus corpus insiliunt, vino indulgent, conspuunt, barbam caesariemque evellunt. Detracto deinde cilicio, corpus ad pedes funibus circumligant, interque contumelias et injurias per urbem reptant; denique ex arduo praeruptoque monte in Dunam flumen proiciunt. Prodigio martyr corpus ad ripam constitit. Quae res non minuit sed auxit satellitum animos. Advolant, lintri imponunt, ad mille passus averso flumine addu-

cunt, collo et pedibus ingentes alligant lapides, atque ad viginti cubitorum altitudinem laeti demergunt.

§. 9. Nonnullis elapsis diebus Vitebskenses poenituit tam acerbe cum Archiepiscopo egisse; ubique luctus apparuit, ubique clamores exauditi sunt, occisum fuisse Patrem, demersum pastorem, omnesque Josaphat ut veniam impertiretur exorare coeperunt. Magistratus magnam argenti vim piscatoribus promisit, ut praesulis corpus inquirerent; sed tam profunde coeno adhaeserat, ut illud invenire minime valuissent, ni prodigio magna lux in profundo aquae visa fuisset, cujus ope corpus repererunt ea integritate ac pulchritudine, ut omnes obstupuerint, vivoque persimilem uno ore dixerint. Quod autem summopere admirandum Joannes Chodeska, Consul Polocensis, multique alii visa Josaphat corporis integritate, imo pulchritudine, dolore cordis tacti intrinsecus pessimum schisma illico ejurarunt. Josaphat sacris indutus vestibus solemnibus ac pene triumphali pompa Polociam delatus fuit; splendidissimae illi factae sunt exequiae tota comitante civitate; maximoque honore corpus conditum fuit, omnibus admirantibus, quod jam multis elapsis mensibus incorruptum adhuc perseveraret. Cum vero Poloniae Rex impios parricidas capite damnasset, aliud quoque evenit, quod maximi factum est. Omnes enim non Schismatici uti vixerant, sed in mortis articulo respiscentes catholicam fidem amplexi, sceleris poenas pie luerunt. Neque hoc satis; sicuti ad preces Stephani protomartyris Saulus caedis et minarum spirans e lupo in agnum commutatus est, ita Josaphat precibus, ipse Meletius Smotricius, conspirationis uti diximus auctor, atque acerrimus Unionis oppugnator, facti poenitens, Petri cathedrae Romanoque Pontifici ardenti studio adhaesit, catholicamque fidem strenue asserens diem vidit supremum⁹⁸.

§. 10. Beati Josaphat fama non imminuta, sed miraculis et prodigiis aucta in dies est. Itaque Sigismundus III et Wladislaus IV, Poloniae Reges, illiusque regni antistites, proceres, clerus, populusque universus una cum monachorum basiliana familia ab Urbano VIII summo Pontifice, Praedecessore Nostro, qui eodem anno, quo Dei servus obiit, Petri cathedram ascenderat, efflagitarunt, ut eundem Sanctorum catalogo adnumeraret. Quamvis vero summus Pontifex eo ferme tempore constituisset, non posse agi de canonizatione cujusquam nisi quinquaginta elapsis annis a die vel obitus vel martyrii, tamen ob praeclarissima Josaphat merita, qui *Eccliam Latinam cum Graeca univit, et pro Christi fide passus fuit mandavit, aperiri processus auctoritate apostolica confectos, et ad ulteriora in qualibet congregatione procedi*; volens tamen ut hae causae in exemplum minime haberentur. Servata itaque veteri disciplina, idem Urbanus, Antecessor Noster, jussit, ut processus hujusmodi a tribus romanae rotae auditoribus perpenderentur, nempe a Jo. Baptista Coccino, Philippo Pirovano et Clemente Merlino, qui accuratissime relationem tenuerunt, de ejus martyrio ejusque causa, quam idem Urbanus decreto suo Idibus Septembris MDCXLII ratam habuit. Neque multo post, nempe X Kalendas Decembris ejusdem anni a Sacra Rituum Congregatione decretum est constare de miraculis, et sufficienter haec qua-

⁹⁸ Obiit die 27.IX.1633. Cfr. de eo opus novissimum. S. S. SABOL, OSBM, *De Meletio Smotryckij - Polemista anticatholico*, Romae 1951 (excerpta).

tuor probari; primum, Petri Deucherii, Consulis Polocensis, illuminati, alterum Marinae foeminae pedum usui restitutae, tertium Michaelis Viceducis a podagra liberati, quartum denique Gennadii monachi Ordinis S. Basilii et Prioris monasterii Novogratensis a paralytico morbo sanati. Hisce positis, eadem Sacrorum Rituum Congregatio declaravit, memoratum Dei servum Josaphat Archiepiscopum martyrum catalogo adscribi atque ad solemnem ipsius canonizationem quandocumque deveniri posse. Interea tamen, donec ipsa canonizatio fieret, concessum fuit, *ut ab omnibus monachis S. Basilii ubique locorum degentibus necnon et in omnibus ecclesiis dioecesis et provinciae Poloniae ac totius metropolis Russiae tam a saecularibus quam a regularibus die natali ipsius B. Martyris et Pontificis, pridie idus videlicet novembris, officium et missa de communi unius martyris pontificis recitari respective ac celebrari valeat, juxta ritum breviarii et missalis romani nec non graeci seu rutheni ab apostolica sede approbati*⁹⁹.

§. 11. Haec sacrae Congregationis sententia ab eodem Urbano VIII, XI Cal. Januarii a. MDCXLIII, probata fuit. Cum vero sacra Congregatio de Propaganda Fide alacrem in hac re operam dedisset, idem summus Pontifex voluit, ut dies ad beati Josaphat memoriam celebrandam ab sacrae Congregationis cardinali praefecto seligeretur. Beatificatio autem expeditis literis in forma Brevis XVII Cal Jun. MDCXLIII habita est in Vaticano, eximiusque catholicae religionis vindex solemni pompa inter martyres adscriptus est.

§. 12. Quamvis Deus Optimus Maximus beati Josaphat sanctimoniam innumeris prodigiis et miraculis testari non desierit, tamen bis centum et ultra annos solemnis haec canonizatio desiderata est. Cum vero hac nostra aetate, perditii homines, ex universo terrarum orbe, Ecclesiam Dei divexare non desinant, impias doctrinas propagare, haereticam pravitatem fovere, atque omnia agere, ut ovile Christi, si non omnino destruant, quod sane fieri non potest, saltem undique a lupis adoriatur; libenter precibus aures Nostras accommodavimus Episcoporum Gallitiae et monachorum Ordinis S. Basilii, atque nobilissimam hanc causam iterum suscipiendam ac penitus absolvendam censuimus. Sententiam itaque pro veritate exquisivimus a dilecto filio nostro Petro Minetti S. Fidei promotore; cumque causa istaec in eodem statu reperiretur, ac illa martyrum japonensium, loco consistorii in consilium in Palatio Vaticano VI Idus Jan. MDCCCLXV convocavimus fratres Cardinales sacris ritibus tuendis praepositos; factoque dubio a dilecto fratre nostro Cardinali Constantino Patrizi, Episcopo Portuensi et S. Rufinae, ejusdem Sacrae Congregationis praefecto ac cause relatore, an tuto procedi posset ad solemnem B. martyris Josaphat canonizationem, omnes uno ore assenserunt. Cum vero in re tanti momenti divini Spiritus opem a nobis divini Spiritus opem a nobis diu exorandam duxerimus, nostram distulimus proferre sententiam usque ad diem VI Nonas Maji ejusdem anni, S. Athanasio catholicae fidei vindici sacram. Hac itaque die ad ecclesiam ipsius S. Athanasii graeci ritus concessimus missae sacrificio graeci ritu ceremonisque solemniter peracto adstitimus; atque deinde accitis dilecto fratre nostro

⁹⁹ Cfr. *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, p. 522, nr. 549, in Brevi beatificationis.

superius memorato Constantino Patrizi et dilectis filiis nostris Petro Minetti, S. Fidei Promotore, Dominico Bartolini ejusdem sacrae Congregationis a secretis, ceterisque de more adstantibus pronuntiavimus tuto procedi posse ad solemnem B. Josaphat Kuncевичii, Archiepiscopi Polocensis et Ruthensis, martyris canonizationem.

§. 13. Ad servandam autem in tam gravi negotio a praedecessoribus nostris praescriptam agendi rationem, primum universos Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales in consistorio habito III Idus Junii ejusdem anni MDCCCLXVII sententiam rogaturi coram nobis convocavimus, qui Beati Josaphat gestis a dilecto filio Francisco Morsilli nostrae consistorialis aulae advocato auditis, Nos ad legitimam causae hujus absolutionem una voce cohortati sunt. Curavimus etiam litteris a Sacra Concilii Congregatione datis, ut non modo viciniore Episcopi, sed remotissimi quoque Americae, caeterique qui orientales plagas incolunt, cumque hac Sancta Apostolica Sede communionem habent, de hac re commonerentur, seque ad urbem conferrent, ut nobis de solemni B. Josaphat canonizatione aliorumque quos illi sociavimus consilia suppeditarent quomodo Spiritus Sanctus illis eloqui daret. Qui cum ex universo terrarum orbe plurimi convenissent, causa plene cognita tum ex iis quae gesta fuerant in publico consistorio coram Nobis, uti diximus coacto VII Idus Junii, tum ex monumentis a Sacra Rituum Congregatione, quorum exemplar unicuique tradi voluimus, in semipublicum consistorium coram Nobis coactum convenerunt VIII Idus Jun. MDCCCLXVII. Non modo Ven. fratres Nostri S. R. E. Cardinales sed Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi omnes in eandem sententiam conspirarunt. Cujus rei instrumenta a dilectis filiis Sedis Apostolicae notariis publice confecta in tabularium Sanctae Romanae Ecclesiae relata sunt.

§. 14. Ad solemnem hanc canonizationem celebrandam decrevimus diem III Cal. Julii volventis anni saecularem, teste Hieronimo faustissimae illius diei, qua in hac ipsa urbe Apostolorum principes martyrii palmam receperunt, fidemque ab ipsomet Christo acceptam suo sanguine confirmarunt. Putavimus enim splendidius hanc memoriam celebrari non posse, quam tot novensilium sanctorum aucta pompa atque laetitia. Indictis interea in urbe jejuniis statutisque ecclesiis ad sacras indulgentias lucrandas hortari sumus omnes Christifideles, ut precibus et obsecrationibus instantes caelestem Nobis opem in tanto negotio implorarent.

§. 15. Ubi faustissima illuxit dies, omnes, tum saecularis, tum regularis cleri ordines, singuli Romanae Curiae praesules et officiales, cuncti denique Ven. Fratres Nostri S. R. E. Cardinales, Patriarchae, Primates, Archiepiscopi, Episcopi, ad numerum quatringerorum et ultra in Vaticanam basilicam convenerunt, ceu sponsae ritu mirifice ornatam, quibus praeerantibus solemni supplicatione ingressi sumus. Tunc dilectus frater noster Constantinus Patrizi, Episcopus Portuensis et S. Rufinae, canonizationi huic procurandae praepositus, perorante dilecto filio Joanne Baptista De Dominicis Tosti, Nostrae consistorialis aulae advocato, vota Nobis precesque detulit sacrorum antistitum, universaeque basilianae familiae, ut Beatum Josaphat cum aliis viginti quinque beatis in sanctorum numerum referremus. Cum vero iterum et tertio memorati Cardinalis et nostrae consistorialis aulae advocatus Nos obsecrati fuissent, ut tandem aliquando nostram aperissemus sententiam,

primum universae caelestis aulae praesidio, dein divini Spiritus lumine implorato, ad honorem sanctae et individuae Trinitas, ad catholice fidei incrementum et decus, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra, matura deliberatione et voto fratrum Nostrorum S. Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcharum, Primatum, Archiepiscoporum, Episcoporum consilio, praedictum B. Josaphat Kuncevicium Episcopum, Polocensem et Ruthensem, Ordinis S. Basilii Magni, sanctorum martyrum albo accensuimus. Cui addidimus Petrum De Arbues alias Magistrum Epilae, Ecclesiae Metropolitanae Caesaraugustanae canonicum regularem S. Augustini, Nicolaum Pichium Ordinis Fratrum Franciscanum aliosque XVIII socios Gorgomienses appellatos, omnes martyres, Beatum Paulum Clericorum Regularium excalceatorum a Cruce et passione Domini Nostri Jesu Christi Fundatorem, B. Leonardum a Portu Mauritio Missionarium Apostolicum Minorum S. Francisci strictioris observantiae in recessu S. Bonaventurae de urbe Confessores, atque B. Virgines Mariam Franciscam a Vulneribus Domini Nostri Jesu Christi tertiarium professam Ordinis Minorum S. Petri De Alcantara in provincia Neopolitana, et Germanam Cousin ex oppido Pibrac, Tolosanae dioecesis, virtutibus, Christi imitatione et prodigiis omnes spectandos.

§. 16. Ejusdem S. Josaphat memoriam quotannis die XII Novembris in romano martyrologio recolendam mandamus¹⁰⁰, atque omnibus Christifidelibus, qui ejus sepulchrum ea die venerati fuerint indulgentiam septem annorum totidemque quadragenarum in Domino perpetuo elargiti sumus. Gratiis deinde Deo optimo maximo relatis, sacrum solemniter litavimus, laetitiamque animi Nostri compescere nescientes, sancti Evangelii peracta lectione universum clerum populumque adstantem cohortati sumus, ut novensilem Christi Martyrem venerarentur, imitarentur, ipsumque cum Apostolorum Principibus, enixe rogarent, ut in hisce potissimum Ecclesiae calamitatibus potentem apud Deum adiutorem experiamur. Plenariam denique indulgentiam peramanter impertita, apostolicas hasce litteras manu Nostra, ac omnium S. R. E. Cardinalium signatas, ac sigillo Nostro munitas expediri mandavimus.

§. 17. Oh ter, quaterque beatus Josaphat, qui Dominici gregis partem a Christo sibi custodiendam traditam, ea sedulitate, diligentia, atque alacritate servavit, ut ipsius vitae florenti aetate prodigus esse non dubitaverit. Non minae, non contumeliae, non fraudes, non calumniae illum terruerunt, blandimentis, muneribus, ceterisque mundi oblectamentis captus minime fuit; impigre contra schismaticos, atque acatholicos undique pugnavit. A Romana Petri cathedra vel ad unguem avelli minime passus est. Sicariorum ictibus cum peteretur, non aufugit, caput suum illis ultro objecit, pastorumque pastorem imitatus non modo illi veniam sed pro ipsis sanguinem suum Deo libentissime obtulit. Felix deprecatio, quae illico exaudita est. Non modo duces patrati facinoris sed sicarios ipsos a civili potestate ad luendam poenam vocatos, facti poenituit, atque ipsi ad catholicam fidem

¹⁰⁰ Revera postea memoria haec celebrabatur et celebratur die 14 Novembris, prout invenitur in Martyrologio et Breviario Romano. In Ritu Orientali dies eius natalis remansit dies eius martyrii, 12 Novembris.

morientes reversi sunt. Utinam, Sancte Josaphat, tuus ille cruor, quem pro Christi Ecclesia effudisti, sit illius unionis tessera cum Sancta hac Apostolica Sede, quam semper in votis habuisti, quamque diu noctuque enixis precibus a Deo Optimo Maximo exoptulasti. Quod ut tandem aliquando eveniat, apud ipsum Deum coelestemque aulam te deprecatores assiduum exoptamus.

§. 18. Omnibus quae inspicienda erant bene perpensis certa ex scientia et Apostolicae auctoritatis nostrae plenitudine, omnia et singula praedicta confirmamus, roboramus atque iterum statuimus, decernimus, universaeque catholicae Ecclesiae denunciamus mandantes, ut eorumdem praesentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii Apostolici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate constituti munitis, eadem prorsus fides habeatur, quae hisce Nostris litteris praesentibus haberetur, si exhibitae atque ostensae forent.

§. 19. Si quis vero paginam hanc Nostrae definitionis, mandati, relaxationis, et voluntatis infringere, vel temerario ausu contraire voluerit aut attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei et Sanctorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum, Pridie Nonas Julii, Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo sexagesimo septimo.

Pontificatus Nostri Anno vigesimo secundo.

† Ego Pius Catholicae Ecclesiae Episcopus.

(*Rota cum inscriptione: in medio: Sanctus Petrus - Sanctus Paulus - Pius PP. IX. In circulo: DOMINE REFUGIUM FACTUS ES MIHI ✠.*)

† Ego Marius episcopus Hostiensis et Veliternus, card. decanus Mattei, Pro Datarius¹⁰¹.

† Ego Constantinus episcopus Portuensis et S. Rufinae card. Patrizi.

† Ego Aloisius episcopus Praenestinus card. Amat, Vice-Cancellarius.

†

† Ego Ludovicus episcopus Albanensis card. de Alteriis, S. R. E. Camerarius.

† Ego Nicolaus card. episcopus Tusculanus Clarelli Paracciani, Brevium a Secretis.

† Ego Philippus tituli sancti Bernardi ad Thermas proco-presbyter card. De Angelis, archiepiscopus Firmanus.

†

† Ego Aloisius tituli sanctae Praxedis presbyter cardinalis Vannicelli Casoni, archiepiscopus Ferrariensis.

†

†

† Ego Cosmas tituli sanctorum Joannis et Pauli presbyter card. Corsi, archiepiscopus Pisanus.

† Ego Fabius Maria tituli sancti Stephani in Monte Caelio, presbyter card. Asquini.

¹⁰¹ Elenchum hunc nominum dedimus hic prout prostant in exemplari Bullae Pontificiae, typis impressae. Ut patet forma subscriptionis praeparata erat omnibus Cardinalibus; sed non omnes hac occasione Urbem petierunt, inde eorum nomina ommissa fuerunt, signo crucis signata.

- † Ego Dominicus tituli sanctae Mariae Angelorum ad thermas presbyter card. Carafa de Traetto, archiepiscopus Beneventanus.
- † Ego Sixtus tituli sanctae Sabinae presbyter card. Riario-Sforza, archiepiscopus Neapolitanus.
- † Ego Jacobus Maria Hadr. Caesar. tituli sancti Silvestri in capite presbyter card. Mathieu, archiepiscopus Bisuntinus.
- †
- † Ego Franciscus Augustus tituli sanctae Mariae in Via presbyter card. Donnet, archiepiscopus Burdigalensis.
- †
- † Ego Camillus tituli sancti Joannis ante portam latinam presbyter cardinalis De Petro.
- † Ego Joachim tituli sancti Chrysogoni presbyter card. Pecci, archiep. episcopus Perusinus.
- †
- † Ego Carolus Augustus tituli sanctae Caeciliae Trans-Tiberim presbyter card. De Reisach.
- †
- † Ego Alexander tituli sanctae Susannae, presbyter card. Barnabò.
- †
- † Ego Antonius Benedictus tituli sanctorum Silvestri et Martini presbyter card. Antonucci archiep. episcopus Anconitanus et Humanus.
- †
- † Ego Joseph tituli sanctae Mariae in Aracaeli, presbyter card. Milesi-Pironi-Ferretti, abbas sanctorum Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias.
- † Ego Petrus tituli sancti Marci, presbyter Card. De Silvestri.
- †
- †
- † Ego Carolus tituli sanctae Mariae de populo, presbyter card. Sacconi.
- † Ego Michael tituli sanctae Priscae presbyter card. Garcia-Cuesta, archiepiscopus Compostellanus.
- † Ego Angelus tituli sanctorum Andreae et Gregorii in Monte Coelio presbyter card. Quaglia.
- † Ego Fr. Antonius Maria tituli sanctorum XII Apostolorum presbyter card. Panebianco, poenitentiarius major.
- † Ego Joseph Aloisius tituli sanctorum Nerei et Achillei presbyter card. Trevisanato patriarcha Venetiar.
- † Ego Antonius tituli sanctorum Quatuor Coronatorum presbyter card. De Luca.
- † Ego Joseph Andreas tituli sancti Hieronimi Illiricorum presbyter card. Bizarri.
- † Ego Lodovicus tituli sancti Petri ad Vincula presbyter card. de la Lastra y Cuesta, archiepiscopus Hispalen.
- † Ego Jo. Baptista tituli sancti Callixti presbyt. card. Pitra.
- † Ego Philippus Maria tituli sancti Xixti presbyter card. Guidi, aschiepiscopus Bononiens.
- † Ego Henricus Maria tituli sancti Clementis presbyter card. De-Bonnechose archiep. Rhotomagen.

- † Ego Paulus tituli sancti Petri in Monte Aureo presbyter card. Cullen. archiepiscopus. Dublinen.
- † Ego Gustav tituli sanctae Mariae in Traspontina presbyter card. De Hohenlohe.
- † Ego Aloisius tituli sancti Laurentii in Pane Perna presbyter card. Bilio.
- † Ego Joseph sanctae Mariae in Via Lata card. Protodiaconus Ugolini.
- † Ego Joseph sancti Gaesarei card. diaconus Bofondi.
- † Ego Jacobus sanctae Agathae ad Suburram card. diaconus Antonelli.
- † Ego Robertus sanctae Mariae ad Martyres card. diaconus Roberti.
- † Ego Prosper sanctae Mariae de Scala card. diaconus Caterini.
- † Ego Gaspar sanctorum Viti et Modesti card. diaconus Grassellini.
- † Ego Theodolphus sancti Eustachii card. diaconus Mertel.
- † Ego Franciscus sanctae Mariae in porticu card. diaconus Pentini.
- † Ego Dominicus sanctae Mariae in Domnica card. diaconus Consolini.
M. card. Mattei Pro-datarius. N. card. Clarelli Paracciani.
Loco ✠ Plumbi. Visa De Curia D. Bruti.

I. Cugnioni.

Reg. in Secret. Brevium.

959.

Romae, 1 . X . 1867

Deputatio Josephi Sembratovyč in Administratorem Eparchiae Peremyšliensis.

SECRETARIA BREVIUM, Pius IX, 1867, Octobris, p. II, nr. 13, fol. 3-4, 8v.

Venerabili fratri Josepho Sembratowicz¹⁰²,
Archiepiscopo Nazianzeno Graeci Ritus

PIUS PP. IX. Venerabilis frater, salutem etc.

Apostolici muneris officium humilitati nostrae divinitus commissum postulat, ut Ecclesiarum omnium specialem assiduumque geramus curam et si cuius regimen minus prospere procedere animadverterimus, opportune providemus, ne quando illa Dominici gregis pars detrimenti capiat. Iam vero cum Venerabilis frater Thomas Polanski, Episcopus Premisliensis Graeco-Rutheni Ritus, ob ingravescentem aetatem, qua premitur, et minus firmam, qua laborat, valetudinem haud amplius par sit eiusdem dioeceseos regimini promovendo, Nos universo etc. cum Venerabilibus fratribus Nostris S.R.E. Cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei pro Orientalis Ritus negotiis communicato, huic illius Ecclesiae necessitati, quantum in Domino possumus, occurrere constituimus. Quae cum ita sint, tuque, Venerabilis frater, qui duobus abhinc annis in hac Alma Urbe degis, ac sacras (f. 4) Graeci Ritus ordinationes perpendes admodum Nobis prae tua virtute, fide, devotione, prudentia, zelo ceterisque virtutibus commendaris, te hisce litteris ab quibusvis etc. absolventes etc. censentes, de admodum Venerabilium

¹⁰² Cfr. supra, nota 94.

Fratrum consilio, Administratorem Apostolicum Ecclesiae Premisliensis Graeco-Rutheni Ritus, ad nostrum et Sanctae huius Sedis beneplacitum auctoritate nostra Apostolica eligimus, facimus, et constituimus, tibi illius Ecclesiae regimen et administrationem tam in spiritualibus quam in temporalibus (f. 4v), donec aliter per Nos et hanc Sanctam Sedem provisum fuerit, plenarie committimus. Sane confidimus ut tu, Venerabilis frater, pro spectata tua pietate et religionis studio dictae Ecclesiae administrationem ita gesturum, ut huiusmodi tibi demandatum procurationis officium in eiusdem Ecclesiae prosperitatem bonum ac salutem vertet. Non obstantibus Apostolicis etc. constitutionibus, nec non dictae Ecclesiae aliorumque etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, 1 Octobris 1867, Pontificatus An. 22.

960.

Romae, 22 . VI . 1868

Provisio Ecclesiae Chelmenensis in persona Michaelis Kuziemskyj.

Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, vol. II, p. 857.
ASV, *Reg. Lat.*, an. 1868.

PIUS etc. Dei. Dilecto filio Michaeli Kuziemski¹⁰³, Presbytero etc.

Apostolatus officium meritis licet imparibus etc. gubernare. Postmodum vero Ecclesia Chelmenensis etc. post obitum etc. (*ut sub data 15.VII.1841*), indulgemus.

Datum Romae, etc.

961.

Romae, 3 . VII . 1868

Episcopo Chelmensi Michaeli Kuziemskyj conceditur usus pileoli.

SECRETARIA BREVIUM, Pius IX, an. 1868, *Julii*, p. I, nr. 12, fol. 8rv, 17.

Venerabili fratri Michaeli Kuziemski,
Episcopo Chelmensi Ruthenorum.

PIUS PP. IX. Venerabilis frater, salutem etc.

Exponendum nobis curasti te non ad tui commodum solum, verum etiam ad maiorem pastoralis tui muneris dignitatem exoptare in Sacro

¹⁰³ Michael Kuziemskyj, Episcopus Chelmenensis (1868-1879). Natus an. 1809, ordinatus an. 1833; sacerdos uxoratus, dein viduus, denique Canonicus Leopoliensis. Strenue adlaborabat populi eruditioni, et scholarum erectioni. Consecratus Episcopus Leopoli Metrop. Spiridione Lytvynovyč. Anno 1871 Eparchiam reliquit et in Galiciam venit, ob difficultates cum Gubernio rossiano in administratione Eparchiae Chelmenensis obventas. Obiit an. 1879. Cfr. hac de re testimonia contemporanei, J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 857-864. Bullam provisionis invenire non potuimus.

faciendo aliisque Ecclesiae caeremoniis et ritibus obeundis caput tuum pileolo tegere. Hinc supplici cum prece a nobis postulasti eam ut gratiam tibi impertiri velimus. Nos igitur tuis votis obsecundare volentes, auctoritate nostra Apostolica tenore praesentium tibi, Venerabilis frater, concedimus atque indulgemus, ut posthac, dum Sacris operaberis, non tamen a praefatione usque ad susceptum Corpus et sanguinem Christi Domini, ac dum divinis officiis intereris et sacris ritibus caput tuum pileolo tegere libere et licite possis et valeas. Non obstantibus in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 3 Julii 1868, Pontificatus an. 23.

962.

Romae, 8 . IX . 1868

Invitat Episcopos orientales communionem cum S. Sede non habentes ad participandum in Synodo Vaticana.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. VI, 2, p. 21-22, nr. 347.

Ad omnes Episcopos Ecclesiarum Ritus Orientalis
 communionem cum Apostolica Sede non habentes.

PIUS PP. IX.

Arcano Divinae Providentiae consilio, licet sine ullis meritis nostris, in hac sublimi Cathedra haeredes beatissimi Apostolorum Principis constituti, qui iuxta praerogativam sibi a Deo concessam firma et solidissima petra est, super quam Salvator Ecclesiam aedificavit, impositi nobis oneris sollicitudine urgente, ad eos omnes in qualibet terrarum Orbis regione degentes, qui christiano nomine censentur, curas nostras extendere, omnesque ad paternae charitatis amplexus excitare vehementissime cupimus et conamur. Nec vero absque gravi animae nostrae periculo partem ullam christiani populi negligere possumus, qui pretiosissimo Salvatoris nostri sanguine redemptus et sacris baptismi aquis in dominicum gregem adlectus, omnem sibi vigilantiam nostram iure deposcit. Itaque cum in omnium procurandam salutem, qui Christum Iesum agnoscunt et adorant, studia omnia cogitationesque nostras indesinenter conferre debeamus, oculos nostros ac paternum animum ad istas convertimus Ecclesias, quae olim unitatis vinculo cum hac Apostolica Sede conglutinatae tanta sanctitatis caelestisque doctrinae laude florebant, uberesque divinae gloriae et animarum salutis fructus edebant, nunc vero per nefarias illius artes ac machinationes, qui primum schisma excitavit in caelo, a communione Sanctae Romanae Ecclesiae, quae toto Orbe diffusa est, seiunctae ac divisae cum summo nostro moerore existunt.

Hac sane de causa iam ab ipso supremi nostri pontificatus exordio vobis pacis charitatisque verba toto cordis affectu loquuti sumus. Etsi vero haec

nostra verba optatissimum minime obtinuerint exitum, tamen nunquam nos deseruit spes fore, ut humiles aequae ac ferventes nostras preces propitius exaudire dignetur clementissimus ac benignissimus salutis pacisque Auctor, qui operatus est in medio terrae salutem, quique oriens ex alto pacem sibi acceptam et ab omnibus acceptandam evidenter ostendens, eam in ortu suo Angelorum ministerio bonae voluntatis hominibus nunciavit, et inter homines conversatus verbo docuit, praedicavit exemplo.

Iam vero cum nuper de Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio Oecumenicam Synodum futuro anno Romae celebrandam, ac die octavo mensis Decembris Immaculatae Deiparae Virginis Mariae Conceptioni sacro incipiendam indixerimus et convocaverimus, vocem nostram ad vos rursus dirigimus, et maiori, qua possumus, animi nostri contentione vos obsecramus, monemus et obtestamur, ut ad eandem generalem Synodum convenire velitis, quemadmodum maiores vestri convenerunt ad Concilium Lugdunense II. a recol. mem. B. Gregorio X, Praedecessore nostro, habitum, et ad Florentinum Concilium a fel. record. Eugenio IV, item Decessore nostro celebratum, ut dilectionis antiquae legibus renovatis, et patrum pace, caelesti illo ac salutari Christi dono, quod tempore exaruit, ad vigorem iterum revocata, post longam moeroris nebulam et dissidii diuturni atram ingrataeque caliginem serenum omnibus unionis optatae iubar illucescat.

Atque hic sit iucundissimus benedictionis fructus, quo Christus Iesus nostrum omnium Dominus et Redemptor immaculatam ac dilectissimam Sponsam suam catholicam Ecclesiam consoletur, eiusque temperet et abstergat lacrimas in hac asperitate temporum, ut, omni divisione penitus sublata, voces antea discrepantes perfecta spiritus unanimitate collaudent Deum, qui non vult schismata esse in nobis, sed ut idem omnem dicamus et sentiamus Apostoli voce praecepit; immortalesque misericordiarum Patri semper agantur gratiae ab omnibus Sanctis suis, ac praesertim a gloriosissimis illis Ecclesiarum orientalium antiquis Patribus et Doctoribus, cum de caelo prospiciant instauratam ac redintegratam cum hac Apostolica Sede catholicae veritatis et unitatis centro coniunctionem, quam ipsi in terris viventes omnibus studiis atque indefessis laboribus fovere et magis in dies promovere tum doctrina, tum exemplo curarunt, diffusa in eorum cordibus per Spiritum Sanctum charitate illius, qui medium maceriae parietem solvit, ac per Sanguinem suum omnia conciliavit et pacavit, qui signum discipulorum suorum in unitate esse voluit, et cuius oratio ad Patrem porrecta est: Rogo ut omnes unum sint, sicut et nos unum sumus.

Datum Romae apud S. Petrum, die VIII Septembris MDCCCLXVIII, Pontificatus Nostri Anno vigesimotertio.

963.

Romae, 26 . VI . 1870

Provisio Ecclesiae Metropolitanae Leopoliensis in persona Josephi Sembratowycz, nuper Archiepiscopi Nazianzeni.

ASV, Reg. Lat., vol. 2369, fol. 462-465.

PIUS etc. Venerabili fratri Josepho Sembratowicz Antistiti Nazianzen. in Archiepiscopum Leopoliensem. Ritus Graeco-Rutheni electo, salutem etc.¹⁰⁴.

Romani Pontificis, quem Pastor ille etc. incrementis. Cum vero Metropolitana Ecclesia Leopoliensis. Ritus Graeco-Rutheni cum ei adnexo titulo archiepiscopalis Ecclesiae Haliceni, ad quam dum illa pro tempore vacat nominatio personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad carissimum in Christo filium nostrum Franciscum Josephum hoc nomine Primum Austriae Imperatorem ac Bohemiae et Hungariae Regem Apostolicum ex fundatione etc. dignoscitur, et cui Ecclesiae bo. me Spiridio Litwinowicz, ultimus illius Archiepiscopus, dum viveret praesidebat, per obitum dicti Spiridionis Archiepiscopi extra Romanam Curiam defuncti vacaverit, Nos vacatione huiusmodi etc. habuimus diligentem, demum ad te Episcopum Nazianzenum, consideratis grandium virtutum etc., insignivit, et attendentes, quod tu qui consecrationis etc., nequiveris, attamen qua Apostolicus Administrator Ecclesiae Praemisliensis, eiusdem Graeco-Rutheni Ritus, dioecesim istam visitasti, sacras ordinationes exequisti, pontificalia sollemniter celebrasti ceteraque pastoralia munia laudabiliter obivisti, quique cum fidei catholicae professionem etc. emisisti, et quem, praedictus Franciscus etc. nominavit, eandem Metropolitanam etc. gubernare, direximus oculos etc. absolventes, te ad Metropolitanam Ecclesiam Leopoliensem etc. transferimus illique in Archiepiscopum praeficimus et pastorem, curam etc. committendo, liberamque tibi ad eandem... transeundi etc. incrementa.

Quocirca Fraternitati Tuae per Apostolica scripta mandamus, quatenus etc. mercaris. Volumus autem quod tu, antequam... fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum etc. destines, cui Antistiti per alias nostras litteras mandamus etc. recipiat. Volumus etiam quod tu Theologalem Praebendam ad praescriptum Concilii Tridentini in Metrop. Eccl. Leopoliensi instituas, illius templi reparationibus, quatenus opus sit, consulas atque in Leopoliensi civitate Montem pietatis erigi cures, conscientiam tuam super his onerantes.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo septuagesimo, quinto Kalendas Iulii. Pontificatus Nostri Anno vigesimo quinto.

I. Nina

I. Gallo

¹⁰⁴ Cfr. supra, nota 94.

964 - 968.

Romae, 26 . VI . 1870

Josepho Francisco, Imperatori Austriae, de provisione Eccl. Leopoliensis, Nec non Suffraganeo Peremysliensi, Capitulo, Clero, populo, Vasallis etc.

ASV, Reg. Lat., vol. 2369, fol. 465-467.

Simili modo.

PIUS etc. Carissimo in Christo filio nostro Francisco Josepho Austriae Imperatori etc. salutem etc.

Gratiae divinae premium et humanae laudis preconium acquiritur, si per saeculares Principes Ecclesiarum etc. impendatur. Hodie siquidem Venerabilem fr. nostrum Josephum Sembratowicz etc. electum, a vinculo etc. absolventes, eum ad vacantem Ecclesiam Metropolitanam Ritus Graeco-Rutheni etc. transtulimus, illique in Archiepiscopum etc. continetur. Itaque, fili carissime, cum sit virtutis opus Dei etc. prosequaris, quod idem Archiepiscopus etc. actio gratiarum.

Datum Romae ut supra.

PIUS etc. Venerabili fratri Episcopo Premislieni., Ritus Graeco-Rutheni, Metrop. Ecclesiae Leopoliensis. eiusdem Ritus Suffraganeo, salutem etc.

Hodie Venerabilem fratrem nostrum Josephum etc. praefecimus et pastorem etc. continetur. Quocirca Fraternitatem Tuam monemus etc. exhibeas ei obedientiam et reverentiam etc. effectus, et Nos propterea te etc. commendare. Datum Romae, ut supra.

PIUS etc. Dilectis filiis Capitulo Metrop. Eccl. Leopoliensis. Ritus Graeco-Rutheni, salutem etc. Hodie Vener. fr. nostrum Josephum Sembratowicz etc. praefecimus ,et pastorem etc. continetur. Quocirca etc. curetis, alioquin etc. observari. Datum Romae, ut supra.

PIUS etc. Dilectis filiis Clero Graeco-Rutheni Ritus civitatis et dioecesis Leopoliensis., salutem etc. Hodie etc. transtulimus, illique in Archiepiscopum praefecimus etc. continetur. Quocirca etc. curetis, alioquin etc. observari. Datum Romae, ut supra.

PIUS etc. Dilectis filiis populo etc. salutem etc. Hodie etc. continetur. Quocirca etc. invenisse gaudeatis. Datum Romae, ut supra.

969 - 970.

Romae, 26 . VI . 1870

Aliae solitae Bullae in provisione Ecclesiarum Metropolitanarum destinantur etiam Josepho Sembratovč. It est: absolutionis a censuris, receptionis professionis fidei, transmissionis documentorum etc.

ASV, Reg. Lat., vol. 2369, fol. 468-470.

PIUS etc. Venerabili fratri etc. salutem etc.

Apostolicae Sedis consueta clementia etc. (*cfr. sub data 27.IX.1863*) etc.

PIUS etc. Venerabili fratri cuicumque etc. salutem etc.

Cum Nos hodie etc. auctoritate nostra cures (*cfr. sub data 27.IX.1863*).

Datum Romae etc.

Expedit. Idibus Iulii, Anno vigesimo quinto.

SANTARELLI

971.

Romae, 28 . II . 1871

Episcopus Munkacsiensis constituitur iudex in tertia instantia pro Metropolia Haliciensi et Leopoliensi.

SECRETARIA BREVIUM, Pius IX, an. 1871, Jan.-Martii, p. II, nr. 92, fol. 42-3, 49-50.
DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. VI, 2, p. 112-3, nr. 401.

PIUS PP. IX. Ad futuram rei memoriam.

Romani Pontifices, ad quos, utpote supremum Ecclesiae regimen divinitus habentes, excipere appellationes pertinet in ecclesiasticis causis, quas iuxta canonicas sanctiones catholicum per orbem Episcopi seu Metropolitanae iudicaverint, consueverunt pro re ac tempore sacros eligere Antistites, qui sua vice ac nomine hanc ipsam iudicandi potestatem exercerent, quo et iudiciorum cursus esset expeditior, et fidelium commoditati satius prospiceretur. Huiusmodi exemplis insistentes iam inde ab anno MDCCCLXVI Archiepiscopo Olomucensi commisimus ut nostro et S. huius Sedis nomine in tertio iurisdictionis gradu sententiam ferret de matrimonialibus aliisque causis, de quibus in prima disceptatione metropolitana Leopoliensis, Haliciensis, et Camenecensis Ruthenorum curia, in altera Eperiesenses Antistites iudicaverint. Ut enim cum venerabilis frater Archiepiscopus Olomucensis nobis exposuerit, Ruthenorum linguam in qua iudicialis tabulae perscriptae sunt, atque item Ruthenorum Ritus liturgiam penes suam curiam funditus ignorari, atque idcirco nos rogaverit ut se hoc officio exoneraremus, nos attente perpensis rationibus a memorato Antistite adductis, eius votis annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, ut, quantum est situm in nobis, utilitati fidelium consultum sit, auctoritate Apostolica tenore praesentium facultatem facimus hodierno et pro tempore existenti Episcopo Munkac-

siensi Ruthenorum, ut in locum metropolitanae curiae Olomucensis in tertia provocatione, veluti noster et Sanctae huius Sedis Delegatus, cognoscere usque ad definitivam sententiam possit et valeat tum matrimoniales, tum alias ecclesiasticas causas, de quibus in prima penes Leopoliensem, Hali-ciensem et Camenecensem Ruthenorum curiam, in altera vero penes Eperiessensem eiusdem Ritus Antistitem actum fuerit. Mandamus autem, ut in causis matrimonialibus accurate servetur constitutio Benedicti XIV, Praedecessoris nostri rec. me., quae incipit «*Dei miseratione*»; atque ad adhibendam in tanti momenti causis necessariam sedulitatem, maturitatem, consilium, prae oculis habeantur sapientes eiusdem Praedecessoris nostri litterae ad Poloniae Antistites datae, tum die XI mensis Apr. MDCCXXI, tum die XVIII Maii an. MDCCXLIII. In ceteris vero ecclesiasticis causis omnia et singula rite servantur, quae canonicae sanctiones praescribunt. Volumus autem, ut in singulis atque universis talium iudiciorum actis a Munkaciensi Ruthenorum curia conficiendis delegationis Apostolicae expressa et specifica mentio fiat. Quod si qui fidelium in appellationibus huiusmodi experiri directe velint Sanctae huius Sedis iudicium, hoc ipsis liberum integrumque fore intelligimus atque edicimus. Tandem volumus ut haec concessio nostra Munkaciensi Ruthenorum Antistiti facta ab die inchoanda, quo praesentes datae sunt, eundem habeat terminum, quo similes facultates caeteris Archiepiscopis et Episcopis Austriaci Imperii vi nostrarum litterarum anni MDCCCLXVI circumscribuntur. Haec volumus, mandamus, edicimus, non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, aliisque, quatenus opus sit, speciali licet atque individua mentione dignis in contrarium facientibus quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXVIII Feb. MDCCCLXXI Pontificatus Nostri Anno XXV.

972.

Romae, 15 . III . 1874

Provisio Ecclesiae Munkaciensis in Ucraina Carpatica in persona Joannis Pasztelyi.

ASV, Reg. Lat., vol. 2347, fol. 152-153v.

PIUS etc. Dei. Dilecto filio Joanni Pasztelyi¹⁰⁵ etc. salutem etc.

Apostolatus officium etc. gubernare. Sane Ecclesia Munkaciensis Ritus Rutheno-catholici S. R. E. uniti, ad quam dum illa pro tempore vacat etc. et cui ho.mem. Stephanus Pankovics, ultimus illius Episcopus etc. inten-

¹⁰⁵ Joannes Paštelyj, Episcopus Munkaciensis (1874-1891). Natus die 8.V.1826 in Velejte, in Ucraina Carpatica. Eius mater erat soror eius Praedecessoris, Stephani Pankovyč. Anno 1849 ordinatus sacerdos; dein primum parochus Chustensis, ab an. 1867 Archidiaconus Maramorosiensis, ubi ab anno 1869 etiam officio Vicarii foranei fungebatur. Ab anno 1870 Parochus in Szigeth, et ab anno 1871 Abbas titularis. Nominatus Episcopus Munkaciensis die 25.XI.1874. Intronisatus die 9.V.1875 Obiit an. 1891 Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 1048 etc.

dentes, post deliberationem etc. cumque memoratus Franciscus Josephus Imperator et Rex ad vacantem Ecclesiam M. praedictam te ex legitimis graeco-catholicis honestisque parentibus progenitum, et in quadragesimo nono tuae aetatis anno constitutum et iam diu presbyterum per suas litteras nominaverit, Nos spem habentes, te, qui in animarum cura pastoralis qua cooperatore primus ac dein qua administrator parociae Husztensis te laudabiliter exercuisti, districtualis Vice archidiaconatus et Consistorii episcopalis Assessor adlectus, postremo Archidiaconus et Vicarius foraneus Marmorosiensis hucusque renuntiatus atque Abbatis titulo cohonestatus fuisti, ac de cuius doctrina, gravitate, prudentia, morum probitate rerumque usu apud Nos fidedigna testimonia perhibentur, quique ad effectum provisionis infrascriptae fidei catholicae professionem iuxta formam a s. mem. Urbano Papa octavo, Praedecessore nostro, Orientalibus praescriptam, expresse emisisti, dictae Munkacsien. Ecclesiae de persona tua, nobis et Venerabilibus etc. providemus, teque illi in Episcopum praeficimus et pastorem, curam etc. suscipiat incrementa. Iugum igitur Domini tuis impositum humeris etc. consequi merearis. Nos autem licet tu gradu doctoratus in sacra theologia vel in decretis insignitus non sis, nihilominus quia ad dictam Ecclesiam M. regendam et gubernandam habilis et idoneus esse dignosceris tecum ut tu ipsi Ecclesiae in Episcopum praefici illique praeesse atque illam ut supra regere et administrare libere et licite valeas defectu doctoratus gradus huiusmodi ac constitutionibus Apostolicis quomodocumque contrariis nequaquam obstantibus Apostolica auctoritate praedicta tenore praesentium de specialis dono gratiae dispensamus. Volumus vero quod Archidiaconatus Marmorosiensis, quem in praesens obtines, quatenus collativus existat, per provisionem et praefectionem nostras huiusmodi vacet eo ipso. Volumus etiam quod tu annis singulis praedictam fidei professionem sub eadem omnino formula nuper per te iurata coram personis tui cathedralis Capituli aut tui Cleri in insigniore ecclesiastica dignitate constitutis emittere illamque pie emissam scriptis traditam propriaeque manus ac dictarum personarum subscriptione ac sigillo munitam ad nostrum Apostolicum Nuntium Viennensem Austriae transmittere omnino tenearis, quam idem Ap. Nuntius ad S. Congreg. Consistorialem vel ad Congr. de Prop. Fide perferri curabit. Volumus denique quod tu Cathedralis Ecclesiae M. eiusque episcopalis palatii reparationibus exterius consuli, Capitulum tuae cathedralis de Canonico poenitentiario ad praescriptum S. Concilii Tridentini provideri Montemque Pietatis in civitate Munkacsien. erigi cures, conscientiam tuam super his onerantes.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo septuagesimo quarto, Idibus Martii, Pontificatus Nostri Anno vigesimonono.

973.

Romae, 15 . III . 1874

Litterae dantur Imperatori Austriae, Archiepiscopo Strigoniensi, Capitulo, Clero et populo Eparchiae Munkacsensis occasione novae eiusdem provisionis in persona Joannis Pasztelyi.

ASV, Reg. Lat., vol. 2347, fol. 153v-156.

Simili modo.

PIUS etc. Carissimo in Christo filio nostro Francisco Josepho Austriae Imperatori ac Bohemiae et Hungariae Regi Apostolico, salutem etc.

Gratiae divinae premium et humanae laudis preconium acquiritur si per saeculares principes Ecclesiarum Praelatis, pontificali praesertim dignitate praeditis, opportuni favoris praesidium et honor debitus impendatur. Hodie siquidem vacanti Ecclesiae M. Ritus Rutheno-catholici S. Romanae Ecclesiae uniti de persona dilecti filii Joannis Pasztelyj, electi Episcopi Munkacsensis nobis et Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus ob suorum exigentiam meritorum accepta, Fratrum eorumdem consilio, Apostolica auctoritate providimus ipsumque illi in Episcopum praefecimus, et pastorem, curam, regimen et administrationem istius Ecclesiae eidem in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur. Itaque, fili carissime, cum sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi ac eos verbis et operibus pro Regis Aeterni gloria venerari, Maiestatem Tuam rogamus et hortamur attente, quatenus praedictum Joannem, Electum ad Ecclesiam M. eius curae commissam habens pro nostra et Sedis Apostolicae veneratione propensius commendatos in conservandis et ampliandis eorum iuribus sive eos tui benigni favoris auxilio prosequaris, quod idem Joannes Tuae Celsitudinis fultus praesidio in commisso ipsi curae pastoralis officio possit Deo propitio prosperari, et tibi exinde a Deo Domino perennis vitae premium et a nobis condigna proveniet actio gratiarum.

Datum Romae etc. ut supra.

974.

Romae, 15 . III . 1874

Archiepiscopo Strigoniensi.

IBIDEM.

Simili modo.

PIUS etc. Venerabili fratri Aep. Strigonien. salutem etc.

Ad cumulum tuae cedit salutis et famae, si personas ecclesiasticas, praesertim pontificali dignitate praeditas, divinae propitiationis intuitu oppor-

tuni praesidii et favoris gratia prosequaris. Hodie siquidem vacanti Ecclesiae Munkacsiensi ritus Rutheno-catholici S. Romanae Ecclesiae uniti, de persona dilecti filii Joannis Pasztelyi, electi Episcopi M. nobis et Ven. FF. nostris S. R. E. Cardd. ob suorum exigentiam meritorum accepta, fratrum eorundem consilio Apostolica auctoritate providemus ipsumque illi in Episcopum praefecimus, et pastorem, curam etc. committendo, prout id nobis in Deo etc. continetur. Cum igitur effato Joanni electo, ut in commissa sibi Ecclesiae M. cura facilius proficere valeat tuus favor fore noscatur plurimum opportunus, Fraternitatem Tuam per haec Apostolica scripta monemus, et hortamur attente quatenus dictum Joannem electum, et Ecclesiam M. suffraganeam tuam, eius curae commissam, habens pro nostra et Sedis Apostolicae reverentia propensius commendatos, in conservandis et ampliandis eorum iuribus, sic eos tui favoris ope prosequaris, quod ipse Joannes per tuae auxilium gratiae se possit in commisso sibi Ecclesiae M. regimine utilius exercere tuque divinam misericordiam, ac nostram et dictae Sedis benedictionem et gratiam valeas exinde uberius promereri.

Datum Romae etc. ut supra.

975 - 978.

Romae, 15 . III . 1874

Similiter Capitulo Munkacsiensi, et Clero, nec non populo et Vassallis.

ASV, Reg. Lat., vol. 2347, fol. 154v-155.

Simili modo.

PIUS etc. DD. filiis Capitulo cathedralis Ecclesiae Munkacsiensis, salutem etc.

Hodie Ecclesiae vestrae M. ritus Rutheno-catholici S. R. E. uniti pastoris solatio destitutae de persona dilecti filii Joannis Pasztelyi electi Episcopi M. nobis etc. plenarie committendo, prout etc. plenius continetur. Quocirca discretioni vestrae per etc. mandamus, quatenus dicto Joanni electo tamquam patri et pastori animarum vestrarum humiliter intendatis atque obedientiam et reverentiam debitas et devotas exhibeatis, nec non salubria illius monita et mandata humiliter suscipiatis eaque efficaciter adimplere curetis, alioquin sententiam quam idem Joannes rite tulerit in rebelles ratam habebimus et faciamus auctore Domino usque etc. observari. Datum Romae etc. ut supra.

Simili modo.

PIUS etc. DD. filiis Clero civitatis et dioecesis M. ritus Rutheno-catholici etc. Hodie etc. continetur. Quocirca etc. mandamus quatenus etc. inviolabiliter observari. Datum ut supra.

Simili modo.

PIUS etc. DD. filiis populo civ. et dioecesis M. etc. Hodie etc. continetur. Quocirca universitatem vestram per haec Apostolica scripta monemus et hortamur attente, quatenus dictum Joannem electum tamquam etc. devote suscipiatis et debita honorificentia pertractetis, atque illius monitis et mandatis salubribus humiliter intendatis, ita quod dictus Joannes in vobis devotionis filios et vos in eo per consequens patrem benevolum invenisse gaudeatis. Datum Romae etc. ut supra.

Simili modo.

PIUS etc. DD. filiis universis Vassallis etc. Hodie vacanti Ecclesiae M. etc. continetur. Quocirca Universitati vestrae per etc. mandamus quatenus etc. devote suscipiatis et debita honorificentia prosequentes, ei fidelitatem solitam nec non consueta servitia et iura ipsi a vobis debita integre exhibere studeatis, alioquin sententiam etc. observari. Datum Romae etc. ut supra.

Taxa X - V - V - V - V - V - V. Residuum gratis.

De mandato SS.mi. Expedit. decimo Calendas Aprilis, Anno vigesimo nono.

I. Gallo
H. Mattei

979.

Romae, 15 . III . 1874

Solita dispensatio noviter Electi ad Sedem Munkaciensem ab omnibus censuris etc.

ASV, Reg. Lat., vol. 2347, fol. 156-157.

PIUS etc. Dei. Dilecto filio Joanni Pasztelyi, presbytero Munkaciensis dioecesis, salutem, etc.

Apostolicae Sedis consueta clementia ne dispositiones per eam de cathedralibus ecclesiis pro tempore facta possint quomodolibet impugnari, sed personae ad eam promovendae illis puro corde et sincera conscientia praesidere valeant, remedia prout convenit adhibet opportuna. Cum itaque Nos hodie vacanti Eccl. M. ritus Rutheno-catholici etc. de persona tua nobis etc. providere teque illi etc. praeficere intendimus, Nos si forsitan aliquibus sententiis, censuris et penis ecclesiasticis ligatus sis, ne provisio et praefectio huiusmodi possint propterea quomodolibet invalidae reputari consulere volentes, te a quibusvis etc. tenore praesentium absolvimus et absolutum etc. non obstantibus constitutionibus Apostolicis etc. quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam etc. contraire. Si quis autem etc. incursum etc.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Inc. Dom. Millesimo octingentesimo septuagesimo quarto, Idibus Martii, Pontif. Nostri An. vigesimonono. Taxa V et residuum gratis de mandato SS.mi. Expedit. Decimo Cal. Aprilis, Anno vigesimonono.

I. Gallo
H. Mattei

980.

Romae, 15 . III . 1874

Facultas Electo Munkacsiensi conceditur recipiendi consecrationem a quocumque catholico Antistite, emissa prius professione fidei et solito praestito iuramento.

ASV, Reg. Lat., vol. 2347, fol. 157-159.

PIUS etc. Dei. Dilecto filio Joanni Pasztelyi electo Episcopo Munkacsien. salutem etc.

Cum Nos hodie vacanti Ecclesiae M. ritus Rutheno-catholici S. R. E. uniti de persona tua nobis etc. providerimus, praeficiendo te illi in Episcopum et pastorem, curam, regimen etc. committendo, prout in nostris inde confectis litteris plenius continetur, Nos ad ea, quae in tuae commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tibi ut a Sacrorum Antistite gratiam et communionem etc. habentibus, servatis tamen de iure servandis, iuxta proprium ritum et disciplinam munus consecrationis recipere libere valeas, ipsi autem Antistiti, ut recepto prius per eum nostro et Rom. Ecclesiae nomine a te fidelitatis debitae solito iuramento, iuxta formam praesentibus adnotatam, munus ipsum tibi impendere licite possit, Apostolica auctoritate praedicta plenam et absolutam tenore praesentium concedimus facultatem. Volumus autem etc. quod si effatus Antistes iuramento praedicto per eum ante prius non recepto munus huiusmodi tibi impendere, tuque illud recipere temere praesumpseritis, Antistes praedictus a pontificalis officii etc. suspensi sitis eo ipso. Praeterea etiam volumus quod iuramentum per te praestitum perexactum et sine mendis exemplar tui ac praedicti Antistitis subscriptione atque sigillo munitum quantocitius ad Sedem Apostolicam transmittas.

Forma autem iuramenti a te praestandi haec est: Ego Joannes Pasztelyi, electus Episcopus Munkacsien. ab hac hora in antea etc. (*solitum iuramentum, v. aliis vicibus, ut ex. gr. sub data 16.XII.1748*) etc. eo ipso incurere volo. Sic me Deus adiuvet et haec Sancta Dei Evangelia.

Datum Romae apud S. Petrum etc. 1874, Idibus Martii etc. Taxa V, residuum gratis etc. Expedit. decimo Cal. Aprilis, Anno vigesimonono.

I. Gallo
H. Mattei

981.

Romae, 13 . V . 1874

Pius IX de aestimandis conservandisque Ritibus Orientalium Ecclesiarum, praesertim vero de Ritu Rutheno eiusque in Dioecesi Chelmensi arbitraria permutatione deque gestis Pseudoadministratoris eiusdem Eparchiae. Nec non de constantia in fide fidelium.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. VI, pars 2, p. 230-236, nr. 336.

Ad Archiepiscopum Leopoliensem, Haliciensem et Cameneciensem
Ruthenorum aliosque Episcopos eiusdem Ritus gratiam
et communionem cum Apostolica Sede habentes.

PIUS PP. IX. Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Omnem sollicitudinem vel a primis diuturni pontificatus nostri annis adhibuimus atque operam dedimus ad spirituale Orientalium Ecclesiarum bonum procurandum et fovendum, solemniter, inter cetera, declarantes sartas ac tectas religiose servandas et custodiendas peculiare catholicas liturgias, quas pariter Praedecessores nostri maximo in pretio semper habuerunt. Qua porro in re luculentissima sunt quas Clemens VIII tradidit in sua constitutione « *Magnus Dominus* » a. MDXCV, Paulus V in suo Brevi diei X Decembris MDCXV, ac potissimum, reliquis omissis, Benedictus XIV in suis encyclicis litteris « *Demandata* » a. MDCCXLIII, et « *Allatae sunt* » a. MDCCLV.

Cum autem arctissimus existat nexus quo cum dogmaticis doctrinis disciplina praesertim liturgica coniungitur et consociatur, hinc Apostolica Sedes, infallibilis fidei magistra ac sapientissima veritatis custos, vix ac deprehendit « periculosum et indecorum aliquem ritum in Orientalem Ecclesiam irrepsisse, illum damnavit, improbavit eiusque usum ipsi prohibuit ».

Rursus memorata cura illibatas servandi veteres liturgias impedimento non fuit, quominus inter Orientales Ritus adsciscerentur etiam nonnulli ex aliis Ecclesiis accepti, quos, uti ad catholicos Armenos Gregorius XVI, fel. record., scribebat: « Maiores vestri aut quia rectiores visi fuerant, adamarunt, aut tanquam notam ab haeticis schismaticisque eos discernentem aliquo abhinc tempore assumpserunt ». Quapropter, ceu tradit idem Summus Pontifex, « ea regula omnino servanda est qua statuitur, inconsulta Sede Apostolica, in sacrae liturgiae ritibus nihil esse innovandum etiam nomine instaurandi caeremonias, quae liturgiis ab eadem Sede probatis magis conformes esse videantur, nisi ex gravissimis causis et accedente Sedis Apostolicae auctoritate ».

Hisce porro iuris principiis, quae pro universis Orientalis Ritus Ecclesiis sapienti consilio fuerunt sancita, regitur quoque, uti pluries data occasione declaratum est praesertim in superius memorato Brevi Pauli V, liturgica disciplina Ruthenorum, quos non destiterunt Romani Pontifices singulari benevolentiae affectu ac peculiaribus favoribus prosequi, et, vix ac aliquod periculum imminere et eorum fidem in discrimen adduci perspectum est, Apostolica Sedes ad tantum malum avertendum vocem suam absque ulla mora attollere praetermisit. Solemnia adhuc sunt verba, quibus usus est Decessor

noster Gregorius XVI, fel. memor., cum scilicet Ruthenorum natio, ut cuique exploratum est, in asperrima versaretur rerum conditione, qua ipsos ad usque tricies centena millia ex catholicae Ecclesiae gremio miserrime avulsos et hodie lamentamur¹⁰⁶.

Nec pariter Ruthenorum nationi defuit eiusdem Apostolicae Sedis auxilium, cum graves et diuturnae controversiae in ecclesiastica provincia Leopoliensi ob disciplinae et Ritus varietatem atque ob mutuas relationes, quae inter ecclesiasticos viros Latini et Graeci Ritus ibi intercedebant, non absque christianae charitatis detrimento agitabantur, quae conventionem seu concordiam ab Episcopis utriusque Ritus propositam, et die VI Octobris MDCCCLXIII sancitam decreto S. Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis Orientalis Ritus, feliciter fuerunt compositae ac diremptae¹⁰⁷.

Verum miserrima rerum adiuncta, in quibus eadem ecclesiastica provincia, et potissimum finitima Chelmensis dioecesis, in praesentiarum versatur, omnem nostram vigilantiam et sollicitudinem iure ac merito rursus expostulant. Nuperrime siquidem ad nos relatum est, inter istos catholicos Graeco-Rutheni Ritus vel acrem controversiam de re liturgica temerario ausu excitatam esse, ac quosdam existere, licet in clericali ordine constitutos, qui, rebus novis studentes, sacras caeremonias alias immemorabili usu laudabiliter receptas, alias quoque Zamoscenae Synodi, quam Apostolica Sedes probavit, sanctione solemniter confirmatas, proprio lubitu immutare pertentant.

Sed, quod magis Nos angit, et intima aegritudine cor nostrum afficit, est quod recenter accepimus de miserrimo rerum statu quo affligitur Chelmensis dioecesis. Siquidem, recedente eiusdem Episcopo paucis abhinc annis per nos ipsos instituto, et spirituali vinculo cum eadem dioecesi adhuc illigato, quidam pseudo-administrator, quem nos episcopali munere indignum iam pridem indicavimus, minime dubitavit ecclesiasticam iurisdictionem usurpare, cuncta in memorata Ecclesia pessumdare, ac potissimum rem liturgicam canonicè sancitam proprio Marte confundere ac perturbare¹⁰⁸.

Moerentes adhuc prae oculis habemus circulares die XX Octobris anni MDCCCLXXIII editas, quibus infelix ille pseudo-administrator divini cultus exercitium sacramque liturgiam innovare audet, ea plane mente, ut in catholica Chelmensi dioecesi Schismaticorum liturgia inducatur; et, ad rudes ac simplices decipiendos, eosque facilius ad schisma impellendos, ipse non erubescit in medium proferre nonnullas Apost. Sedis constitutiones, earumque sanctionibus in suum sensum detortis fraudulenter abuti.

Porro, quae in praecitatis litteris de re liturgica disponuntur, nulla prorsus ac irrita existere meno est qui non videat, eademque nos nulla et prorsus irrita Apostolica nostra auctoritate declaramus. Imprimis enim memoratus pseudo-administrator quavis ecclesiastica iurisdictione penitus destituitur, quam scilicet nec legitimus Episcopus in suo discessu, nec postea Apostolica Sedes eidem umquam demandarunt; ac proinde ipsum per ostium non in-

¹⁰⁶ U; videtur agitur de Allocutione diei 22.XI.1839. Cfr. supra.

¹⁰⁷ Cfr. supra, sub data 2.III.1863, ubi negotiatio haec innuitur.

¹⁰⁸ Agitur de Marcello Popiel, qui post discessum Episcopi Michaelis Kuziemykyj, annuente Gubernio, Eparchiam hanc administrare cepit eamque ad schisma conducere. Cfr. hac de re nec non de eventibus et documentis in his litteris pontificiis commemoratis ea, quae habet J. PELESZ, *op. cit.* II, p. 862-874.

trasse in ovile ovium, sed ascendisse aliunde, ac veluti intrusum habendum cuique perspectum et exploratum est.

Ad haec sacri Ecclesiae canones antiquos Orientales Ritus legitime inductos religiose utique servandos praecipiunt, cum « praedecessores nostri Romani Pontifices satius consultiusque duxerint, Ritus huiusmodi, qua in parte nec fidei catholicae adversantur, nec periculum generant animarum, aut ecclesiasticae derogant honestati, approbare seu permittere »; at simul ipsi solemniter indicunt, nemini prorsus, hac Sancta Sede inconsulta, fas esse in re liturgica vel leviores innovationes peragere, quemadmodum satis abunde commonstrant Apostolicae constitutiones, quas initio retulimus.

Nec ullius momenti est quod ad fucum faciendum adiiicitur, nimirum liturgicas huiusmodi innovationes proponi, ut Orientalis Ritus expurgetur et ad nativam integritatem restituatur. Quandoquidem Ruthenorum liturgia nulla alia esse potest, nisi quae vel a sanctis Ecclesiae Partibus fuit instituta, Apostolica Sede sive expresse sive tacite semper aprobante; et si quae variationes temporis lapsu in eadem liturgia occurrerunt, eae profecto non inconsultis Romanis Pontificibus et potissimum ea mente invectae sunt, ut huiusmodi Ritus a quavis haeretica et schismatica labe eximerentur, atque ita catholica dogmata ad incolunitatem fidei tuendam, et bonum animarum promovendum, rectius et clarius exprimerentur. Quocirca sub dolosa specie Ritus expurgandi, eosque in integrum restituendi, nihil aliud intenditur, nisi parare insidias fidei Ruthenorum Chelmensium, quos ab Ecclesiae catholicae gremio distrahere et haeresi ac schismati devovere perditissimi homines adnituntur.

Sed acerbissimas inter, quibus undique premimur, angustias nos reficit ac recreat praeclarissimum et plane heroicum fortis et constantis animi spectaculum nuperrime Deo, Angelis et hominibus oblatum a Chelmensis dioeceseos Ruthenis, qui iniqua pseudo-administratoris mandata reiicientes, mala quaeque perpeti atque ipsam vitam in extremum discrimen maluerunt adduci, quam avitae fidei iacturam facere et catholicos dimittere ritus, quos ipsi ab eorum maioribus receperunt et incorruptos ac illibatos se perpetuo servaturos conclamarunt.

Nos autem Deum omnibus precibus orare non intermittimus, ut dives in misericordia lumen gratiae suae in corda eorum, qui omne contra fas Chelmensem dioecesim divexant, clementer effundat, ac simul miseris illis fidelibus omni prorsus auxilio et spirituali regimine destitutis potentem suam opem afferat, et optatae tranquillitatis solatium acceleret.

Post haec vos, Venerabiles fratres, qui tanto studio ac singulari zelo demandatam Ruthenorum curam suscepistis, etiam in Domino hortamur, ut liturgicam disciplinam ab Apostolica Sede probatam, vel eadem sciente et non contradicente invectam, religiose tueamini, quavis innovatione penitus interdicta, et accuratam sacrorum Canonum hac in re editorum, ac potissimum Zamoscenae Synodi, custodiam parochis atque sacerdotibus vel per severissimas, si opus fuerit, poenarum sanctiones praecipendam curetis.

Agitur enim de re gravissima, videlicet de salute animarum, cum illegitimae innovationes catholicam fidem et sanctam Ruthenorum unionem in summum discrimen adducant. Quamobrem nulli curae, nulli labori parcendum est, nihilque intentatum relinqui debet, quo universae in re liturgica perturbationes istic a pravis hominibus excitatae vel ab eorum primordiis

penitus comprimantur; quibus muneribus fortiter et suaviter obeundis vos, Venerabiles fratres, Dei opitulante gratia, minime defuturos confidimus.

Quod ut feliciter contingat, Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles fratres, et gregibus cuiusque vestrum curae concreditae peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annullo Piscat., die XIII Maii MDCCCLXXIV, Pontificatus Nostri Anno XXVIII.

982.

Romae, 14 . IX . 1875

Pontificalium usus conceditur duabus primis dignitatibus Capituli Metropolitanitani Leopoliensis.

Ruskij Sion, Leopoli V (1875), nr. 19, p. 587-8.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. VI, pars 2, p. 274-275, nr. 530.

PIUS PP. IX. Ad futuram rei memoriam.

Tempus in quo versamur maxime postulat, ut ea ultro concedamus quae ad augendam clero dignitatem facere possunt. Itaque cum Ven. frater Iosephus Sembratowicz, Archiepiscopus Leopoliensis Ritus Graeci - Rutheni, Nos nuper oraverit pontificalium usum eo quidem modo ac forma quibus Archimandritae Basiliani exercere illa consueverunt, duabus primis dignitatibus Metropolitanitani sui Capituli Leopoliensis, Nos cum Venerabilibus fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus Congregationis Fidei Propagandae pro negotiis Ritus Orientalis, mature re communicata, seduloque perpensa memorati Ven. fratris Iosephi annuendum votis, quibus Metropolitanitani templi et sacrarum caeremoniarum splendori ac maiestati prospicitur, existimavimus. Quae cum ita sint, singulos atque universos quibus nostrae hae litterae favent, ab quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrent, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, pontificalium usum duabus primis dignitatibus metropolitanitani Capituli Leopoliensis Ruthenorum de Venn. Patrum Cardinalium, quos supra nominavimus, consilio, auctoritate nostra Apostolica, hisce perpetuo valituris litteris decernimus atque elargimur, ad normam tamen decreti Congregationis Venn. fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium sacris Ecclesiae Ritibus praepositorum a Pio VII, Predecessore nostro, recolendae memoriae, approbati, per Constitutionem IV Nonas Julias anni MDCCCXXIII datam, quam quidem, Constitutionem tamquam hic insertam et ad verbum expressam haberi mandamus.

Decernimus porro praesentes nostras litteras firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eisdem primis dignitatibus eorumque successoribus, hoc futurisque temporibus, plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios ac S. Ecclesiae Romanae Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctori-

tate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus fel. record. Benedicti XIV, Praedecessoris nostri, super divisione materiarum aliisque constitutionibus Apostolicis caeterisque contrariis quibuscunque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscat., die XIV Sept. MDCCCLXXV, Pontificatus Nostri Anno XXX.

983.

Romae, 14 . IX . 1875

Facultas gestanti pileos Clero Archicathedrali Leopoliensi conceditur.

Ruskij Sion, Leopoli V (1875, nr. 19, p. 588-589.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. VI, pars 2, p. 275-276, nr. 531.

PIUS PP. IX. Ad futuram rei memoriam.

Ex more institutoque Romanorum Pontificum, Praedecessorum nostrorum, ecclesiasticis viris, iisque praesertim qui conspicuis in templis cultui divino vacant, peculiaria ac propria decernimus ornamenta, si alicuius momenti rationes id suadere videantur. Cum itaque Venerabilis frater Iosephus Sembratowicz, Archiepiscopus Leopoliensis Graeco-Rutheni Ritus, nos nuper facultatem oraverit utendi in divinis officiis pileolo demisso et rotundo violacei coloris, cum aurea cruce, Metropolitanani sui capituli Canonici, nigri vero coloris curato eiusdem cathedralis ecclesiae clero, ad cavendos morbos, et alia removenda incommoda quae ex aeris inclementia et brumae rigore obvenire ibidem solent, Nos, mature re communicata cum Venerabilibus fratribus nostris S. R. Ecclesiae Cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei pro negotiis Ritus Orientalis, memorati Venerabilis fratris Iosephi votis annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, singulos atque universos, quibus nostrae hae litterae favent, ab quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, de consilio Patrum Cardinalium, quos supra nominavimus, ut Canonici Metropolitanani templi Leopoliensis Ruthenorum usu fruantur in divinis officiis pileoli demissi ac rotundi violacei coloris, cum aurea cruce, nigri vero coloris curatus eiusdem templi clerus, hisce perpetuo litteris Apostolica nostra auctoritate concedimus.

Decernentes praesentes litteras nostras firmas, validas et efficaces fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos pertinent pertinuerintque, hoc futurisque temporibus plenissime suffragari; sicque in praemissis per quoscunque iudices ordinarios et delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, Sedis Apostolicae Nuntios, S.R.E. Cardinales, etiam de latere Legatos, sublata eis et eorum cuilibet quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et auctoritate, iudicari et definiri debere, ac irritum et inane, si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus, quatenus opus

sit, Benedicti XIV, Praedecessoris nostri, recolendae memoriae, super divisione materiarum, aliisque constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscat., die XIV Sept. MDCCCLXXV, Pontificatus Nostri Anno XXX.

984.

Romae, 8 . III . 1876

Pius IX consolatur fidelitate et constantia fidelium Metropoliæ Haliciensis, tristi nuntio accepto de eventibus in Eparchia Chelmensi.

DE MARTINIS R., *op. cit.*, vol. VI, pars 2, p. 288-289, nr. 540.

Ad venerabilem fratrem Iosephum, Archiepiscopum Leopoliensem, Haliciensem et Cameneciensem Ruthenorum¹⁰⁹.

PIUS PP. IX. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Pervenerunt ad Nos, una cum tua epistola die XXII elapsi Decembris data, litterae, quas plenas filiali affectu et pietate erga Nos et Sanctam hanc Sedem capitulares istius Archidioeceseos Leopoliensem, Provinciales Ordinis S. Basilii M., Superiores utriusque tui Seminarii cum alumnis, doctores et professores sacrae theologiae in ista universitate, Rector rutheni gymnasii, catechistae ad scholas publicas, commissarii ordinariatus, decani et clerus curatus cum aliis fidelibus ad nos per tuam interventionem mittere voluerunt. In gravi amaritudine qua affecti sumus ob miseram defectionem ad orientale schisma dioeceseos ruthenae graeco-catholicae Chelmensis, nihil nobis gratius esse potuit quam optimi et nobiles sensus, quos praedicti omnes in suis litteris expresserunt, declarantes nobis intimum dolorem suum ex nefaria illa apostasia susceptum, et profitentes nihil sibi potius et antiquius esse quam ut, Deo auxiliante, una cum fidei populo in Ecclesiae catholicae fide et in communiōne cum hac Apostolica Sede stabiles et immoti usque ad extremum spiritum permaneant, et de iis maximis ac salutaribus bonis partecipient, quae in vera Christi Ecclesia et in catholica unitate inveniuntur. Facere non possumus, Ven. frater, quin hanc eximiam voluntatem, quae magnam nobis consolationem attulit, impensissime in Domino commendemus, et gratiam agamus Deo de eorum fidei firmitate et eorum professionis concordia, quae in magnam ipsorum laudem cedit, et super ipsos divinae benignitatis largitatem conciliat. Quo magis autem eorum declarationes nobis iucundae extiterunt, et quo maior est temporum atque hominum perversitas, eo maiori studio praedictos dilectos filios hortamur, ut sese constanter ac fideliter bonos ministros Christi Iesu, enutritos verbis fidei et bonae doctrinae, quam assecuti sunt, ostendant, ac ad salutem fidelis populi suum zelum diligenter adhibeant, quo

¹⁰⁹ Litterae hae datae fuerunt Archiepiscopo Metropolitano Leopoliensi, tristi nuntio accepto de apostasia et schismate in Eparchia Chelmensi, duce Marcello Popiel, eiusque asseclis, adiuvante brachio saeculari. Cfr. hac de re testimonium contemporaneum JULIANI PELESZ, in *Geschichte de Union de ruthenischen Kirche mit Rom*, vol. II, p. 862-874.

olim probatio eorum fidei multo pretiosior auro quod per ignem probatur, inveniatur in laudem et gloriam et honorem in revelatione Iesu Christi. Dum vero nos miserrimam desertorum catholicae unitatis sortem deploramus, qui in suam perniciem impia consilia inierunt, minime cogitantes nihil prodesse homini si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiantur, vehementer cupimus ut tu, Ven. frater, una cum tuo clero et fidelibus preces vestras nostris adiiciatis, a Deo enixe rogantes ut rebelles Ecclesiae filios ad poenitentiam adducat et vos propitius semper sua gratia confortet, ut praesidio, consolationi et gloriae in ista regione Ecclesiae Dei esse feliciter valeatis. Tibi autem committentes, Ven. frater, ut omnibus dilectis filiis qui ad nos scripserunt nostra haec sensa communicates, Apostolicam benedictionem in auspiciis omnis caelestis auxilii et omnium gratiarum tibi ac praedictis omnibus in communionem huius Apostolicae Sedis manentibus, cunctisque fidelibus tuae curae concreditibus, peramanter et toto cordis affectu impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscat., die VIII Martii MDCCCLXXVI, Pontificatus Nostri Anno XXX.

985 - 990.

Romae, 3 . IV . 1876

Provisio Ecclesiae Prjašivensis in persona Nicolai Toth.

ASV, Reg. Lat., vol. 2352, fol. 337v-338v.

PIUS etc. Dilecto filio Nicolao Toth¹¹⁰, electo Episcopo Eperjessiensis, salutem etc.

Apostolatus officium etc. gubernare. Cum itaque episcopalis Ecclesia Eperjessiensis ritus Graeco-catholici, quae Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensis est suffraganea, et ad quam dum illa pro tempore vacat nominatio personae idoneae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad carissimum in Chr. fil. nostrum Franciscum Josephum hoc nomine Primum, Austriae etc. derogatum spectare et pertinere fore dignoscitur, et cui ho.mem. Josephus Gaganetz, ultimus illius Episcopus, praesidebat, per obitum dicti Josephi Episcopi, qui extra Rom. Curiam debitum naturae persolvit, vacaverit et vacat ad praesens, cumque memoratus Franciscus Josephus Imperator et Rex ad vacantem Ec. Eperjessien. praedictam te ex legitimis graeco-catholicis honestisque parentibus Munkacsien. progenitum et in tertio super quadragesimum aetatis tuae anno constitutum, iamdiu Praesbiterum et in Sacra Theologia doctorem ac Munkacsiensis Cathedralis Canonicum per suas litteras nominaverit, Nos perspectum habentes te qui curae animarum aliquando addic-

¹¹⁰ Nicolaus Toth, Episcopus Prjašivensis (1876-1882). Natus die 13.VIII.1833 in Munkačevo, ordinatus sacerdos die 18.XII.1857. Dein in Collegio S. Augustini, Viennae, laurea doctorali in S. Theologia donatus. Postea Professor S. Theologiae in Universitate Budapestina, Canonicus Munkacsiensis (1873) et Rector Seminarii Užhorodensis. Die 16.I.1876, nominatus Ep., die 3.IV.1876 confirmatus, et die 21 Maii 1876 consecratus Episcopus ab Episcopo Munkacsiensis Joanne Pasztelyi. Obiit anno 1882, die 21 Maii. Cfr. J. PELESZ, *op. cit.*, II, p. 1053-1054; *Schematismus dioeceseos Prešovensis* an. 1944, n. 13-14.

tus in Seminario Ungvariensi Director spiritualis indeque Professor adlectus ad Cathedram Theologiae moralis penes Hungaricam Universitatem ac denique Seminarii Munkacsensis Rector renuntiatus fuisti in ecclesiasticis Ecclesiae functionibus obeundis solertem animum applicuisti ac de cuius doctrina, pravitare, prudentia, morum etc. perhibentur, quique ad effectum infrascriptae praefectionis fidei catholicae professionem iuxta formam a sa.mem. Urbano Papa Octavo, Praedecessore nostro, Orientalibus praescriptam expresse emisisti, dictae Eccl. E. illiusque gregi Dominico esse potes valde utilem, Ap. auctoritate tenore praesentium vacanti ipsi Eccl. Eper. de persona tua nobis etc. providemus teque illi in Episcopum et pastorem etc. plenarie committendo, in Illo qui dat gratias etc. suscipiet incrementa. Iugum igitur Domini etc. Volumus autem quod Canonicatus quem in Munkacsensi Cathedrali ad praesens obtines per provisionem et praefectionem nostras huiusmodi vacet eo ipso. Volumus etiam quod Capitulum Cathedralis Eper. de Canonico Theologo ac Poenitentiario ad Sacrosancti Tridentini Concilii praescriptum provideri cures, conscientiam tuam desuper onerantes.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarn. Dominicae Millesimo octingentesimo septuagesimo sexto, tertio Nonas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno trigesimo.

L. Nina
J. Gatto

Simili modo.

IBIDEM, fol. 338v-339.

PIUS etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi, salutem etc.

Ad cumulum etc. Hodie siquidem vacanti Ecclesiae Eperiessensi etc. plenius continetur (*cf. ex gr. sub data 15.III.1874*). Cum igitur effato Nicolao, Electo, ut in commissa etc. habeas pro nostra et Sedis Apostolicae reverentia etc. uberius promoveri. Datum Romae etc. ut supra.

Simili modo.

IBIDEM, fol. 389.

PIUS etc. DD. FF. Capitulo Cathedralis Eccl. Eperjessien. salutem etc. Hodie Nos Ecclesiae etc. plenius continetur. Quocirca discretioni vestrae etc. observari. Datum etc. ut supra.

Simili modo.

IBIDEM.

PIUS etc. Dilectis filiis Clero civitatis et dioecesis Ep. salutem etc. Hodie Nos etc. continetur. Quocirca discretioni vestrae etc. observari. Datum Romae etc. ut supra.

Simili modo.

IBIDEM.

PIUS etc. DD.FF. Populo civ. et dioec. Ep. etc. Hodie etc. continetur. Quocirca universitati vestrae etc. gaudeatis. Datum Romae etc. ut supra.

Simili modo.

IBIDEM., fol. 339rv.

PIUS etc. DD. FF. Universis Vassallis episcopalis Eccl. Eperjessien, salutem etc. Hodie etc. continetur. Quocirca universitati vestrae etc. observari. Datum Romae etc. ut supra.

Taxa gratis de mandato SS.mi. Expedit. tertio Idus Aprilis Anno trigesimo.

L. Nina

J. Gallo

991.

Romae, 3 . IV . 1876

Absolutio Electi Prjašivensis ab omnibus censuris vel aliis poenis ecclesiasticis.

ASV, Reg. Lat., vol. 2352, fol. 339-340.

PIUS etc. D. filio Nicolao Toth, Praesbytero Munkacsiensi, Sacrae Theologiae Doctore, salutem etc.

Apostolicae Sedi consueta clementia etc. opportuna. Cum itaque Nos hodie vacanti episcopali Ecclesiae Ep. Ritus Graeco-catholici de persona tua etc. proficere intendamus, Nos si forsitan etc. te a quibuslibet excommunicationis, suspensionis et interdicti aliisque ecclesiasticis etc. absolvimus et absolutum fore nuntiamus. Non obstantibus etc. quibuscumque. Nulli ergo etc. Si quis autem etc. incursum.

Datum Romae etc. 1876, tertio Nonas Aprilis, Pont. Nostri An. trigesimo.

Taxa gratis de mandato SS.mi. Exped. tertio Idus Aprilis, etc.

L. Nina

J. Gallo

992.

Romae, 3 . IV . 1876

Facultas recipiendi consecrationem episcopalem a quocumque catholico Episcopo Nicolao Toth conceditur.

ASV, Reg. Lat., vol. 2352, fol. 340rv.

PIUS etc. D. f. Nicolao Toth, electo Episcopo Eperiessensi, salutem., etc.

Cum Nos hodie vacanti Ecclesiae Eperjessensi etc. continetur (*cf. ex gr. sub data 15.III.1874*). Nos ad ea, quae in tuae commoditatis etc. assistentibus in hoc duobus aliis catholicis Archiepiscopis vel Episcopis etc. iuxta proprium ritum et disciplinam munus consecrationis etc. valeas. Ipsi autem Antistites etc. ut accepto... solito iuramento. Volumus autem etc. quod si dictus Antistes iuramento etc. non suscepto etc. suspensi sitis eo ipso. Praeterea autem volumus quod iuramentum a te etc. Forma autem iuramenti etc. Ego etc. ab hac hora in antea etc. Evangelia. Datum Romae etc. ut supra.

993.

Romae, 3 . IV . 1876

Imperatori Austriae litterae dantur occasione provisionis Ecclesiae Prjašivensis.

ASV, Reg. Lat., vol. 2352, fol. 340rv.

PIUS etc. Carissimo in Christo filio nostro Francisco Josepho etc. salutem etc. Gratiae divinae etc. impendatur. Hodie siquidem etc. plenius continetur (cfr. ex gr. sub data 15.III.1874). Itaque, fili carissime, cum sit virtutis opus etc. proveniat actio gratiarum.

Datum Romae etc. 1876, tertio Nonas Aprilis etc.

Taxa gratis de mandato SS.mi. Exped. tertio Idus Aprilis etc.

L. Nina
J. Gallo

994.

Romae, 13 . VI . 1876

Responsum Pii PP. IX professoribus facultatis theologiae universitatis Leopoliensis, trigesimo Pontificatus anno felicitationes suas Pontifici exhibentes.

Ruskij Sion, Leopoli V (1876), nr. 15, p. 473-5.

PIUS PP. IX. Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

Inter filiorum nostrorum officia undique nobis exhibita cum primum et tricesimum attigimus Pontificatus annum, illud potissimum Nos recreavit, quod unanimum ostenderent fiduciam victoriae in saeviente adversus Ecclesiam bello; praecipuamque simul praeferrent in Apostolicam hanc Sedem observantiam, impensiori studio coniunctam adhaerendi ipsi fideliter in tanto discrimine. Prius enim cum fidem confirmet divinis debitam promissis, erigatque propterea animos ad sustinendos tam diuturni difficilisque certaminis labores, peropportunum profecto et auspiciatissimum accidit pugnantibus; alterum vero, quo plenius et arctius singulas ecclesias earumque Pastores et greges obstringit huic cathedrae veritatis magistrae, unitatis catholicae centro, et immobili fundamento totius Ecclesiae a Christo posito, eo efficacius a singulis avertit insidiarum periculum, divinamque illam omnibus virtutem confert, a qua semper profligabuntur et conterrentur errores.

In vobis igitur, qui stationes castris hostium proximiores tenetis, et in iugi ferme cum illis conflictu versamini, nobiles huiusmodi sensus pretiosiores visi sunt nobis; eo vel magis, quod instituendo succrescenti Clero, ut estis, addicti, vestrum sit non modo praeliari, sed novos fingere ad pugnam milites; qui profecto, si ita in visibile Ecclesiae Caput fuerint affecti, nec insidias verebuntur, nec vim, sed constanter invicteque pro religione et iustitia pugnabunt. Vos certe non latet, quanti id intersit, qui videtis, eo praesertim spectare schisma, ut suadeat, non gravia inter catholicam et schisma-

ticam doctrinam intercedere discrimina, quae reapse dogmata attingant et fidem, sed ea potius, quae in rerum specie modoque consistant. Et quod spectat Primatum Romani Pontificis, praerogativam hanc non ad intrinsecam constitutionem Ecclesiae rationem pertinere, sed ad extrinsecam quandam dumtaxat eius formam et ordinationem, quae certe fidem non afficiat. Nempe, ut animi sensim avocati a debita divino eidem Primatui devotione et observantia, ac adducti ad eius mandata et monita negligenda et contemnenda, facile ad Schismaticorum partes trahantur.

Vos ergo quibus compertum est, unum a Christo constitutum fuisse supremum Magistrum et Rectorem Ecclesiae, a quo fons unitatis derivaretur in omnes quotquot sunt in orbe fideles, ut omnes in unum cum ipso cogerentur, unaque semper servaretur Ecclesia, nequitis non animadvertere diligentissime doctrina, monitis, exemplo committendum esse vobis, ut vera et accurata Pontificii Primatus notio debitique eidem obsequii eo altius mentibus et cordibus alumnorum vestrorum insideat, quo subtiliores et periculosiores adhibentur ad ipsos pervertendos artes, qui versutius isti modo gratia urgentur, modo potentia ac metu.

Verum cum huiusmodi studio vobis obvium esse spontaneumque demonstrant pie religioseque litterarum vestrarum significationes, non modo supervacaneum ducimus addere calcaria currentibus, sed gratulandum potius censemus vobis, et gratias agendas Deo, quo in tanto regionum istarum discrimine, fidem vestram filialemque in hanc Apostolicam Sedem dilectionem et observantiam sic confirmaverit et foverit, ut non vestrae tantum saluti prospicere valeatis, sed et latius eam operari inter periclitantes variorum Rituum catholicos.

Nova semper idcirco vobis adprecamur gratiae coelestis auxilia et incrementa, gratique officiis vestris Apostolicam benedictionem superni favoris auspiciem et paternae nostrae benevolentiae pignus vobis singulis, dilecti filii, et alumnis vestris peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die 13 Julii anno 1876, Pontificatus Nostri Anno tricesimo primo.

995.

Romae, 8 . XI . 1877

Breve Pii P.P. IX Nuntio Apostolico Viennensi, Jacobini, quo respondetur eius relationi de visitaione sua canonica in Galicia peracta.

Ruskij Sion, Leopoli VII (1877), nr. 23, p. 709-711.

PIUS PP. IX. Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem.

Qui in tam perplexa et trepida religiosarum rerum conditione nihii iucundius habemus nihilque pretiosius constantia fidei in populis, liberisque et publicis eius significationibus, mirifice recreati fuimus ab epistula tua, Venerabilis frater, qua graphicae pietos exhibebas potius quam descriptos honores huic Petri Sedi delatos, in te Nos referente, dum Gallacciam lustrabas, et qua singula commemorabas loca et peculiaria factorum adiuncta unum-

quemque recenseas e Praesulibus, Clero, Proceribus, populo, qui splendida ista ediderunt devotionis testimonia. Quod sane gaudium nostrum cumulatam praeterea fuit a propensa, quam commendasti, voluntate civium, auctoritatum erga catholicorum studia, siquidem id et debitam religioni populi observantiam in illis testantur, et docet sapienter ipsas existimare, favorem Religioni Catholicae impensum, ubi ipsa viget, demulcere populum, et in magnum cedere publicae rei emolumentum, cuius prosperitati concordia sacrae civilisque potestatis summopere conferunt.

Eventu suavissime affecti, et praeclara ista religionis nostrae sanctissimae gloria delectati, non universis dumtaxat, sed et singulis, sive e sacris Pastoribus, sive e Clero saeculari et regulari rutheno, latino, armeno, sive ex Universitatibus piisque Consociationibus, sive e Proceribus et populo testari desideravissetis paternam laetitiam, gratulationes ac pergratos animi nostri sensus. At quoniam id fieri nequit, desiderium nostrum tibi, Venerabilis frater, committimus, ut aptiore, qua poteris, ratione, quod sentimus universis patefacere valeas, Leopoliensibus itaque Venerabilibus fratribus: Rutheno, Latino, et Armeno nec non Premisliensibus: Latino et Rutheno, simulque Vicario Apostolico Cracoviensi significa iucunditatem nobis partam ab unanimi omnium obsequio et amore erga Sanctam hanc Sedem tam luculenter prodito, et auctam etiam a publico testimonio, quo studium istud praeclarissimum coniunctionis cum nobis asserere voluerunt Leopoliensis et Premisliensis rutheni Praesules eorumque Clerus, non modo praesentem devotionem suam diserte declarantes, sed et nobile propositum fidei et obedientiae vinculum, quo Supremo Ecclesiae Capiti devinciuntur. Quod sane dum piam praefert caritatis vicem nobis relatum pro paternis, qua iis impendimus, curis, futurae simul eorum constantiae pignus exhibet inter increbrescentia quotidie pericula, in quibus Nos certe eis opem ferre non cessabimus.

Et hic quidem felix perfectusque consensus omnium, quanti faciendus sit in unitatis catholicae decus clarissime patuit in honoribus tibi, veluti Nuntio nostro Apostolico, delatis per confertissimam et unanimum populi diversorum rituum ad te confluentis undique frequentiam, per occursum Episcoporum et Cleri, per iugem Procerum assestationem, per plausus, per salutationes conviviales, per nocturnas aedium et urbium illustrationes. Et haec omnia a religioso reapse sensu processisse demonstravit Staraviesense Sanctuarium in Deiparae solemnibus, in quibus nescias quid magis mireris, an confluentium undique populorum frequentiam, an divini verbi audiendi studium, an religiosissimam animorum comparisonem in sacris exercitiis obeundis, an impensum sacramentorum desiderium ne ipsa quidem diuturna inedia deiectum, cui centum sacerdotes satisfacere nequibant, an demum perfectissimam illam diversorum rituum in re peragenda concordiam, quae in caeteris omnibus significationibus eluxerat. Semper equidem praecipua Poloniae laus fuit integritas fidei ac absoluta huic Petri Sedi devotio; unde, benedicente Deo, decus et incrementa sibi alias accessisse meminit, et nunc in adversis virtutem calamitati parem caelitus sibi largiri experitur.

Gratulamur itaque tibi, quod tantam religionis nostrae sanctissimae gloriam cominus aspicere potueris, sed magis etiam gratulamur, quod eiusdem religionis negotia favenda provehendaque missus, non pontificalia tantum solemnibus tibi celebranda duxeris, sed saepe quoque prospiciendum animabus

per sacramentorum administrationem, posthabito quovis incommodo et ipsius valetudinis discrimine; praesertim, ubi effeto et laboranti Episcopo sub pluvio coelo succedens confertissimis fidelibus sacram contulisti Confirmationem.

Benedicat Deus isti regioni, benedicat sacris eius Pastoribus, benedicat Clero populoque, confirmet eorum fidem, foveat concordiam, vires sustentet inter difficultates, universosque supernis augeat muneribus suis. Sit autem omnibus et iis nominatim qui se a nobis benedici postularunt, coelestis favoris auspex Apostolica benedictio, quam tibi, Venerabilis frater, singulis Gallaeciae Praesulibus totique Clero eorum et populo peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Petrum, die 8 Novembris 1877, Pontificatus Nostri Anno tricesimo secundo.





Ex opere musivo in Basilica S. Pauli
Romae

LEO XIII
(20.II.3.III.1878 — 20.VII.1903)

a n a g n i n u s
(Joachim Pecci)

DOCUMENTA LEONIS P P. XIII

996.

Romae, 28 . II . 1878

Provisio Ecclesiae tit. Juliopolitanae in persona Sylvestri Sembratovyč, designati Coadiutoris Eccl. Metropolitanae Leopoliensis.

SECRET. BREVIUM, *Bullae*, Leo XIII, vol. I, fol. 163-164, nr. 251.

Provisio Ecclesiae Juliopolitanae in p. inf. pro Electo
absente professo in Auxiliarem deputando cum indulto
non accedendi.

LEO EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Silvestro Sembratowicz¹¹¹,
Electo Juliopolitano., salutem etc.

Apostolatus officium, meritis licet imparibus, nobis etc. gubernare. Dudum siquidem etc. attentare. Postmodum vero episcopalis Ecclesia Juliopolitana sub Archiepiscopatu Amgrano, quae in partibus infidelium consistit, et cui Ven. frater noster Antonius Doumer utlimus illius Episcopus etc. destituta, Nos vacatione huiusmodi etc. diligentem. Verum ad te, de legitimo matrimonio ex catholicis honestisque parentibus in pago Desznica, Dioecesis Praemisliensis Galiciae Austriacae progenitum et in quadagesimo sexto tuae aetatis anno constitutum, qui inter Alumnos Potificii Collegii S. Athanasii graeco-rutheni Romae adscriptus ibique praesbiteratus ordine et doctorali laurea dudum donatus in ecclesiasticis obeundis functionibus te laudabiliter exercuisti, in Galicia Austriaca in animarum cura aliquando addictus et vel Cathechistam scholarum nationalium vel Monialium S. Basilii Magni penes monasterium Slovitae Cappellanum agens ibique Vŕisitor adlectus, Leopoli in Seminario Generali Clericorum Ruthenorum studiis praefectus, et inter Examinatores Pro-synodales adnumeratus, Assessor atque Consiliarius iudicii ecclesiastici matrimonialis renuntiatus, apud Caesareo-Regiam Universitatem Leopoliensem pro Alumnis utriusque ritus graecorutheni atque latini theologiae dogmaticae Professoris munere ad praesens perfunctus, quique fidem catholicam iuxta articulos iam pridem etc. (f. 165) professus es, et de cuius doctrina etc. perhibentur, direximus oculos etc. pensatis, te a quibusvis etc. censentes, Ecclesiae Juliopolitanae praedictae de persona tua, quae nobis etc. committendo, ad hoc ut Ven. quoque fratri nostro Josepho Sembratowicz, Archiepiscopo Rutheno-

¹¹¹ Sylvester Sembratovyč, dein Metropolita Leopoliensis (1885-1898) et Cardinalis S.R.E. (1895-1898). Natus an. 1836. Professor ordinarius S. Theologiae in Universitate Leopoliensi. Anno 1878 Ep. tit. Juliopolitanus. Dein an. 1882 Administrator Metropoliae Leopoliensis usque ad annum 1885, quo anno translatus est ad hanc Sedem. Anno 1895 in Consistotio diei 29 Novembris promotus Cardinalis S.R.E. Obiit anno 1898. Cfr. infra.

rum Leopoliensi et Haliciensi in pontificalibus exercendis allisque pastoralibus muneribus ritu graeco-rutheno obcundis illis in civitatibus et Archidioecesibus auxilio esse possis, ita tamen ut de consensu tantum et licentia praedicti Josephi Antistitis in ipsis civitatibus et Archidioecesibus pontificalia exercere et alia episcopalia munia obire possis, iuxta decretum Congregationis Consistorialis a nobis approbatum Apostolica auctoritate praedicta ipsorum (f. 164) tenore praesentium constituimus et deputamus in Illo qui dat gratias etc. suscipiat incrementa.

Iugum igitur Domini etc. consequi merearis. Atque ad ea quae in tuae commoditatis etc. accitis et in hoc sibi assistetibus duobus vel tribus aliis catholicis Archiepiscopis vel Episcopis similes etc. ac eidem Antistiti, ut recepto prius per eum a te nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae solito iuramento, iuxta formam etc.. Volumus autem... quod nisi recepto a te per ipsum Antistitem iuramento etc. suspensi sitis eo ipso. Volumus denique quodque formam iuramenti etc. destinare procures. Et insuper tibi, ut ad dictam Ecclesiam Juliopolitanam... accedere... minime tenearis, de specialis dono gratiae etc. indulgemus.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno etc. Millesimo octingentesimo septuagesimo octavo, pridie Kalendas Martii, Pontificatus Nostri Anno primo.

997.

Romae, 12. V. 1882

Bulla Leonis PP. XIII, qua Ordo Basilianorum in Galicia reformatur.

Acta Leonis PP. XIII, vol. III, p. 58-68.

Ed. separata, Romae 1882, die 12. V.

Constitutiones Congregationis Ruthenae Ordinis S. Basilii M., Zowkwa 1910, p. 3-21.

SANCTISSIMI DOMINI NOSTRI LEONIS DIVINA PROVIDENTIA PAPAE XIII APOSTOLICAE LITTERAE DE ORDINE S. BASILLII M. RUTHENAE NATIONIS IN GALICIA REFORMANDO.

LEO PP. XIII. Ad futuram rei memoriam.

Singulare praesidium et decus semper Ecclesia catholica sibi sensit accedere eorum hominum opera, qui christianam sanctitatis officiique perfectionem expetentes, humanis rebus generosa quadam alacritate dimissis, sese Iesu Christo dicavissent. Qui etsi principio quidem semota a civitatibus loca liberius Deo vacaturi incolerent, rationemque aetatis degendae clericalium munerum expertem mallent, postea tamen, proximorum caritate et quandoque Episcoporum etiam auctoritate compulsi, in urbes concedere et sacerdotalium munerum officia suscipere non recusarunt. — Mirifice inter hos vel a primis Ecclesiae saeculis effulsit magnus ille Basilius Caesareae in Cappadocia Episcopus, theologus idemque orator cum paucis comparandus, qui non modo ad omnem virtutis laudem ipse contendit, sed ad imitationem sui vocavit plurimos, quos sapientissimis praeceptis institutos ad communem religiosae vitae disciplinam in coenobia congregavit. Ii vero poenis voluntariis et labori assuefacti in divinas laudes sacrarumque doctrinarum studia disper-

liebant utiliter tempora; atque his artibus cum alia multa assecuti fuerant, tum illud praecipue ut rem christianam valerent et virtute sua illustrare et, ubi opus esset, data opera, defendere. Quamobrem quo tempore praeclarus ille virorum religiosorum Ordo Photiana clade interiit, fons utilitatum non exiguus una secum exaruit. Verum ubi primum, receptis denuo in Ecclesiam catholicam Ruthenis, ille revixit, et in dignitatem pristinam revocatus est admitente Sancto Iosaphato Archiepiscopo Polocensi, martyre invicto, eodemque eius Ordinis alumno, tunc Rutheni revirescentis sodalitiis celeriter sensere operam. Eius enim sodalibus id maxime erat propositum, conservare Ruthenorum cum Ecclesia Romana coniunctionem, plebem erudire, in iuventute instituenda elaborare, parochialia munera gerere, cunctis demum officiis, quae ad excolendos animos pertinent, perfungi, praesertim si Cleri saecularis aut numerus aut industria temporibus impar extitisset. Quibus illi de causis tantum sibi apud omnes benevolentiae conciliarant, tantum opinionis et gratiae, ut nonnisi ex Basilianis legerentur, qui vel Episcopi vel Archimandritae fierent¹¹². In Zamoscena synodo Ruthenorum provinciali, cuius Apostolica Sedes decreta confirmavit, cautum fuerat, ut nemo esse Episcopus posset, quin institutum Basilianum professus esset, nemo autem profiteri, quin intra monasterii septa annum probationis regularis et sex hebdomadas ad leges et consuetudines sancti Basilii exegisset¹¹³. Itaque non solum Episcopi Ruthenorum sed etiam Pontifices Romani, Decessores Nostri, sodalitatem Basilianam magno in honore habuerunt, meritisque laudibus prosecuti et praecipua cura complexi sunt; eam quippe probe noverant, Ecclesiae catholicae maxime apud Ruthenos et antea plurimum profuisse et posterum non minus profuturam. De Clemente VIII¹¹⁴ et Gregorio XIII¹¹⁵ satis constat, quantum in ornandis Basilianis operae studiique collocarint: quos ipse Benedictus XIV¹¹⁶ et recentiore memoria Pius VII¹¹⁷ singularibus verbis commendarunt. His vero loculentum postremo tempore accessit testimonium f. r. Pii IX¹¹⁸ iis consignatum literis Apostolicis, in quibus B. Iosaphato sanctorum caelitem solemnes honores cernebantur.

Sed pristina monasteriorum coniunctione dirempta, Ordinem iampridem florentissimum variis debilitatum casibus humanae infirmitatis incommoda non parum affligere: idque maxime per hanc aetatem, cum in tanta opinionum insania et corruptela morum passim doctrina catholica in invidiam voeetur. Abductis praeterea rerum novarum cupiditate ad profana studia animis, multorum caritas defervuit, ac pauci inveniuntur, qui mortalibus abdicatis rebus proxime ingredi Iesu Christi vestigiis instituunt. — Nobis interim Ordinis Basiliani dolentibus vicem, et qua ratione relevari casum eius oporteret, in animo considerantibus, illud commode accidit, ut de rerum statu non modo Nos Episcopi, sed etiam ex eodem Ordine sodales diligenter docuerint.

¹¹² « *Inclytum quidem* », Breve Benedicti PP. XIV, de data 12.IV.1753.

¹¹³ Synodus Zamostiana, tit. VI, de Episcopis.

¹¹⁴ « *Altissimi dispositione* », diei 23.IX.1603.

¹¹⁵ « *Benedictus Deus* », die 1.XI.1579.

¹¹⁶ « *Inter plures* », die 11. V. 1744; « *Inclytum* », 12. IV. 1753; « *Super Familiam* », die 30. III. 1756. Cfr. vol. I, *Documentorum Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantium*.

¹¹⁷ « *Ea sunt Ordinis* », 30. VII. 1822.

¹¹⁸ « *Splendidissimum Orientalis Ecclesiae* », 6. VII. 1867.

Immo quod olim in Orientalium Ecclesiarum discrimine Basilius magnus, idem illi sibi faciendum opportune censuerunt ut opem Apostolicae Sedis imploraverint, propositis etiam inter alia remediis, quae sanctus Iosaphat in causa simili sapienter et utiliter adhibuit. Perplacuit Nobis communis Episcoporum et Monachorum voluntas et leniri coeptus est animi Nostri dolor Ruthenorum causa susceptus, de quibus quoties cogitamus, toties angimur; non enim possumus vel illatas fidei catholicae iacturas non deplorare vel praesentia pericula non extimescere. Sed recte sperandum in posterum iudicamus, si Deo adiutore et auspice magnus ille Monachorum Ordo ex integro floruerit, quo vigente, Ruthenorum vixit Ecclesia. Habendus enim ille est anosae instar arboris, cuius radix sancta, unde novorum insitione palmitum fructus exspectare licet lactos et uberes; idque eo magis quod cultores expectantur, quorum alias est in opere eodem industria spectata, scilicet sodales e Societate Iesu, quos ipse sanctus Iosaphat et Velaminus Rutski Metropolita adiutores optimos experti sunt. — Igitur de gravi huiusmodi negotio, quod singulares curas Nostras sibi iure vindicat, mature deliberare iussimus aliquot Venerabiles Fratres Nostros S. R. E. Cardinales e sacro Consilio christianae fidei propagandae Orientalibus negotiis proeposito. Quorum cum probaverimus sententias, ad ordinandam sodalitatem Basilianam in monasteriis Galliciae ea quae sequuntur auctoritate Nostra Apostolica decernimus, religioseque servare praecipimus.

Inclitum Ordinem S. Basilii Magni in Ruthenis sic restitui volumus, ut eius sodales ad sacerdotalia munera probe exculsi in curanda proximorum salute sempiterna strenue versentur. Atque in hoc genere nihil optamus magis, quam ut studeant ipsum S. Iosaphatum ferme alterum parentem suum imitari, et ad excellentem eius caritatem proxime accedere. Huius rei gratia Collegium tirociniorum, seu *Novitiatum*, uti vocant iure legitimo constitui volumus in Monasterio Dobromilensi intra fines Dioeceseos Premisliensis, cuius monasterii templum et continentes aedes una cum omni re familiari, iuribus, redditibus Collegio tirociniorum seu *Novitiatui* cedant.

Monachos Ordinis Basiliani in Galicia futuros tirocinium in Monasterio Dobromilensi¹¹⁹ ponere rato tempore iubemus; si secus posuerint, professio religiosa irrita infectaque esto.

Quo tutius et firmiter fatiscientis Ordinis necessitatibus consulatur, pluresque adolescentes ad profitendum tam salutare vitae institutum excitentur, privilegium eandem ob causam a Pio VII. Decessore Nostro renovatum vel concessum per Apostolicas Litteras die 30. Iulii an. 1822 datas, quarum initium *Ea sunt ordinis*, ita confirmamus, ut etiam Latinos, nondum tamen sacris ordinibus initiatos, cooptari liceat. Iis fas esto ad Ruthenorum ritum sese in omnibus conformare ante solemnem professionem; qua peracta, non tamen antea, ad ritum Ruthenum, vetito ad Latinum regressu, vere et penitus transiisse intelligantur.

¹¹⁹ Fundatum iam ante annum 1600, ut narratur a Basilio Ustrycky. Anno 1613 a Joanne Herbut instauratum et fundis donatum. Revera devenit centrum reformationis Ordinis Basiliani, quae inde « Dobromylensis » vocari cepit. Usque ad annum 1902 monasterium iuventute monastica gaudebat, quo anno Novitiatum, Sede Apostolica probante, in monasterium transiatus est Krechivense, ob rationes praesertim salutis iuvenum.

Cum susceptum huius Ordinis reformandi negotium multas habeat difficultates, quae consilium auctoritatemque Sedis Apostolicae postulant, idcirco eius regimen Nobis et Romanis Pontificibus successoribus Nostris reservamus, cura agente sacro Consilio christianae fidei propagandae Orientalibus negotiis praeposito, donec aliter ab ipsa Sancta Sede Apostolica decernatur. Eidem Sacro Consilio ius potestatemque tribuimus nominandi, rite perrogata Monachorum sententia, elegendique Protohegumenum, seu Praepositum Ordinis in Gallicia Provincia. Hanc itaque sodalitatem Basilianam ab ordinaria Episcoporum et ipsius etiam Metropolitae Ruthenorum auctoritate et iurisdictione omnino eximimus et exemptam esse declaramus; salva tamen potestate, quam Tridentina Synodus Episcopis in hoc genere attribuit etiam uti Apostolicae Sedis Delegatis.

Collegium tirociniorum, quod diximus, veterum exempla sequuti, nominatim S. Iosaphati et Velamini Rutski Metropolitae, Societati Iesu instituentum ac regendum tamdiu concedimus, quamdiu ex ipso Ordine Basiliano non extiterint viri, quibus Monasterii Dobromiliensis regendi curam Sedes Apostolica deferendam putet.

Itaque praecipimus, uti quam primum Coenobii Dobromilensis et *Novitatus* magisterium gubernationemque suscipiant lecti aliquot e Societate Iesu sacerdotes, qui tamen non modo quod ad religiosam disciplinam, sed etiam quod ad officii mutationem in potestate ordinaria Antistitum suorum, uti nunc sunt, ita esse peragant. Iisdem sacerdotibus e Societate Iesu Protohegumenus tradat, salvo tamen Basilianis iure dominii, monasterium supra dictum, Nobis iam ultro oblatum, una cum omnibus eius bonis ac redditibus, de eaque traditione instrumentum iustum perficiatur. Ea bona eorumque bonorum fructus in tuitionem Coenobii et alumnorum insumendos administrent sacerdotes Societatis Iesu, non auctoribus Monachis Basilianis, auctore Sacro Consilio christiano nomini propagando, cui in annos singulos rationes accepti et expensi, item relationem de statu tirociniorum deque adlectis inter tirocinia ex fide reddant.

Monasterium Dobromilense, quod interim potestate Protohegumeni exsolvimus, accipiat quotquot ex Rutheno vel Latino ritu in Ordinem Basilianum cooptari se velle declaraverint. Nec tamen cooptentur, nisi quos probos et idoneos esse constiterit non solum legitimis de vita moribusque litteris, et utriusque Ordinarii tam originis quam domicilii testimonio, verum etiam semestri probitatis constantique voluntatis documento, quod intra Monasterii septa ante ediderint, quam vestem initialem sumpserint.

Dobromilenses alumni seu *Novitii* ad omnem pietatem religiosamque perfectionem informentur ex instituto Ordinis Basiliani disciplinaque per Sanctum Iosaphatum ordinata. Cumque omnino velimus Ruthenorum ritus probatasque consuetudines inviolate servari, curent et provideant rectores Monasterii, ut aliquo adhibito ex sacerdotibus Ruthenis, in aede sacra continenti divina officia peragantur, et Sacramenta administrentur ritu Rutheno; item ut alumni liturgiam ceremoniasque ruthenas sedulo ediscant. Iidem alumni divinas laudes rite persolvere asuescant, abstinentias, ieiunia ad praescripta Sancti Iosaphati servant; ea tamen prudenter temperare Coenobii Praefecto liceat, cui et licere volumus eos, quibus praeest, a praeceptis ecclesiasticis iusta de causa exsolvere, eidemque ceteras facultates impertimus, quas in Antistites Ordinum religiosorum conferre Sedes Apostolica consuevit.

Sacramentales alumnorum confessiones etiam biennio postquam vota simplicia nuncupaverint, excipiat ipsorum magister, etsi forte praefecturam monasterii idem gerat; ita tamen ut illis integrum sit, quandocumque voluerint ad extraordinarium Confessarium accedere.

Post tirocinium anni unius et sex hebdomandum, vota simplicia Alumnos nuncupare fas esto, si modo digni et habiles ad officia Ordinis sui Antistitum iudicio videantur. Quos minus dignos minusve idoneos esse constiterit, eos, etiamsi votis obstrictos, quae *devotionalia* appellantur, Praefectus Coenobii iisdem solutos abire iubeat. Qui vota simplicia rite ediderint, eos abire iubere ne liceat citra Sedis Apostolicae auctoritatem, excepto quod evidens necessitas urgeat, quae cunctationem nullam recipiat.

Alumni post vota simplicia Sacerdotibus Societatis Iesu studiorum moderatoribus ad humaniores litteras instituuntur; mox philosophiam et theologiam sub iisdem doctoribus percipiant, atque in iis studiis ad disciplinam D. Thomae Aquinatis exercentur.

Iisdem, exacto a nuncupatione votorum simplicium triennio, Ordinem Basilianum solemni ritu profiteri liceat, servatis legibus a f. r. Pio IX, Decessore Nostro editis, imprimis Constitutione *Ad universalis Ecclesiae* edita die 7. Februarii 1862.

Haec quidem decernenda iudicavimus. Interim dabitur opera perscribendis vivendi legibus seu Constitutionibus, iisque ad ipsas illas propius accedentibus, quas Basilius et Iosaphat tam praeclare condiderunt. Eas vero Nostra et huius Apostolicae Sedis auctoritate recognoscendas et approbandas esse volumus. Et hac demum ratione futurum confidimus, ut Basiliana Ruthenorum in Gallicia societas in spem gloriae veteris, opitulante Deo, reviviscat, atque ad omnem virtutem instructa id facile assequatur, quod eius tum conditor Basilius, tum restitutor Iosaphatus animo proposuerant: nimirum catholicum nomen in alteris conservare, ad alteros propagare, avitam eius gentis cum Ecclesia Romana coniunctionem tueri, Episcopis Ruthenorum catholicis adiutores doctos, industrios, bene animatos suppeditare.

Verum adlaborantes pro incolumitate Basilianae in Gallicia familiae, non in hac unice curas defigimus, ut non etiam ceteros caritas Nostra complectatur eiusdem alumnos extra Galliciam consistentes. Qui sane pari studio benevolentiaque Nostra digni sunt maxime ob utilitates Ecclesiae catholicae non modo partas, sed etiam reliquas et speratas. Interea pro certo habemus, eos minime sibi defuturos, ac velle universos omni ope contendere, ut dignitas retineatur Ordinis Basiliani, atque omnium monasteriorum exoptata coniunctio, Dei beneficio, obtineatur. — Venerabiles autem Fratres Ruthenorum Praesules, de sodalitate Basiliana egregie meritos, libenti animo futuros arbitramur, non quod ipsos in hac parte levandos onere duximus, sed quia rebus auctoritate Nostra ita constitutis, iure ea bona ex Ordine Basiliano expectari possunt, quae communi omnium desiderio expelebantur.

Prosperos coeptorum exitus impetret a Deo ipsa Pares eius Maria Virgo, una cum Michaële Archangelo caelesti Galliciensium Patrono, et Basilio Magno et Iosaphato martyre; quorum omnium gratia faxit Deus, ut plurimi ex omni hominum ordine in animum inducant huius reformativis beneficia experiri.

Haec volumus, mandamus atque indulgemus, decernentes irritum et

inane si quid contra praemissa a quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari. Contrariis quibuscumque etiam speciali et individua mentione dignis minime obstantibus, quibus omnibus et singulis ad effectum dumtaxat praesentium Apostolica auctoritate derogamus. Volumus autem ut praesentium Litterarum exemplis, etiam typis impressis, manu alicuius notarii publici subscriptis et sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides ubique in iudicio et extra illud adhibeatur, quae ipse praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 12 Mai 1882, Pontificatus Nostri Anno quinto.

Leo PP. XIII.

998.

Romae, 11 . X . 1882

Provisio Ecclesiae Prjašivensis in persona Joannis Valyj.

ASV, Reg. Lat., an. 1882-1883.

Cfr. *Schematismus dioec. Prešovensis* an. 1944.

LEO etc. Dilecto filio Joanni Valyj¹²⁰ Praesbitero Munkacsien. etc. salutem etc.

Apostolatus officium etc. (*omnia prout sub data 3 . IV . 1876, in provisione eius praedecessoris, Nicolai Toth; mutatis nominibus*) onerantes.

Datum Romae etc.

* * *

Aliae Bullae prout in eadem provisione Nicolai Toth (3 . IV . 1876), id est: Imperatori, Archiepiscopo Strigoniensi, Capitulo, Clero, populo, Vasallis, nec non absolutionis et facultatis recipiendi consecrationem.

999.

Romae, 11. XI. 1882

Sylvestro Sembratovyč committitur administratio Metropoliae Leopoliensis et Haliciensis.

Currenda Archidioec. Leopoliensis, nr. 6, die 21.XI.1882.

Halyckij Sion, Leopoli III (1882), nr. 23, p. 734.

Venerabili fratri Sylvestro Sembratowicz,
Episcopo Ecclesiae titularis Juliopolis in Bithynia.

¹²⁰ Joannes Valyi. Natus 22.IX.1837, in pago Ovencsellö, in Comitatu Szabolcs. 1857 Clero dioec. Munkacsiensis adscriptus, 26.X.1865 a Josepho Gaganetz sacerdos ordinatus, fungebatur numere cooperatoris in Satoraljaujhely (1869), dein Professor Juris Ecclesiastici penes Academiam Theologicam in Ungvar (1870), quo anno etiam Cappellanus S. Sanctitatis ad honorem, an. 1878 Canonicus tit. Munkacsiensis. Demum die 11.X.1882 nominatus Ep. Prjašivensis, die 20.V.1883 consecratus, et 15.VII.1883 intronisatus. Anno 1892 Solio Pontificio Assistens nominatur, ab anno vero 1903 inter Intimos Imperii Consiliarios recensitus. Obiit die 19.XI.1911. Cfr. *Schematismus dioecesis Presovensis* an. 1944, p. 14.

LEO PP. XIII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ex officio supremi Apostolatus ab alto nobis nil tale merentibus commisso, Ecclesiarum omnium regimini praesidentes solliciti reddimur, ut ea omnia, quantum in Domino possumus, praestemus, quae in earundem Ecclesiarum bonum et commodum cessura noverimus. Jam vero quum Ecclesiae Leopoliensis, Haliciensis, Kioviensis et Camenecensis Ruthenorum, quibus Venerabilis frater Josephus Sembratowicz, postremus ilarum Metropolita, praesidebat, per liberam earundem Ecclesiarum dimissionem ab eodem Venerabili fratre Josepho peractam, et a nobis admissam et probatam, Pastore suo destitutae sint, Nos praesentibus rerum adiunctis, aliisque causis permoti, collatis cum Carissimo in Christo filio nostro Francisco Josepho I. Imperatore consilii, praedictarum Ecclesiarum provisionem differendam esse censuimus.

Interim vero ne illae moderatore careant, qui Pastoris locum et vices teneat, earundem regimen tibi administrationis nomine committendum de consilio etiam nonnullorum Venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationi Propagandae Fidei pro negotiis Ritus Orientalis praepositorum, existimamus.

Quare peculiari te benevolentia complecti volentes, et a quibusvis excommunicationis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutum fore censentes, Apostolica auctoritate nostra harum litterarum vi, te dictarum Ecclesiarum, quibus ante dimissionem praefatus Venerabilis frater Josephus praesidebat, Administratorem cum omnibus facultatibus necessariis et opportunis ad nostrum et Sanctae Sedis beneplacitum facimus atque instituimus.

Proinde Ecclesiarum, de quibus antea mentio est, universo Clero et populo mandamus atque in virtute sanctae obedientiae praecipimus, ut te, Venerabilis frater, in Administratorem Apostolica auctoritate deputatum recipiant, et admittant, tibi que plenam obedientiam ac reverentiam exhibeant.

Haec volumus et iubemus in contrarium facientibus, quamvis speciali et individua mentione dignis, non obstantibus quibuscumque.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XI Novembris MDCCCLXXXII, Pontificatus Nostri Anno quinto.

Th. Card. Mertel (m. p.)

1000.

Romae, 25 . III . 1885

Bulla erectionis novae Eparchiae Stanislaopolitanae in Ucraina Occidentali, tunc Austriae subiecta.

Acta Leonis XIII, vol. V, p. 16-21.

Litterae Apostolicae de erectione Sedis Episcopalis Stanislaopoliensis.

LEO EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

De universo Dominico grege quem supremus divinus Pastor infirmitati

nostrae tradidit gubernandum, pro demandati muneris officio sedulo solliciti, ea cuncta Nos decet procurare, quae eiusdem gregis maiori foecunditati novimus esse profutura. Hinc si aliquando ob multiplicem ovium numerum in diversis ac dissitis partibus dispersum unus tantum pastor qui eis invigilet haud satis esse dignoscatur, gregem ipsum dividendo nova ovilia novosque pastores constituimus, ut suam quisque pastor de suis ovibus numero minoribus gerens curam, eas exactius dirigere ac salubrius pascere queat. Ad hoc autem eo validius impellimur, quo maior est populorum id requirementum religio, et cum praesertim ex parte saecularium Principum, quorum pietas nobis est explorata, id etiam fuerit postulatum.

(f. 17) Sane a Leopolitano populo Graeco-Rutheni Ritus supplicationes nobis fuerunt oblatae, quibus catholicae illae gentes, quarum religio studiumque erga Petri cathedram nova in dies incrementa suscipiunt, ab Apostolica hac Sede flagitabant ut illarum animarum curae aptius ac commodius prospiceretur. Leopoliensis enim Graeco-Ruthenae Dioecesis limites per loca longe disiuncta protenduntur, iique Staliskaopolitanum praesertim attingunt circulum, ubi Dioecesis ipsa Carpatiis intersecatur montibus, qui maxime per hyemem ibi diuturnam et asperrimam, vel intercipiunt, vel difficillima faciunt commercia inter dissitas oves et Pastorem, ac raro sinunt ipsum ad eas invisendas accedere, quod plane non leve eis affert incommodum et spiritali illarum animarum bono gravis est detrimenti. Dum igitur huiusmodi exigentiis et necessitatibus occurrendi, ac piissimis dilecti illius populi supplicationibus satisfaciendi modum exquirebamus, favente Deo, carissimus in Christo filius noster Franciscus Iosephus hoc nomine Primus, Austriae Imperator ac Bohemiae et Hungariae Rex Apostolicus, qui summam gerit sollicitudinem ut populi in temporali sua ditione existentes optime a suis pastoribus dirigantur, par nobis desiderium aperuit petens ut a memorata Leopoliensi Dioecesi viginti Decanatibus infra designandis avulsis et disgregatis, nova ex iis erigeretur Dioecesis, cuius Cathedra Stanislaopolitana in urbe constitueretur; quois quidem pientissimi Principis votis libenter obsecundare non dubitavimus. Cunctis igitur quae hisce in negotiis animadvertenda sunt (f. 17) mature perpensis, ac omnium et singulorum quorumcumque hac in re interesse habentium seu quomodolibet habere praesumentium, consensui Apostolica auctoritatis plenitudine praesentium tenore suppletis, nec non omnes et singulos quibus praesentes litterae favent a quibusvis excommunicationis, suspensionis et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris et poenis, si quibus quomodolibet innodati existunt, huius tantum rei gratia absolventes, et absolutos fore censentes, Motu proprio et ex certa scientia, deque eiusdem Apostolicae nostrae potestatis plenitudine, ad omnipotentis Dei ac Deiparae sine labe conceptae honorem et gloriam unum — Bohorodczanensem, ac alterum — Bukovinaensem, ac alterum — Buczacensem, ac alterum — Czortkovensem, ac alterum — Haliciensem, ac alterum — Horodencensem, ac alterum — Husiatynensem, ac alterum — Kolomyjensem, ac alterum — Kossoviensem, ac alterum — Kudryncensem, ac alterum — Nardwornaensem, ac alterum — Pistynensem, ac alterum — Skalensem, ac alterum — Sniatynensem, ac alterum — Stanislaopoliensem, ac alterum — Tlumaczensem, ac alterum — Tysmienicensem, ac alterum — Usciensem, ac alterum — Zaleszczyensem, ac reliquum — Zukoviensem, Decanatus respective nun-

cupatos Ritus Graeco-Rutheni sub civili Austro-Hungarici Imperii ditione constitutos, nec non omnia quae in illorum territorio respective extant civitates, oppida, paroecias, sacella, ecclesiastica quaevis beneficia, pia instituta, aliaque id generis, omnes item et singulos utriusque sexus incolas cuiusvis ordinis (f. 19) gradus et conditionis, a praefata Leopoliensi Dioecesi Apostolica auctoritate perpetuo dismembramus, seiungimus et separamus, et a quavis ordinaria iurisdictione, superioritate, subiectione ac iure pro tempore existentis Archiepiscopi Leopoliensis omnino eximimus, solvimus, et liberamus, atque ex his Decanatibus, civitatibus, oppidis aliisque ut praefertur dismembratis, seiunctis et separatis novam pro Episcopatu mox erigendo Apostolica auctoritate praefata efformamus et constituimus Dioecesim, quae iisdem ac in civili ditione limitibus sit circumscripta. Et quoniam inter praedicta loca Stanislaoepoliensis civitas utpote potioribus praerogativis et qualitatibus ad opus sufficienter instructa ceteris praestare perhibetur, eam ideo ad Episcopalis civitatis honorem et statum eadem Apostolica auctoritate perpetuo pariter evehimus, ita ut ipsa ex nunc deinceps omnibus et singulis honoribus, praerogativis, iuribus, privilegiis, gratiis, indultis et ceteris, quibus aliae in Imperiali et Regia Austro-Hungarica ditione civitates Episcopales Graeco-Rutheni Ritus de iure communi utuntur et gaudent, itidem uti et gaudere possit et valeat.

Ecclesiam insuper Parochialem a Resurrectione Domini Nostri Iesu Christi nuncupatam in dicta Stanislaoepoliensi urbe extantem, Gubernii impensis novis operibus instaurandam ad Episcopalia rite exercenda, simili Apostolica auctoritate ad Cathedralis ecclesiae honorem et dignitatem perpetuo item erigimus atque attollimus. Illic igitur constituimus et perpetuo fundamus Sedem et Cathedram pro uno Episcopo Stanislaoepoliensi nuncupando, qui ex ea eandem Ecclesiam (f. 20) Stanislaoepoliensem, civitates, clerum et populum totamque Dioecesim, ceterosque utriusque sexus incolas (iis tantum exceptis qui singulari gaudent exemptione) episcopali cum iurisdictione queat gubernare, quique vicarios consilarios et adiutores administrationis suae ecclesiasticos constituere, quoscumque ad sacra ministeria idoneos censuerit ad statum clericalem assumere, et ad sacros ordines secundum canones promovere quos necessarios aut utiles Dioecesi suae iudicaverit, et e contrario, quos indignos putaverit a susceptione ordinum arcere, beneficia minora erigere, atque collatis cum Caesarea Maiestate consiliis, praesertim pro convenienti reddituum assignatione, Parochias instituere, dividere et unire, publicas praescribere preces aliaque pia opera, cum id Ecclesiae aut Status populivae bonum postulet, sacras pariter supplicationes et peregrinationes indicere, funera aliasque sacras functiones, servatis quoad omnia canonicis praescriptionibus, moderari, dioecesanam synodum ad sacrorum canonum normam convocare et celebrare eiusque acta vulgare, omnia demum et singula munia et officia tum ordinis tum iurisdictionis libere omnino et absque ullo prorsus impedimento obire possit et valeat.

In memorata insuper Ecclesia Stanislaoepoliensem Episcopum suum habere volumus Capitulum (uti inferius constituendum) cum suis mensa et arca, sigillo, nec non ceteris cathedralibus et pontificalibus insignibus, praerogativis, honoribus, praeminentiis, gratiis, favoribus et indultis, itemque cum iuribus realibus, personalibus et mixtis, ceterisque consuetis, quibus

(p. 21) alii Cathedralium ecclesiarum Graeco-Rutheni Ritus Episcopi in Austro-Hungarica ditione potiuntur atque gaudent. Hanc autem Stanislao-
poliensem Ecclesiam sic erectam et institutam Metropolitanæ Ecclesiae Leo-
poliensi, pariter Graeco-Rutheni Ritus, in suffraganeam subiicimus et
assignamus.

Pro dotatione vero Episcopalis mensae Stanislao-
poliensis, et ut novus ille
Episcopus eo quo par est decore suam tueri valeat dignitatem, septem millia
florenorum monetae illarum partium ab Imperiali et Regio Gubernio iuxta
habitam conventionem solvenda interea constituentur, pro Episcopali decore
deinde augenda. Memorati insuper Gubernii esse volumus, quo citius fieri
poterit, aedes satis amplas et idoneas decentique suppellectili instructas pro
Stanislao-
poliensi Episcopi pro tempore existentis eiusque Curiae et Can-
cellariae Sede liberae ipsius proprietati adiudicandas comparare; quod si
huiusmodi aedes in praefati Episcopi dominium transferendae nondum para-
tae sint, vel reformatione aut restauratione indigeant, et oporteat idcirco
Episcopum eiusque Curiam aliquandiu in alia conducta domo commorari,
locationis pretium (integra manente Episcopali mensa) a supradicto Gubernio
erit solvendum. Iamvero ut in praedicta ecclesia per Nos in Cathedrali
erecta nihil decori desit, et divini cultus exercitio eo quo par est splendore
consulatur, Capitulum in ea erigi mandamus, quod, iuxta habitas pariter
conventiones, sex Canonicis constabit; ex his vero tres Dignitarios, Praepo-
situm videlicet post Pontificalem Maiorem, Decanum, et dictae Cathedralis
Ecclesiae Custodem, (p. 22) secundam et tertiam respective Dignitates esse
statuimus, qui tamen aequali prorsus voce et suffragio in Capitularibus comi-
tiis, et deliberationibus uti debeant. Primae porro dignitatis huiusmodi, vide-
licet Praepositurae, collationem in quovis vacationis casu iuxta generalem
normam Sedi Apostolicae volumus esse reservatam. Novi autem Stanislao-
poliensis Episcopi cura erit et officium iuxta Tridentinae Synodi sanctiones
et pontificia respective decreta, ne Theologi ac Poenitentarii munera in
praedicto Capitulo desint. Memorato vero Canoniorum Collegio, postquam
fuerit constitutum, ut ipsi in divinis officiis persolvendis singulisque proprio-
rum ecclesiasticorum munerum partibus obeundis, omnibus et singulis hono-
ribus, gratiis, indultis, favoribus et privilegiis, quibus alia in supradicta
ditione Cathedralia Capitula Graeco-Rutheni Ritus fruuntur et gaudent, pari-
formiter frui et gaudere, nec non ut in ecclesiasticis et capitularibus functio-
nibus indumentis et insignibus, quibus utuntur Premisliensis Ecclesiae Cano-
nici, pariter uti, eaque in sacris etiam in aliis Stanislao-
poliensi Diocesis
templis, adhibere libere et licite valeant, eadem Apostolica auctoritate con-
cedimus et indulgemus. Et quoniam unumquodque Capitulum proprias habere
solet constitutiones pro certo illius regimine suorumque munerum norma et
observantia, ipsi pariter vix fuerit constitutum ut capitularia statuta, ordina-
tiones et decreta sibi conficere queat (servata tamen norma Apostolicarum
constitutionum Concilii Tridentini, et conventionum cum supradicto Impe-
riali ac Regio Gubernio initarum) (p. 23) facultatem et potestatem facimus
atque impertimur. Ea tamen Episcopi iudicio erunt subiicienda, neque legis
vim et sanctionis robor possint habere, nisi prius ab eodem Episcopo appro-
bata fuerint atque sancita. Donec vero Capitularis mensa per bona stabilia,
solida constituta non fuerit eidemque Capitulo cum pleno dominio addicta,

praedicti erit Gubernii ad convenientem illorum victum et cultum annum constituere et assignare redditum, quem sic volumus dividendum: Praeposito scilicet mille biscentum sexaginta, Decano mille centum quinquaginta, unicuique tandem e ceteris tribus canonicis octingenti et quadraginta floreni dictae monetae solventur. Praeter id insuper singulis congruam et honestam habitationem dictum Gubernium parare teneatur. Ut autem divina officia ceteraque omnia ecclesiastica et capitularia munia accurate frequententur, ex tertia istarum dotationum seu pensionum parte massam quotidianarum distributionum in singulos dies et horas per solos canonicos choro praesentes, servata praesentiae proportione, lucrandarum iuxta sacrorum canonum praescriptum et normam confici iubemus.

Recensiti propterea Gubernii sumptibus (iuxta habitas pariter sponsones) penes Cathedrale Capitulum tres constitui volumus Vicarios, quorum primus secundi concionatoris partes obibit et annuos quadringentos florenos similes percipiet, reliqui trecentos quindecim singuli.

Suis etiam sumptibus idem Gubernium constituet Episcopalem Curiam seu Cancellariam.

Ad augendum vero sacrarum (p. 24) caeremoniarum decorem, sex supradictis Canonicis titularibus alios ornamentarios vel illico vel sensim addendi facimus facultatem, qui tamen numerum octo non excedant.

Iamvero ne pro vinea Domini latius et uberius excolenda sacerdotes desint, Seminarum conciliare erigi mandamus in quo adolescentes in sortem Domini vocati in spem Stanislaopoliensis Ecclesiae instruantur, pro quo quidem constituendo supradicti erit Gubernii omnia quaecumque necessaria suppeditare. Nullum porro obstaculum obici nullamque quovis titulo ingeri volumus difficultatem copiosiori adolescentium affluentiae ad Seminarium; huic imo eo studiosius favori commendamus, quo maior ea in Dioecesi sacerdotum inopia uberius in tutelam et incrementum religionis populique spiritualem utilitatem postulat novorum levitarum subsidium. Quod certe et largum et efficax haberi confidimus, si alumnorum institutio et regimen ad Tridentini Concilii normam, uti par est, exigantur, disciplinaeque philosophicae ac sacrae (quod Nobis acceptissimum foret) iuxta Angelici Doctoris mentem et praescriptiones tradantur. Alumnos vero theologicis disciplinis imbuendos in Archiepiscopali Seminario Leopoliensi per triennium, per quartum vero insequentem annum in Seminario Stanislaopoliensi iisdem operam navare debere statuimus. In utroque idcirco Seminario gratuitae mansiones adolescentium excipiendorum numero congruentes a supradicto Gubernio apte constituentur.

Perpetuo autem sartum tectumque esse volumus ius tum favore Episcopalis mensae, tum Cathedralis ecclesiae (p. 25) Stanislaopoliensis illiusque Capituli, Curiae, Seminarium aliarumque quarumlibet dictae Dioecesis ecclesiasticarum et religiosarum corporationum, institutionum, nec non piam solidaritatem ibi existentium aut extiturarum retinendi ac absoluto cum domino noviter acquirendi, fruendi et administrandi quaecumque legitimi iuris bona, res, proprietates, dotationes et redditus ecclesiasticos. Ceterum quoad antiquas novasque ecclesiasticas institutiones nullam fieri posse suppressionem aut unionem decernimus absque Apostolicae Sedis auctoritatis interventu, salvo facultatibus a Tridentino Concilio Episcopis tributis.

Iamvero quoniam ex parte laudati Francisci Iosephi, Imperatoris et Regis, eiusque Gubernii fides data est satisfaciendi usque ad necessitatem omnibus et singulis quae ad hoc tantum opus requiruntur, iuxta ea etiam quae consulto et provide conventa utrinque sunt et sancita, eidem Francisco Iosepho Imperatori et Regi eiusque legitimis successoribus, ut tam pro hac prima vice, quam in posterioribus sic erectae novae Sedis Stanislaopoliensis Ritus Graeco-Rutheni vacationibus, infra tempus a sacris canonibus praefinitum idoneam dignamque personam Ecclesiae Stanislaopoliensi per Romanum Pontificem in Episcopum praeficiendam apud Apostolicam hanc Sedem nominare et praesentare valeant, eadem Apostolica auctoritate concedimus et indulgemus, servatis ceteroquin de canonico iure deque more servandis, exceptisque casibus vacationum Apostolicae Sedi speciatim ab ipso iure reservatis.

Postquam vero caedem praesentes exequutioni (p. 26) fuerint demandatae, singula documenta processus causarum, piarum foundationum et legatorum instrumenta, positiones, scripta demum omnia respicientia res, iura et personas Decanatum, ut praefertur, dismembratorum et Paroeciarum ipsis addictarum a Cancellaria Leopoliensi extrahi et ad Stanislaopoliensem transferri praecipimus, ut ea ibi accurate custodiantur et consuli valeant quoties id necessitas poposcerit aut opportunitas. Quod si in documentis huiusmodi vel in ipsa sic erectae novae dioecesis administratione ignota quaevis vel inopinata difficultas exurgat quoad res, iura et personas ecclesiasticas, de qua nihil fuerit constitutum sive in conventionibus praeteritis, sive etiam in hac postrema, id iuxta canonicam praxim ad Sedem Apostolicam deferri mandamus, cuius erit rem declarare aut emendare, vel cum civili auctoritate componere.

Canonicam autem taxam in singulis litterarum Apostolicarum expeditionibus quoties dictae Stanislaopoliensi Ecclesiae novus Episcopus erit praeficiendus, in aureis biscentum quinquaginta florenis de Camera statuimus, sicque in libris Camerae Apostolicae sacrique Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium Collegii ad opportunam perpetuamque normam inscribi et observari iubemus.

Tandem nobis et Sanctae huic Apostolicae Sedi reservamus facultatem novam dictae Stanislaopoliensis Dioecesis circumscriptionem ineundi (nulla adiecta territoriali compensatione) quoties ipsius Dioecesis bonum aut publica utilitas id postulaverit, collatis tamen prius cum recensito Imperiali ac Regio Gubernio consilis.

(p. 27) Praesentes autem litteras et in eis contenta quaecumque ullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis aut nullitatis, aliove quovis vitio, seu intentionis nostrae aut quocumque alio defectu quantumvis iuridico et substantiali, etiam ex eo quod quicumque in praemissis omnibus et singulis quomodolibet interesse habentes vel habere putantes aut praetendentes cuiuscumque qualitatis, status, gradus aut conditionis et dignitatis existant, ad id vocati, citati et auditi non fuerint, ac eisdem praesentibus non consenserint, ac causae propter quas praemissa omnia emanarunt minime vel minus sufficienter examinatae fuerint; et ex quacumque alia causa quantumvis legitima, pia, privilegiata ac speciali nota digna impugnari, invalidari, infringi aut irritari, ad viam et terminos iuris reduci, seu adversus illas quodcum-

que iuris vel facti remedium etiam ex capite cuiuscumque praeiudicii imperari, ac etiam motu et potestatis plenitudine paribus per quoscumque Romanos Pontifices, Successores nostros quomodolibet contra praemissa concessum acceptari, ac in iudicio et extra illud allegari, aut alias illo quomodolibet uti non posse; quin imo omnia et singula praemissa semper et perpetuo valida, firma et efficacia existere, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illaque sub quibusvis similitum vel dissimilium gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, aut aliis contrariis dispositionibus, etiam consistorialibus, minime comprehendi nec comprehensa ullo modo censi, sed semper ab illis excepti, et, quoties illae emanabunt, (p. 28) toties in pristinum et validissimum statum reposita, restituta et plenarie reintegrata, ac de novo etiam sub quacumque posteriore data quaecumque eligenda concessa esse et fore, sicque et non alias per quoscumque iudices ordinarios vel delegatos quavis auctoritate fungentes, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales etiam de latere Legatos, Vice Legatos, et Apostolicae Sedis Nuncios, aut alios quoscumque quavis potestate, praerogativa, privilegio, honore et praerogativa fulgentes, sublata eis et cuilibet eorum quavis aliter iudicandi et interpretandi facultate et potestate, ubique iudicare et definiri debere, et quidquid secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari, irritum et inane decernimus.

Quocirca Venerabili fratri nostro Silvestro Sembratowicz futuro Leopoliensi Graeco-Rutheni Ritus Antistiti ac in praesens eiusdem Metropolitanae Ecclesiae Leopoliensis Apostolico Administratori¹²¹ per easdem praesentes committimus et mandamus, quatenus ipse ad praemissorum omnium et singulorum executionem procedat cunctas necessarias et opportunas ei imperiando facultates, quibus is ad hoc explendum opus aliam idoneam probamque personam in ecclesiastica tamen dignitate constitutam subdelegare valeat, ita ut ipse Silvester Antistes per se vel aliam subdelegandam personam possit ea cuncta ordinare, statuere, declarare, ac etiam definitive, omni appellatione remota, decernere, quae ad huiusmodi undecumque negotium probe (p. 29) feliciterque perficiendum magis in Domino visa fuerint opportuna.

Non obstantibus nostra et Cancellariae Apostolicae regula — De non tollendo ius quaesitum — ac Lateranensis Concilii novissime celebrati dismembrationes perpetuas, nisi in casibus a iure permissis fieri prohibentis, aliisque etiam in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibus Conciliis editis, vel edendis specialibus vel generalibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, nec non dictae Metropolitanae Ecclesiae Leopoliensis etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et litteris Apostolicis quibusvis superioribus et personis in genere vel in specie, aut etiam sub quibusvis tenoribus et formis ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, etiam consistorialiter, seu alias in contrarium praemissorum quomodolibet concessis, approbatis, confirmatis et innovatis; quibus omnibus et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti

¹²¹ Cfr. supra, nota III. Revera provisio haec facta est iam sequenti die; cfr. infra sub data 26.III.1885.

derogatione de illis eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa et individua, non autem per clausulas generales idem importantes mentio aut quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret (tenores huiusmodi ac si de verbo ad verbum, nil penitus omissio et forma in illis tradita observata, inserti forent, eisdem praesentibus pro plene et sufficienter expressis habentes, illis alias in suo robore permanentibus) latissime et plenissime ac specialiter et expresse (p. 30) ad effectum praesentium et validitatis omnium et singulorum praemissorum, hac vice dumtaxat, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus harum quoque serie derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Volumus autem quod dictus Silvester Antistes eiusve Subdelegatus in exequutoriali decreto ecclesiasticos novae Stanislaoepoliensis erectae Dioecesis fines describere, ac respectiva sive civitatum sive oppidorum, sive parocciarum singularum nomina et habitantium numerum perhibere, itemque quod intra sex mensium spatium ab expleta praesentium litterarum Apostolicarum exequutione exemplar quorumvis decretorum quae hanc super re lata fuerint ad Congregationem eiusdem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium rebus consistorialibus praepositam transmittere teneatur, ut ea in tabulario eiusdem Congregationis ad perpetuam rei memoriam et normam custodiantur.

Volumus etiam quod earundem praesentium litterarum transumptis, etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis et sigillo alicuius personae in ecclesiastica dignitate constitututae munitis, eadem prorsus fides adhibeatur quae eisdem praesentibus adhiberetur si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrae absolutionis, dismembrationis, seiunctionis, separationis, exemptionis, solutionis, liberationis, efformationis constitutionis, elationis, erectionis, evectionis, constitutionis, foundationis, subiectionis, iussi, praecepti, decreti, reservationis, (p. 31) statuti, mandati, voluntatis et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire; si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac Beatorum Petri et Pauli Apostolorum eius se noverit incursum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum. Anno Incarnationis Dominicae Millesimo octingentesimo octogesimo quinto, septimo Kal. Aprilis, Pontificatus Nostri Anno octavo.

1001 - 1007.

Romae, 26 . III . 1885

Provisio Ecclesiae Metropolitanae Leopoliensis in persona Sylvestri Sembrotovč, Ep. tit. Juliopolitani, Administratoris eiusdem Ecclesiae.

ASV, Reg. Lat., vol. 2400, fol. 366v-368.

LEO etc. Venerabili fratri Silvestro Sembratowicz¹²² nuper Episcopo titulari Juliopolitan. in Archiepiscopum Leopoliens. Graeco-Rutheni Ritus electo, salutem etc.

¹²² Cfr. supra, nota 111.

Romani Pontificis, quem Pastor ille coelestis etc. (*cfr. ex gr. sub data 16.III.1807, vel 8. III, 1816*) efferat incrementis. Cum itaque Metropolitana Ecclesia Leopoliensis. Ritus Graeco-Rutheni cum ei adnexo titulo Archiepiscopalis Ecclesiae Halicien., ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio seu praesentatio personae idoneae etc. ad... Austriae Imperatorem etc. dignoscitur, et cui Venerabilis frater noster Josephus etiam Sembratowicz, ultimus illius Archiepiscopus, praesidebat, ex eo quod Nos dictum Josephum Archiepiscopum a vinculo quo eidem Metrop. Eccl. Leop. Graeco-Rutheni Ritus tenebatur, de Ven. FF.NN. S. R. E. Cardinalium consilio et Apostolicae potestatis plenitudine absolventes, eum ad vacantem Ecclesiam archiepiscopalem Theodosiensem. de simili consilio etc. transtulimus, ipsumque illi in Archiepiscopum et pastorem praefecimus, per translationem huiusmodi pastoris solatio etc. cumque memoratus Franciscus Josephus Imperator et Rex ad praedictam vacantem Metrop. Eccl. Leop. Ritus Gr.-Rutheni te hactenus Episcopum Iuliopolitan. per suas patentes litteras nominaverit, Nos spem habentes te, qui consecrationis munere suscepto licet ad Ecclesiam Iuliopolitan. tibi creditam, utpote quae inter mere titulares adnumerata, accedere nequiveris, tamen qua Apostolicus Administrator dictae Metrop. Ecclesiae Leopoliensis. actu dioecesim ipsam visitasti, sacras ordinationes exegisti, pontificalia solemniter celebrasti, ceteraque pastoralia munia laudabiliter obivisti, quique nuper vero ad effectum infradictae translationis fidei catholicae professionem iuxta formam a sa. mem. Urbano etc. tibi ad eam transeundi licentiam etc. incrementa. Tu itaque dictam Metrop. Ecclesiam Leopoliensem. cum gratia nostrae benedictionis accedens, curam et administrationem etc. consequi merearis. Volumus autem quod antequam regimini etc. in manibus cuiusque quem malueris etc. fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum, iuxta formam quam etc. ac iuramenti huiusmodi exactum et sine mendis exemplar etc. transmittas, cui quidem Antistiti etc. recipiat. Volumus etiam quod Capitulum Metrop. Eccl. Leop. de Theologo etc. archiepiscopali aedium reparationibus etc. Montemque pietatis etc. onerantes.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Incarn. Dom. Millesimo octingentesimo octogesimo quinto, sexto Calendas Aprilis, Pontificatus Nostri Anno octavo.

Simili modo.

LEO etc. Carissimo in Christo filio nostro Francisco Josepho etc. Gratiae divinae praemium etc. (*cfr. supra sub data 15.III.1874 mutatis mutandis quod spectat nomina*) plenius continetur. Itaque fili carissime, cum sit virtutis opus Dei ministros etc. actio gratiarum. Datum ut supra.

Simili modo.

LEO etc. Venerabilibus fratribus universis Suffraganeis Metrop. Ecclesiae Leopoliensis., salutem etc. Ad cumulum vestrae cedit salutis et famae si personas ecclesiasticas praesertim pontificali dignitate etc. continetur. Cum igitur eodem Silvestro etc. consequi mereatis. Datum ut supra.

Simili modo.

LEO etc. Dilectis filiis Capitulo Eccl. Metrop. Leopoliens. etc. Hodie Nos Venerabilem fratrem Silvestrum etc. continetur. Quocirca etc. mandamus quatenus etc. observari. Datum ut supra.

Simili modo.

LEO etc. Dilectis filiis Clero civitatis et dioecesis Leopoliens. etc. Hodie Nos etc. continetur. Quocirca etc. observari. Datum ut supra.

Simili modo.

LEO etc. DD. FF. populo civ. et dioec. Leopoliens. etc. Hodie etc. continetur. Quocirca etc. gaudeatis. Datum ut supra.

Simili modo.

LEO etc. DD. FF. universis Vassallis etc. Hodie etc. continetur. Quocirca etc. observari. Datum Romae etc. ut supra.

A. Pila M. Rossi

1008.

Romae, 22 . IX . 1888

Praelatura domestica conceditur Andreae Bieleckyj, Canonico Leopoliensi.

SECRET. BREVIUM, *Leo XIII, September 1888, pars utraque, fol. 300.*

Dilecto filio Canonico Andreae Bielecki,
Canonico Metropolitanae Ecclesiae Leopoliens. Ruthenorum.

LEO PP. XIII. Dilecte fili, salutem etc. Eximia ingenii doctrinaeque laus cum singulari pietatis decore coniuncta, ceteraque quibus ornaris virtutes, cum iam tibi honorum existimationem peperere, tum persuadent nobis, ut aliquem tibi decernamus honoris titulum, qui tuorum meritorum premium et nostrae in te benevolentiae sit testimonium. Quare peculiari te honore prosequi volentes et a quibusvis etc. censentes, auctoritate nostra per has litteras te Urbanum Antistitem seu Pontificalis domus Praesulem facimus, constituimus, renuntiamus. Quare tibi concedimus, ut violaceas vestes induere, et in Romana etiam Curia lineum amiculum manicatum seu, uti dicunt, rochetum gestare libere liciteque possis, atque utaris, fruaris singulis quibusque honoribus iuribus, indultis, quibus alii honorifico hoc munere insignes ex iuris praescripto vel ex usu et consuetudine utuntur, fruuntur vel uti ac frui possunt et poterunt. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, 22 Septembris 1888, An. XI.

De speciali mandato SS.mi
M. Card. Ledochowski (*m. p.*)

1009.

Romae, 26 . VI . 1890

Provisio Ecclesiae tit. Hephaestensis in persona Juliani Kuilovskyj, in Auxiliarem Preremysliensem designati.

SECRET. BREVIUM, *Hullae Leonis XIII*, an. 1890, fol. 454-456.

Provisio episcopalis Ecclesiae tit. Hephaesten. favore R. P. D. Juliani Kujlowski¹²³, doctoris, absentis ad dictam Ecclesiam electi. Cum deputatione in Auxiliarem Episcopi Praemisliensis Graeci Ritus.

LEO EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Juliano Kuilowski, Electo Hephaesten., salutem etc.

Apostolatus officium etc. gubernare. Dudum siquidem etc. attentari. Postmodum vero episcopalis Ecclesia Hephaesten. sub Archiepiscopo Pelusiensi, et cui Ven. frater noster (f. 454v) Vincentius Flod nuper Episcopus Hephaesten. et Coadiutor deputatus quondam tunc in humanis agente Joachino Hyacinto Ludovico Gonin in regimine et administratione Metropolitanae Ecclesiae Portus Hispaniae cum futura in illa successione ultimo loco praesidebat, cum Decreto in huiusmodi Apostolicis praefectionis et deputationis litteris apposito, quod statim ac praefatae successione casus evenisset, dicta Ecclesia Hephaesten vacaret eo ipso, nunc ad effati Vincentii favorem loco facto iuxta nuntiatum Decretum, pastoris solatio destitutae, Nos ad provisionem etc. intendentes, post deliberationem etc. demum ad te, de legitimo matrimonio ex catholicis honestisque parentibus in Koniuszki Krolewskie, Dioecesis Praemisliensis Graeci Ritus progenitum, et quartum supra sexagesimum tuae aetatis annum supergressum, qui praesbyteratus ordine et in S. Theologia dudum Magistri gradu dotatus, ad ecclesiasticas perficiendas functiones laudabiliter incubuisti, in curae animarum Parochi munere perfunctus, Decanus Canonicus gremialis atque Praemisliensis Ritus Graeci Capituli Praepositus hucusque renuntiatus, Stanislao poliensis Archipraesbyter effectus, inter Cubicularios nostros ad honorem enumerari meruisti, quique fidem catholicam etc. ac de cuius doctrina etc. mentis. Quibus omnibus debita meditatione pensatis etc. censentes, Ecclesiae Hephaesten. praedictae de persona tua etc. plenario committendo, ad hoc ut Venerabili quoque fratri nostro Joanni Stupnicki Antistiti Praemisliensi Graeci Ritus in pontificalibus exercendis etc. (*cf. sub data 28.II.1878*) constituimus et deputamus in Illo etc..

Jugum igitur Domini etc. merearis. Nos enim ad ea, quae etc. per praesentes. Volumus autem etc. suspensi sitis eo ipso. Volumus etiam quod formam iuramenti etc. procures. Et insuper tibi etc. indulgemus.

Praeterea tibi, ut statum tuum iuxta pontificalis dignitatis splendorem teneri valeas, ac specialem gratiam facere volentes, tecum ut Canonicatum et Praebendam praepositionalem nuncupatam Praebendam Capituli Graeci Ritus, quas in cathedrali Praemisliensi, ut accepimus, ad praesens obtines,

¹²³ Julianus Kuilovskyj, Ep. tit. Haphaestiensis (1891), dein Stanislao politanus a die 22.IX.1891 ad diem 30.VIII.1899, Metropolita Leopoliensis (1899-1900). Obit 4.V.1900.

ut prius quoad vixeris etiam munere Praefecti tibi impenso una cum dicta Ecclesia Hephaesten., quoad illi praefueris, retineri libere et licite valeas. Constitutionibus etc. nequaquam obstantibus de specialis dono gratiae dispensamus. Decernentes propterea Canonicatum et Praebendam praefatas minime vacare, irritum quoque etc. attentari. Volumus autem quod Canonicatus et Praebenda praedicti debitum non fraudentur obsequiis, sed earum congrue respective supportentur onera consueta.

Datum Romae, apud S. Petrum, Anno etc. Millesimo octingentesimo nonagesimo, sexto Kalendas Julii, Pontificatus Nostri Anno decimotertio.

Th. Card. Mertel S. R. E. V. Cancellarius S. L. Ap.
A. Card. Bianchi Pro Darius

1010.

Romae, I. IX . 1891

Nuntio Apostolico Augustino Ciasca committitur praesidentia in Synodo Provinciali Leopoliensi an. 1891.

Acta Leonis XIII, vol. XI, p. 257-259.

Litterae Apostolicae quibus R. P. D. Augustino Ciasca, Archiepiscopo titulari Larissensi Episcoporum Ritus Graeci-Rutheni Ecclesiasticae Provinciae Leopoliensis Synodi regendae munus demandatur.

LEO PP. XIII. Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem.

Apostolatus officium divinitus humilitati nostrae commissum postulat ut ea alacri studio procuremus, quae catholicae rei bene, prospere ac feliciter eveniant. Iamvero cum Venerabiles fratres Silvester Sembratowicz, Metropolita Haliciensis, Archiepiscopus Leopoliensis, Episcopus Kamenecensis Ritus Graeci-Rutheni, atque Episcopi Suffraganei Ritus eiusdem in consilium devenerint simul conveniendi Synodum provincialem celebrari, Nos salubre ac frugiferum consilium huiusmodi ex animo commendantes ac summopere approbantes, omnibus rei momentis attente ac mature perpensis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus negotiis Propagandae Fidei praepositis, quo praefatae Synodo maius decus accedat, de fratrum eorundem (p. 258) consilio, in eam sententiam devenimus ut illius Synodi regendae munus tibi. Venerabilis frater, demandemus, certam spem foventes, te prae ea, qua in exemplum commendaris prudentia, gravitate, doctrina, pietate, consilio, rerum usu fideique catholicae provehendae studio, in obeundis istiusmodi officii partibus expectationi nostrae cumulatissime responsurum. Quare te peculiari benevolentia complectentes et a quibusvis excommunicationis et interdicti aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurreris, huius tantum rei gratia absolventes et absolutum fore censentes, Apostolica nostra auctoritate, praesentium vi, Delegatum Apostolicum dictae provincialis Leopoliensis Synodi convocationi ac celebrationi perficiendae eligimus, constituimus atque renun-

tiamus, et quo ipso officio dictae Synodi Praesidis navius nitidiusque fungaris, Apostolica itidem auctoritate tibi, Venerabilis frater, singulas idcirco universasque facultates necessarias, opportunas deferimus, tribuimus et impertimur. Itaque tuum erit potissimum tum instructiones a praefatorum VV. FF. NN. Congregatione pro Synodi celebratione tibi traditas et decreta, ac rescripta ab hac S. Sede Apostolica, vel a dicta Congregatione alias edita, praesertim pro gravioribus negotiis, exsequenda curare tum studere ut disciplina huiusmodi in praxi servanda admittatur, quae sit et supradictis decretis consentanea et uniformitatem per omnes provincias ac dioeceses inducat. Porro volumus ut memoratae Synodi acta et statuta ad S. hanc (p. 259) Sedem Apostolicam transmittenda cures, ut examini subiiciantur, ac si visum fuerit opportunum nostra vel Successorum nostrorum auctoritate confirmentur. Non obstantibus constitutionibus et ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die IV Sept. MDCCCXCI, Pont. Nostri Anno decimo quarto.

Pro D. Card. LEOCHOWSKI
T. Archiep. Seleucien. Substitutus

1011.

Romae, 22 . IX . 1891

Provisio Ecclesiae Peremyliensis per translationem Juliani Pelesz a Sede Stanislaoopolitana.

SECRET. BREVIUM, *Leo XIII, September, 1891, Diversorum*, fol. 347rv.

Venerabili fratri Juliano Pelesz, Episcopo
Stanislaoopolitano Ruthenorum¹²⁴.

LEO PP. XIII. Venerabilis etc. benedictionem.

Apostolatus officium etc. attentari. Postmodum vero Episcopali Sede Praemisliensium Ruthenorum Pastoris solatio destituta, Nos ad illius Ecclesiae provisionem, in qua nemo praeter Nos se potest intromittere, reservatione et decreto supradictis obsistentibus, paterno studio intendentes, post deliberationem quam hac super re cum VV. FF. NN. S. R. E. Card. Congregationi Fidei Propagandae Ritus Orientalis negotiis praepositis habuimus diligentem, ad

¹²⁴ Julianus Pelesz. Natus an. 1843. Dein Rector ecclesiae S. Barbarae, Viennae, et Rector Seminarii Viennensis (1874-1883). Anno 1885 (die 27.III.) primus Episcopus Eparchiae Stanislaoopolitanae (usque 27.VI.1891), a qua translatus est ad Sedem Peremyliensem in qua etiam obiit die 22.IV.1896. Vir insignis. Scripsit magnam historiam Unionis Ecclesiae Ucrainae (s.d. Ruthenae) in lingua germanica, quibus constans voluminibus: *Geschichte der Union der ruthenischen Kirche mit Rom von der ältesten Zeiten bis auf die Gegenwart*, Wien 1878-1880. Praeterea edidit opus sub tit. «*Pastyrske bohoslavije*» (Theologia pastoralis) et alia scripta minora. Cfr. *Ukrajinska Zahalna Encyklopedija*, vol. II, p. 1009-1010.

te, Venerabilis frater, omnia habentem et quem carissimus in Christo filius Noster Josephus I, Austriæ Imperator, Bohemiarum et Hungariarum Rex Apostolicus ad hoc nominavit, oculos mentis nostrae convertimus. Quare te, Ven. frater, a vinculo quo Ecclesiae Stanislavopolitanae adstrictus detineris, de Apostolicae potestatis Nostrae plenitudine solventes etc. censentes ad supradictam Sedem Cathedralem Premisliensem Ruthenorum, eadem Nostra auctoritate praesentium transferimus teque illi in Episcopum praeficimus et Pastorem, curam etc. committendo in Illo etc. et gratiam. Porro decernimus, ut fidei professionem emittas iuxta articulos ab hac S. Sede propositos, debitumque fidelitatis iuramentum praestes, illamque sic emissam illudque rite praestitum ad Urbem intra praefixum tempus mittere tenearis. Non obstantibus Apostolicis etc. nec non dietarum Ecclesiarum etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 22 Septembris 1891, An. XIV.

De speciali mandato SS.mi

M. Card. LEBÓCHOWSKI

1012.

Romae, 22 . IX . 1891

Translatio Juliani Kuilovskyj, Ep. tit. Hephæstien. ad Sedem residentialem Stanislavopolitanam.

SECRET. BREVIUM, Leo XIII, September 1891, Divers. fol. 347v-348.

Venerabili fratri Juliano Kuilowski, Episcopo
titulari Hephæstien.

LEO PP. XIII. Venerabilis etc. benedictionem.

Apostolatus etc. attentari. Postmodum vero Episcopali Sede Stanislavopolitan. Ruthenorum, cui Ven. frater Julianus Pelesz, ultimus illius Episcopus praesidebat, per translationem eiusdem Venerabilis fratris ad Cathedralem pariter Sedem Premisliensem Ruthenorum de Apostolicæ potestatis plenitudine factam, Pastoris solatio destituta, Nos ad eiusdem Ecclesiae provisionem etc. convertimus. Te igitur, Ven. frater, a vinculo quo titulari Ecclesiae Hephæstien. adstrictus detineris, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine solventes etc. censentes ad supradictam Sedem Cathedralem Stanislavopolitan. Ruthenorum eadem Nostra auctoritate vi praesentium transferimus etc. Reliqua ut supra (*i.e. Juliano Pelesz*).

Datum ut supra.

De speciali mandato SS.mi

M. Card. LEBÓCHOWSKI

* * *

Anno 1891-1892 de novo Episcopo provisus est etiam Ecclesia Munkacsiensis in persona sac. Julii Firczak, per solitas Bullas, prout aliis vicibus in provisione eiusdem Eparchiae evenit, mutatis mutandis (cfr. ex. gr. 15.III.1874).

1013.

Romae, 12 . VIII . 1892

Privilegium Adsistentis Solio Pontificio conceditur Episcopo Eperiesensi Joanni Valyj.

SECRET. BREVIUM, Leo XIII, Aug. 1892, fol. 630rv.

Venerabili fratri Joanni Episcopo Eperiesensi¹²⁵
Ritus Graeci catholici

LEO PP. XIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Romanorum Pontificum mos atque institutum etc. (*cf. ex. gr. 7.VII.1863*)
libenter afficiamus. Ideoque etc. Reliquum ut in formula.

Datum Romae apud S. Petrum, die 12 Aug. 1892, An. 15.

1014.

Romae, 29 . V . 1893

Allocutio PP. Leonis XIII ad peregrinos ucrainos, qui simul cum Hierarchia ei sua obtulerunt auguria, 50 ab Eius ordinatione anno recurrente.

Vistnyk peremyskoji eparchiji, an. V, 1893, nr. 6, p. 62-65.

DILECTI FILII!

Undique ad Nos affluente gratulatione ob quinquennium episcopatus decimum divino munere exactum, et istam perlibenter amplectimur quam defert hodierna die natio Ruthena Galiciensis carissima. Vestrae officia pietatis, dilecti filii, animum nostrum suavius in eo tangunt quod, Metropolita praeloquentem, effusa cum gratia edixistis, gerere Nos de rebus vestris paternam tutelam et singularem.

Non pauca enimvero a nobis, ipsa delectat recordatio, in vestrum commune bonum sunt iam pridem, Deo iuvante, suscepta. Illud fuit praecipuum, ut apud vos inelytum Ordinem Basilianum, de maioribus vestris praeclare in omni genere meritum, paene iacentem erigerimus; id quod studiose fecimus, exploratissima spe. Nam, si quidem superiore memoria eo florente Ordine, tam feliciter Ecclesia floruit vestra, huius profecto virtutem eodem maxime praesidio refici atque ali oportebat. Nunc autem laetari licet de fructuum ubertate, quam inde purcherrimam, Episcoporum ope, novimus maturescere; ita ut ipsis Episcopis et clero optimi ad varia munera iam praesto sint adiutores, plures sint deinceps futuri.

Nos item post haec, quo aptius animorum saluti pro amplitudine regionis esset consultum, novam Stanislaopoli episcopalem sedem constituimus. Novissime vero, ut religionis catholicae beneficia suis opportuniore temporibus gens vestra omnis perciperet, Sinodum provincialem, duobus ferme

¹²⁵ Cfr. supra, nota 120.

saeculis intermissam, Leopoli habendam curavimus, spectataeque prudentiae virum ad eam Ipsi legavimus moderandam; oblatas denique ex utilitate vestra occasiones, nullas omnino dimisimus.

Consiliis vero curisque nostris nequaquam Ruthenos defuisse, fatendum cum laude est; eosque maiores in dies velle et animo et industria respondere, haec ipsa luculenter testatur peregrinatio, ad sepulcrum beatissimi Petri, tamquam ad sacrarium fidei et christiani roboris firmamentum, via tanta suscepta. Vosmet, dilecti filii, ita modo professi estis: quin imo quaedam ex ore vestro obtemperandi alacritas emicat, nihil ut ardentius expectare a nobis quam monita et praescripta videamini. Est primum ad Episcopos cohortatio nostra in re gravissima, quae pastoralē sollertiam suo iure deponit; hoc est ut alumni Ecclesiae in sacris seminariis perquam optime educantur. De sancta animorum cultura, de ratione studiorum, singulariter de morum disciplina cogitare et providere ne cessent; neque alios ad eam curam praeficiant nisi qui cum sanae doctrinae laude constantiam propositi vividumque sacerdotii spiritum in primis coniungant. Clero autem maiorem in modum hoc volumus commendatum, ut obedientiam ad sacros Antistites, concordiam inter fratres summopere observent. Obedientia et concordia si vigeant, facile et auctoritas cleri vigebit salutaris in populo, et ea quae in ipsa Synodo providenter decreta sunt, valebunt; atque etiam, quod optabile est, dissimilitudines in caeremoniis non legitimae, ac plus quam credi possit noxiae, excident et delebuntur. Diligentia pari utilem ad omnia pietatem sacerdotalis ordo in populo accuret, neque dubitet aliquos etiam exercendae pietatis modos adhibere, usitatos Latinis; ita enim nec quidquam integritati Graeci ipsorum Ritus demitur, at coniunctioni vero cum Ecclesia Latina et Romana plurimum sane firmitatis accedet. Quam quidem benevolam mentem et consensionem esse maximam cupimus inter utrumque clerum, graecum et latinum; ut nempe, vocati in sortem eiusdem Domini, eique uno eodemque instituto administrantes, mutuis inter se colant et adiuvent exemplis sanctimoniae et caritatis. Universus autem populus catholicam fidem sic retineat, sic actione vitae honestat, ut bonum decet longe omnium praestantissimum; quae Nos in eam rem subinde tradimus documenta, ab Episcopis religiose accipiant, sedulo exequantur; pericula erroris omnesque corruptelas caute devitent; in quo ut prudentia pastorum impigra evigilet commonemus, ne ullis hominum non catholicorum insidiis, librorum praesertim fraude simplicium credulitas decipiatur.

Iam paulo longius, dilecti filii, sermo noster excurrit; in hoc ipso tamen agnoscite Apostolicam qua urgemur sollicitudinem, non vestra solum causa, sed aliorum complurium quorum summa salus cum vestra ipsa singulari modo videtur connexa. Nos enim pariter atque Urbanus decessor noster, cuius insigne dictum commemorastis, omnino fore confidimus ut ex ardore fidei integrisque moribus nationis ruthenae vis mira emanet, eas gentes aliquando excitatura, quas ex proximo Oriente iamdiu ad complexum suum Ecclesia Romana vocat, invitat. Hanc spem gratissimam Deo fovendam credentes, magnam Dei Genitricem cum Michaelē Archangelo et Iosaphato martyre precamur, quorum patrocinio caelestis gratia quotidie in vobis frugifera accrescat; sitque felix votorum auspiciū ex Apostolica benedictione, quam singulis vobis, Episcopis, clero, cunctae nationi vestrae maxima caritate largimur.

1015.

Romae, 10 . VII . 1893

*Leo XIII congratulatur cum reviviscente Ordine Basiliano.**Acta Leonis XIII., vol. XIII, p. 203-204.*Epistola dilectis filiis Monachis Ordinis Basiliani¹²⁶
Ruthenae Nationis in Gallicia.

LEO PP. XIII. Dilecti filii, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quae de Ordine vestro, decimo exeunte anno ex quo restituedum curavimus, ad Nos retulistis, ea quum spem et desiderium nostrum egregie expleant, habuimus valde grata. Dolenter enim ferebamus, Basilianam familiam, tam illustrem tamque ampliter de Ruthenorum Ecclesia meritam, humanis casibus sic esse debilitatam, ut ab interitu iam non procul abesse videretur. At nunc laetandum maxime est vobisque gratulandum quod vester Ordo faustis sane initiis reviviscat; qui perbrevis spatio sodalium numerum ita auctum sensit, ut sperare sibi liceat veterem et dignitatis gradum et recte factorum laudem posse adipisci. Nos equidem curas de vobis et gessimus et geremus; probe enim novimus quanta ex incrementis vestris utilitates Ruthenorum saluti obvenire possint, prout (p. 204) non ita pridem eis ipsis coram ediximus. Placent autem gratiae voluntatis sensus, quos exprimere studuistis de opera laboris plena et caritatis, quam sacerdotes Societatis Jesu in vestra impendunt institutione; unde palam est quanta vos alacritate huius quoque beneficii fructus colligere statueritis. Adsit Deus propitius eorum coeptis vestrisque, et sicut prospera dedit initia, sic reliqua benigne largiatur; atque vota vestra eademque nostra, de filiis ad amplexum Ecclesiae revocandis, gratiae suae auxilii secundet, et compleat. Nunc caelestium honorum auspiciem et pignus paternae benevolentiae nostrae vobis, dilecti filii, omnibus et singulis Apostolicam benedictionem peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die X Iulii MDCCCXCIII, Pontificatus Nostri Anno decimo sexto.

1016.

Romae, 28 . II . 1894

*Primae dignitati Capituli Peremysliensis conceditur facultas utendi Pontificalibus.**Acta Leonis XIII., vol. XIV, p. 49-51.*

Litterae Apostolicae, quibus primae dignitati Capituli Cathedralis Premisliensis Ruthenorum Pontificalium usus conceditur.

¹⁻⁶ Agitur de Ordine Basilianorum s.d. « reformationis Dobromylensis ». Cfr. supra sub data 12.V.1882.

LEO PP. XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum Pontificum vestigiis inhaerentes, ecclesiasticis viris, qui conspicuis in templis Deo laudes persolvunt, peculiaria tribuimus insignia, quo sacrarum caeremoniarum splendori, earumque maiestati sit satius consultum. Cum itaque Venerabilis frater Iulianus Pelesz, Episcopus Premisliensis Ritus Graeco-Rutheni, suppliciter Nos rogaverit, ut Pontificalium usum eo quidem modo ac forma, quibus duabus primis dignitatibus capituli Metropolitanus Leopoliensis eiusdem Ritus concessus fuit, primae dignitati sui ipsius Capituli Cathedralis de indulgentia nostra impertire velimus. Nos hac re cum VV.FF.NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationis Propagandae Fidei pro negotiis (p. 50) Ritus Orientalis mature communicata ac sedulo perpensa, votis Venerabilis fratris Iuliani obsecundandum existimavimus. Quare omnes et singulos, quibus hae nostrae litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis, et poenis quovis modo, vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Pontificalium usum primae dignitati, idest Archipresbytero, seu Praeposito Cathedralis Capituli Premisliensis Ritus Graeco-Rutheni, de VV. FF. NN., quos supra memoravimus, consilio, auctoritate nostra Apostolica hisce perpetuo valituris litteris decernimus et largimur, ad normam tamen decreti Congregationis VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium sacris Ecclesiae Ritibus praepositorum, a Pio VII, Decessore nostro, rec. mem., approbati, per constitutionem IV nonas Iulias anno MDCCCXXIII datam, quam quidem constitutionem tamquam hic insertam, et ad verbum expressam haberi mandamus. Decernentes porro praesentes nostras litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eidemque primae dignitati, eiusque successoribus, hoc futurisque temporibus suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV. super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, provincialibusque et synodalibus Conciliis editis, generalibus vel (p. 51) specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXVIII Februarii MDCCCVXCIV, Pontificatus Nostri Anno decimo sexto.

M. Card. Rampolla

1017.

Romae, 28 . II . 1894

Primae dignitati Capituli Stanislaopolitani usus conceditur Pontificalium.

Acta Leonis XIII, vol. XIV, p. 46-48.

Litterae Apostolicae, quibus primae dignitati Capituli Cathedralis Stanislaopolitani Ruthenorum Pontificalium usus conceditur.

LEO PP. XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Quo rituum sacrorum decus splendidius fiat, et christianae plebis obse-

quium in Clerum augeatur, ecclesiasticos viros qui divino cultui in templis maxime conspicuis vacant, ex more institutoque Romanorum Pontificum peculiari insignium accessione augustiores facimus. Itaque cum Venerabilis frater Iulianus Kuilowski, Episcopus Stanislaoopolitanus Ritus Graeco-Rutheni, Nos nuper precibus adierit, ut Pontificalium usum eo quidem modo ac forma, qua primis dignitatibus Metropolitanis Capituli Leopoliensis eiusdem Ritus concessus fuit, primae dignitati sui ipsius Capituli Cathedralis de indulgentia nostra impertire velimus, Nos hac re cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationis Fidei Propagandae pro negotiis Ritus Orientalis mature communicata ac sedulo perpensa, votis Venerabilis fratris Iuliani obsecrandum existimavimus. Quare omnes et singulos, quibus hae nostrae litterae favent peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis et interdicti, aliisque ecclesiasticis censuris, sententiis et poenis quovis modo vel quavis de causa latis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Pontificalium usum primae dignitati, idest Archipresbytero, seu Praeposito Cathedralis Capituli Stanislaoopolitani Ruthenorum, de VV. FF. NN., quos supra memoravimus, consilio, auctoritate nostra Apostolica, hisce perpetuo valituris litteris decernimus et largimur, ad normam tamen decreti Congregationis VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium sacris Ecclesiae Ritibus praepositorum, a Pio VII, Decessore nostro, recol. mem., approbati per constitutionem IV nonas Iulias anno MDCCCXXIII datam, quam quidem constitutionem, tamquam hic insertam et ad verbum expressam, haberi mandamus. Decernentes porro praesentes litteras firmas, validas et efficaces semper existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, eidemque primae dignitati, eiusque successoribus hoc futurisque temporibus suffragari, et irritum esse et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari. Non obstantibus fel. rec. Benedicti XIV super divisione materiarum, aliisque Apostolicis, ac in universalibus provincialibusque et synodalibus Conciliis editis generalibus vel specialibus constitutionibus et ordinationibus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XXVIII Februarii MDCCCXCIV, Pontificatus Nostri Anno decimo sexto.

M. Card. Rampolla

1018.

Romae, 17 . VII . 1894

Sylvester Sembratovyč nominatur Solio Pontificio Assistens.

SECRET. BREVIUM, *Leo XIII, Julius 1894*, fol. 411.

Venerabili fratri Silvestro Sembratowicz,
Archiepiscopo Rutheno Leopoliens.

LEO PP. XIII. Venerabilis frater, salutem etc.

Romanorum Pontificum etc. (*idem ac sub data 7.VII.1863*) afficiamus. Ideoque etc. (*ut in formula*).

Datum Romae apud S. Petrum, die 17 Julii 1894, An. 17.

De speciali mandato SS.mi
C. Card. DE RUGGIERO

1019.

Romae, 20 . V . 1895

Litterae Leonis PP. XIII in negotio Synodi provincialis anno 1891 Leopoli habitae.

Acta Leonis PP. XIII, vol. XV, p. 215-216.

Visnyk peremyskoji eparchiji, an. VII (1895), nr. 7, p. 79-81.

Lvivsko-archieparhijalni vidomosty, an. 1895, nr. 8, p. 125-127.

Acta et Decreta Synodi Provincialis Ruthenorum Galiciae, an. 1891, Romae 1896, p. XLIX-L.

Venerabilibus Fratribus Silvestro Sembratowicz Archiepiscopo Leopoliensi,
Juliano Pelesz Episcopo Premisliensi,
Juliano Kulowski Episcopo Stanislaopolitano Ruthenorum.

LEO PP. XIII. Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Satis verbis exprimere non possumus singularem qua perfusi sumus laetitiam, postquam accepimus Vos, Venerabiles fratres, ad fidei catholicae incrementum, ad solidiorem reddendam adhaesionem Romanae Ecclesiae, extra quam non est salus, Provincialem Synodum Leopoliensem primam, Legato nostro presidente, feliciter absolvisse. Ex illo enim perspeximus, Vos incubuisse sollerti studio, ut opportuna remedia constitueretis, quibus errores temporum calamitate hominumque fraude invecti removeantur, sacerdotes vestrae curae commissi vitae sanctitatem praeseferant, alumni in sortem Domini vocati optime instituantur in Seminariis ad munia sacri ordinis propria rite gerenda, liturgiae atque disciplinae stent certae et securae leges, debita sacrorum Antistitibus obedientia firmetur, consistat inter fratres caritas et concordia, populus catholicae professionis et pietatis officiis fideliter inhaereat. Quapropter post actas caelesti pastorum Principi gratias, qui vobis suo praesidio adfuit, ut communi bono gregi vestri consuleretis, pontificii nostri muneris esse ducimus, vobis effusam meritamque tribuere laudem pro iis, quae religioso studio gessistis, et vehementer hortamur, ut in sancto proposito firmiter perseverantes, Dei et Ecclesiae causae strenue adlaboretis. Id porro spectantes, merita vestra apud Deum augebitis et totius Nationis Ruthenae, nobis commendatissimae, veram prosperitatem promovebitis.

Largitorem bonorum omnium Deum O. M. ex corde adprecamur, ut votis a vobis expressis benigne annuat, et imploratam Apostolicam benedictionem vobis, Venerabiles fratres, et universo populo rutheno peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum, die XX Maii anno MDCCCXCV, Pontificatus Nostri decimo octavo.

1020.

Romae, 3 . XI . 1895

Allocutio Leonis PP. XIII in occasione peregrinationis Ucrainorum Galiciae ad Sedem S. Petri, occasione 300 anniversariae diei, ab unione Ecclesiae Ruthenae cum Ecclesiae Romana inita (1595-1895).

Lvivsko-archieparchijalni vidomosty, an. 1895, nr. 18, p. 191-2.

DILECTI FILII!

Non sine magna animi voluptate hanc intuemur, quae Nos pietatis causa circumdat, Ruthenorum coronam.

Praecipue vero accidunt ad audiendum iucunda, quae modo commemorata abs te sunt, Venerabilis frater, de gente tua, itemque de rei catholicae apud vos statu. Ac iure quidem laetamini eius recordatione memoriae, quum tribus ante saeculis maiores vestri, divina aspirante gratia, ad catholicam rediere unitatem; hanc enim qui deserunt, veritatis fontem cum principio salutis deserunt. Ex eo tempore patrum vestrorum prudentia animique constantia non semel eluxere; novimus enim quanto opere vigilare eos atque excubare oportuerit pro incolumitate religionis simul et generis. Vos autem, dilecti filii, quoniam fidei avitae grande munus, summo Dei beneficio accepistis integrum, date diligenter operam, quod facitis, ut non modo integrum, sed fructuum salutarium incrementis locuples posteritati tradatis. Qua in re curarum studiiue vestri Apostolicam Sedem non modo participem habituri estis, sed plane ducem. Hoc certe animo Nos quidem, non multos ante annos, disciplinam Sodalium Basilianorum ordinare auspicate studuimus; eodemque nunc proposito laboramus, ut Collegium urbanum Ruthenis in spem sacri ordinis adolescentibus quam primum restituatur; ex quo magnas utilitates spe et cogitatione presumimus. Adsit consiliis Nostris volens propitius Deus, atque efficere benigne velit quod Urbanus VIII, Decessor Noster, aiebat, confidere futurum, ut omnis Oriens per Ruthenos eo reverteretur, unde discessit.

Caelestium munerum auspiciem ac benevolentiae Nostrae testem vobis singulis, domibusque vestris, universaeque Ruthenorum genti Apostolicam benedictionem peramanter impertimus.

1021.

Romae, 29 . XI . 1895

Leo PP. XIII Sylvestro Sembratovyč de eius ad cardinalatum promotione nuntiat, nec non birretum purpureum transmittit.

SECRET. BREVIUM, *Leo XIII, Diversorum* an. 1895, fol. 442rv.

Dilecto filio nostro Sylvestro S. R. E. Presbitero Cardinali¹²⁷.
Sembratowicz

¹²⁷ Sylvester Sembratovyč. Cfr. supradicta, sub. nota 111.

LEO PP. XIII. Dilecte fili noster, salutem etc.

In Apostolicae Sedis fastigio divina miserante clementia, meritis licet imparibus, constituti deque Catholicae Ecclesiae honore pro nostro munere officio sollicitè illud in primis curamus, ut Collegium VV.FF.NN. S.R.E. Cardd. amplissimis viris refulgeat, prout splendidissimi illius Ordinis dignitas postulat. Idcirco te in eundem adscribere constituimus; egregia enim tua pietas, catholicae fidei studium, doctrina, constilium aliaque praestantissimae, quibus flores, laudes animique ornamenta, Nos in spem adducunt fore, ut ministerium tuum Ecclesiae Dei magno usui atque emolumento sit.

Ad te igitur S.R.E. Cardinalem per Nos creatum, sublimis huiusce dignitatis unum ex insignibus, nimirum birretum purpureum per dilectum filium (f. 442v) Paulum Mariam Baumgarten, Cubicularium nostrum supranumerum, mittimus, ut postquam illo reverenter fueris insignitus huius splendidissimae purpurae nota admoneri te intelligas, in Cardinalitia dignitate constitutum adversus quaeque pericula interritum invictumque pro Ecclesia Dei stare oportere usque ad pretiosam in conspectu Domini sanguinis effusionem.

Quam vero ad te mittimus personam tum ob rem ipsam, quae mittitur, tum Nostra causa, ut benigne excipias, omnibusque officiis prosequaris summopere optamus. Volumus autem, ut antequam birretum ipsum accipias iuramentum a dicto Paulo Maria Baumgarten tibi exhibendum omnino praestare, illudque manu tua subscriptum ad Nos sive per eundem sive per aliam personam mittere tenearis.

Datum Romae apud S. Petrum, die 29 Novembris 1895.

1022.

Romae, 29 . XI . 1895

Consistorium Secretum in quo Sylvester Sembratovyč inter alios promovetur ad dignitatem cardinalitiam.

LEO XII, *Acta*, vol. XV, p. 411-414.

ALLOCUTIO

Habita in Consistorio die XXIX Novembris anno MDCCCXCV.

VENERABILES FRATRES.

Europa omnis, suspensis expectatione ac sollicitudine animis, ad propiore Orientis plagam contuetur, intestinis offensionibus et luctuosis fessam casibus. Acerbum revera dolendumque spectaculum, infecta sanguine oppida, civitates; ferro flammisque ingentes pervastati tractus. Dum viri principes, quae eorum summa laus est, collatis invicem consiliis, modum cladibus et securam incolumitatem innoxii laborant exposcere, Nos quidem nequaquam omittimus, quantum est in Nobis, pro eadem causa nobilissima iustissimaque contendere. Videlicet ante hos ipsos novissimos casus, niti pro gente Armenia animo libentissimo studuimus, implorataque excelsi Principis auctoritate, concordiam, mansuetudinem, aequitatem suasimus. Quae quidem consilia Nostra haud sane visa displicere. Coepta persequi, propositum est: nihil enim

tam cupimus, quam ut in maximi imperii finibus sua cuique incolumitas, qua iura omnia salva, ut oportet, et sancta sint. Interea Armenorum afflictis fortunis tempestivum solatium a Nobis ne deesset, opem fere egenis maturavimus, quos maxime calamitas perculisset.

Nostra autem erga Armenos studia, testimonium et fructus amplissimae caritatis sunt, qua prosequimur gentes ex Oriente universas; quibuscum, ut probe nostis, adiumenta salutis sempiternae, quaecumque in potestate sunt Ecclesiae catholicae, communicare quidem et volumus et conamur. Idcirco, qui Nobiscum de fide discrepant, revocare ad concordiam; qui conveniunt, devincire Nobiscum coniunctius, itemque iuvare omni ope atque ornare ingressi sumus.

Hac voluntate consilioque litteras Apostolicas nuperrime dedimus, ex quibus facile perspiciatur, quae mens Nobis erga Coptos, qui animus. Nimirum cum eorum pietatem et rei catholicae per Aegyptum explorata incrementa haberemus, instaurandam Hierarchiam coptico ritu, dignitatemque pro Coptis patriarchalem Sedi Alexandrinae, quam Marcus evangelista nobilitavit auctor idemque pontifex, restituendam curavimus.

Amplissimum ordinem vestrum, Venerabiles Fratres, suppleturis, adlegere visum est ex Italia atque Imperio Austriaco, ex Gallia Hispaniaque viros egregios, quos Cardinalatus honore hodierna die auferemus. In dignitate episcopali sunt omnes; iidemque gravitate et integritate morum, doctrinae laude, rerum usu, muneribus sapienter gestis, de re christiana, de Sede Apostolica optime meriti.

Hi autem sunt ADOLFUS LUDOVICUS ALBERTUS PERRAUD, Episcopus Augustodunensis, quem S.R.E. Cardinalem creavimus et in pectore reservavimus anno millesimo octingentesimo nonagesimotertio, die decimosexto Ianuarii, in Consistorio:

SILVESTER SEMBRATOWICZ, Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum.

FRANCISCUS SATOLLI, Archiepiscopus Tit. Naupactensis, Legatus Apost. ad foederatas Americae Sept. civitates.

JOANNES HALLER, Archiepiscopus Salisburgensis.

ANTONIUM MARIA CASCAJARES Y AZARA, Archiepiscopus Vallisoletanus.

HIERONYMUS MARIA GOTTI, Archiepiscopus tit. Petrensis, Internuntii Apostolici munere in Brasilia functus.

JOANNES PETRUS BOYER, Archiepiscopus Bituricensis.

ACHILLES MANARA, Episcopus Antonitanus et Humanus.

SALVATOR CASANAS Y PAGES, Episcopus Urgellensis.

Quid Vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli et Nostra publicamus S. R. E. Presbyterum Cardinalem:

ADOLFUM LUDOVICUM ALBERTUM PERRAUD.

In super creamus et publicamus S. R. E. Presbyteros Cardinales: SILVESTRUM SEMBRATOWICZ, FRANCISCUM SATOLLI, IOANNEM HALLER, ANTONIUM MARIAM CASCAJARES Y AZARA, HIERONYMUM MARIAM GOTTI, IOANNEM PETRUM BOYER, ACHILLEM MANARA, SALVATOREM CASANAS Y PAGES.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti, Amen.

1023.

Romae, 6 . VII . 1896

*Isidoro Dolnyckyj conceditur dignitas Praelati domestici.*SECRET. BREVIUM, *Leo XIII, Julius 1896, pars utraque, fol. 588, 591.*Dilecto filio Isidoro Dolnicki¹²⁸, Magistro pietatis
in Seminario Leopoliensi.

LEO PP. XIII. Dilecte fili, etc. benedictionem.

Studium quod collocas in instituendis ad pietatem, bonos mores, et disciplinam Ephebos Seminarii Leopoliensis, quos erudis exemplo non minus quam doctrina, christianorum officiorum laus, qua enites, integritas vitae, et singulare obsequium erga Nos et hanc Apostolicam Sedem, suffragante amplissimo Antistite tuo, persuadent Nobis, ut honorificum tibi deferamus dignitatis titulum, qui et tua merita et Nostram pro meritis gratiam luculenter testetur. Quare te etc. censentes, his litteris Praelatum Nostrum domesticum facimus, constituimus, renunciamus. Tibi propterea, dilecte fili, concedimus ut violacei coloris vestem induere, et in Romana etiam Curia lineum amiculum nominatum, vulgo dictum Rochetum, gestare libere liciteque possis, utque utaris, fruaris singulis quibusque iuribus, honoribus, privilegiis, quibus alii huiusmodi titulo aucti utuntur, fruuntur, vel uti, frui possunt ac poterunt. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae, 6 Julii 1896, An. 17.

De speciali mandato SS.mi
C. Card. DE RUGGIERO

1024.

Romae, 6 . VII . 1896

*Eadem dignitas conceditur etiam Josepho Melnickyj.*SECRET. BREVIUM, *Leo XIII, December 1896, pars utraque, fol. 588.*Dilecto filio Josepho Melnicki,
Pro-Rectori in Seminario Leopoliensi.

LEO PP. XIII. Dilecte fili, etc. benedictionem.

Eximia pietatis et doctrinae laus, qua flores, studium operarum in bene recteque instituendis iuvenibus ad Sacra aspirantibus, singulare obsequium erga Nos, et hanc Petri Cathedram, commendationesque tui amplissimi An-

¹²⁸ Isidorus Dolnyckyj, sacerdos Eparchiae Leopoliensis, et Director spiritualis Seminarii Leopoliensis. Natus die 21.II.1830 in Zalizei Stari. Alumnus Collegii Graecorum de Urbe (1845-1855). Anno 1856 ordinatus sacerdos. Ab anno 1857 Capellanus et magister caeremoniarum Rutheni Ritus in Collegio Graecorum in Urbe usque ad annum 1877. Nominatus Director spiritualis et magister caeremoniarum Seminarii Leopoliensis, quo in officio fere ad mortem usque permansit. Obiit anno 1924, die 22 Martii Vir insignis spiritu et doctrina. Scripsit multa de re liturgica et de cantu ecclesiastico. Immo eius opera in hoc campo sunt valoris fundamentalis. Commemorari iuvat: « *O svjaščennyh obrjadach hreko-katolyckoji Cerkvy* »; « *Hlasopisnec malyj pid noty* »; « *Istorja bractva Vvedennja v chram Prečystoji Divy Mariji* » et alia quam plurima. Cfr. J. BOGIAN, *Isydor Dolnyckyj*, Leopoli.

tistitis persuadent nobis, ut honorificum tibi decernamus titulum, qui tua merita et Nostram in te benevolentiam cumulate testetur. Quare te etc. censes, his litteris etc. (*ut Isidoro Dolnyckyj*) quibuscumque.

Datum Romae, 6 Julii 1896, An. 17.

C. Card. DE RUGGIERO De speciali mandato SS.mi
* * *

Simile Breve honoris datum fuit a Leone PP. XIII etiam: Alexandro BACZYNSKYJ, Leopoliensi, sub data 21.IV.1896; Joanni WOJTOWICZ, Perekmiensi, sub data 18.IV.1896; Leoni TURKIEWICZ, Leopoliensi, sub data 6.VII.1896, et Victori GEBE, Munkacsiensi, sub data 17.IV.1897, nec non Joanni JAKOVICH, Munkacsiensi, sub data 27.III.1903.

1025.

Romae, 10 . IX . 1897

Basilius Levyckyj eligitur in Protonotarium Apostolicum ad instar.

SECRET. BREVIUM, Leo XIII, September, 1897, pars utraque, fol. 268.

Dilecto filio Basilio Lewicki¹²⁹, Presbitero
Dioecesis Leopoliensis Ruthenorum.

LEO PP. XIII. Dilecte fili, etc. benedictionem.

Insignes pietate ac doctrina viros ecclesiasticos, Decessorum Nostrorum vestigiis haerentes, ut meritis praemium ferant, atque ad potiora incitamentum, perhonorificis titulis cohonestare pro re ac tempore solemus. Horum in numerum praestantissimorum sacerdotum, qui alacri pectore in Vineam Domini adlaborantes, merito sal gentium appellari possunt, cum gravibus ac fide dignis testimoniis compertum habeamus, te, dilecte fili, iure esse adscribendum; tecum idcirco uti supra diximus facere constituimus. Quare te ab quibusvis etc. censes, hisce litteris auctoritate Nostra Protonotarium Apostolicum ad instar participantium facimus, eligimus, atque renuntiamus.

Proinde tibi, dilecte fili, concedimus omnia et singula iura, privilegia, honores, praerogativas, indulta, quibus alii huiusmodi dignitate aucti ex Apostolica potissimum Constitutione de Protonotariorum Collegio edita, cuius exemplar tibi iussimus tradi, utuntur, fruuntur, vel. uti, frui possunt, ac poterunt.

Praecipimus autem, ut priusquam concessionis huius beneficio perfrui incipias coram Decano Protonotariorum Apostolicorum participantium, si Romae adsis, per te, vel per legitimum procuratorem tuum fidei professionem emittas, iuxta articulos ab hac Sancta Sede propositos, debitum praestes in forma solita iuramentum aliaque praestes, quae praescribuntur. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, 10 Septembris 1897, An. 20.

De speciali mandato SS.mi ALOIS. Card. MACCHI (m.p.)

¹²⁹ Basilius Levyckyj, sacerdos Dioecesis Leopoliensis. Ab anno 1895 Romae commorabatur ut Procurator Negotiorum Provinciae Ecclesiasticae Leopoliensis in Urbe; residebat in Collegio s.d. Rutheno, ad ecclesiam SS. Sergii et Bacchi. Obiit ut Canonicus Perekmiensis, an. 1935.

1026.

Romae 18 . XII . 1897

Litterae Apostolicae Leonis PP. XIII de Collegio Clericorum Ruthenorum in Urbe constituendo.

LEO XIII, *Acta*, vol. XVII, Romae 1898, p. 350-53.

LEO PP. XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Paternam benevolentiam, qua omnes Orientis catholicos complectimur, peculiari quodam modo Ruthenos promereri censemus, qui Nobis non semel oblata occasione, preclara amoris et obsequii testimonia exhibuerunt. Nec minora Nos iisdem praebuimus argumenta dilectionis Nostrae. Siquidem restorationis operam dedimus vetusti Ordinis Sancti Basilii Magni, cuius alumni, pietate doctrinaque conspicui, in Dominico agro excolendo et christiana plebe erudienda feliciter elaborant¹³⁰. Misimus Legatum nostrum ad Synodum Leopoliensem primam; eamque agnovimus libenter. Metropolitanum Leopoli-tanum Silvestrum Sembratowicz, ob eius praeclara merita, in amplissimum S.R.E. Cardinalium Collegium allegimus; digniores e Clero privilegiis atque honoribus ditavimus.

Verumtamen maius quoddam efficere erat animus, scilicet providere, ut rutheni sacri ordinis alumni i hac alma Urbe ab alumni ex natione graeca Collegii Athanasiani separarentur, eisdemque domus propria pateret, ubi Ruthenorum Collegium rite constitueretur. Id ex una parte suadebant susceptae a Nobis curae de Collegio graeco instaurando, ex altera vero utilitas ac necessitas exercendi in propria sede ritum slavicum, quem inlyti Slavorum Apostoli Cyrillus et Methodius invexere.

Mentem adiecimus ad ecclesiam Sanctorum Sergii et Bacchi continentisque aedes, iam ab Urbano VIII Ruthenis benigne attributas; atque eiusmodi consilium Nostrum augusto Imperatori et Regi Apostolico Francisco Josepho patefecimus. Deo autem adiutore et auspice, quo erat in votis feliciter auspicatum est. Enimvero piissimus Imperator, eidem consilio Nostro munificentia sua libenter obsecundans, centena millia libelarum contulit, qua ad supradictas aedes reficiendas convenienterque in usum Collegii comparandas permagno subsidio fuere. Reliquos vero sumptus tum ad aedes ispas Collegii perficiendas, tum etiam ad continentem ecclesiam restituendam apteque exornandam necessarios, partim Sacrum consilium christiano nomini propagando, partim Nos ipsi, tempore licet adverso, libenter suppeditavimus.

Quamobrem, auctoritate Nostra Apostolica, ad maiorem Dei gloriam, ad decus utilitatemque Ruthenae Nationis, Collegium in hac Urbe clericis Ruthenis, in spem Ecclesiae erudiendis, erigimus et constituimus, eodemque iure esse volumus, quo alia Pontificia Clericorum Collegia in Urbe sunt, ad leges quae infra sequuntur.

I. Collegium in dictione et potestate Sacri Consilii Fidei Propagandae

¹³⁰ Revera Collegium hoc ab anno 1904 monachis Basilianis dirigendum commissum fuit, qua in directione ad hodierna usque tempora permanent. Hic agitur de s.d. «reformatione Dobromylensi». Cfr. sub. data 12.V.1882, Bullam Leonis XIII «*Singulare praesidium*», qua reformatio haec ordinata fuit et PP. Societatis Jesu commendata.

orientalis ritus negotiis praepositi perpetuo sit; atque iisdem regiminis et disciplinae legibus, quibus antea in Collegio Athanasiano, utatur.

II. Cardinalis sacri Consilii christiano nomini propagando Praefectus pro tempore existens, idem perpetuo Patronus Collegii sit.

III. Curator seu Praeses Collegii esto, qui adiutor ab actis Sacri Consilii ad negotia Orientalium.

IV. Quum de gravioribus agatur Collegii negotiis, de iis ad Summum Pontificem referatur, eidemque Summo Pontifici quotannis de disciplina deque re familiari descriptio litteris consignata exhibeatur.

V. Quum ad rectum Collegii regimen eiusque prosperitatem summopere intersit, Rectorem ceterosque moderatores constitui, qui magis idonei atque utiles bono eiusdem videantur, quamque perspecta Nobis sit singularis diligentia, qua Sodales Societatis Jesu meriti optime sunt de muneribus gestis in Collegio Athanasiano, eosdem ad nutum Nostrum benevolenti animo eligimus ad officia Rectoris et moderatorum Collegii Ruthenorum explenda.

VI. Sacerdos Ruthenae Nationis, designatus a suo Archiepiscopo, a Patrono instituitur, qui in Collegii aedibus degat, quique sedulam det operam alumnis excolendis et exercendis in iis tantum, quae ad sacram Liturgiam et ad Sacrorum ritus, Ruthenorum proprios, pertinent.

Quum porro maxime optemus, ut Ruthenorum Collegium sacri ordinis ministros educat vitae sanctitatem et doctrinae catholicae decora in bonum Ecclesiae suae prae se ferentes, magnopere confidimus studiosae Nostrae in ipsum voluntati uberes alumnorum in virtute et disciplina progressus vicissim responsuros.

Denique volumus, ut hae litterae Nostrae firmae rataeque, uti sunt, ita in posterum permaneant; contrariis quibuscumque non obstantibus.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XVIII Decembris MDCCCXCVII, Pontificatus Nostri Anno vicesimo.

A. Card. Macchi

1027.

Romae, 23 . V . 1898

Episcopus Stanislapolitanus Julianus Kuilovskyj privilegio Adsisentis Solio Pontificio condecoratur.

SECRET. BREV. Leo XIII, Maius 1898, pars utraque, fol. 597.

Venerabili fratri Juliano de Sas Kuilowski,
Episcopo Dioecesis Stanislapolitan. Ruthenorum.

LEO PP. XIII. Venerabilis etc. benedictionem.

Romanorum Pontificum etc. afficiamus (*cf. supra 7.VII. 1863*). Quare etc. Reliqua ut in formulario.

Datum Romae apud S. Petrum, 23 Maii 1898, An. 21.

De speciali mandato SS.mi

Pro Domino Card. Macchi ...

1028.

Romae, 19 . VI . 1899

Provisio Ecclesiae Stanislapolitanae in persona Andreae Szeptyckij, monachi Basiliani.

SECRET. BREV., Leo XIII, Junius 1899.

LEO etc. Dei. Dilecto filio Andreae Szeptycki¹³¹, monacho professo etc.

Apostolatus officium etc. indulgemus. (*ut sub data 15.VII.1841*).

Datum Romae etc. die 19 Junii 1899 etc.

* * *

Provisio haec Ecclesiae Stanislapolitane vi Bullae Pii PP. VII « *In universalis Ecclesiae* » (22.II.1807) ad Leopoliensem spectabat Metropolitanam. Sed, ut videtur, Sedes Apostolica in creatione eiusdem an. 1885, pro prima vice ius hoc sibi reservavit, confirmando candidatum Imperatoris Austriae in persona Juliani Pelesz, quem tandem an 1891 ad Sedem transtulit Peremysliensem, praeficiendo Ecclesiae Stanislapolitanae Julianum Kulovskij, Ep. tit. Hephastiensem (1891-1899). Tertia provisio eiusdem Ecclesiae evenit Sede Metropolitanam vacante, post obitum Sylvestri Sembratovyč (1898). Ideo S. Sedes intervenire debuit, et respectivam Bullam expedivit, prout patet ex documentis in provisione eiusdem Ecclesiae in persona Gregorii Chomyšyn anno 1904.

1029.

Romae, 30 . VIII . 1899

Provisio Ecclesiae Metropolitanam Leopoliensis in persona Juliani Kulovskij, per translationem e Sede Stanislapolitana.

ASV, Reg. Lat. an. 1899.

¹³¹ Andreas Szeptycki, ex nota familia ucraina, quae saec. XVIII plurimos dedit Ecclesiae catholicae Ucrainae Episcopos. Natus 29.VII.1865 in Prylbyci, filius Joannis et Sophiae Fredro. Doctor utriusque iuris an. 1883. Anno 1888, die 23 Maii, Ordinem Basilianorum ingressus est, et professionem monasticam emisit die 14 Augusti an. 1892; die vero 22 eiusdem mensis et anni Peremysliae ordinatus sacerdos. Dein Magister novitiorum Dobromyli (1894), Hegumenus Leopoliensis (1896-1898), Lector theologiae dogmaticae et moralis Krystynopoli (1899). Die 12 Februarii 1899 nominatus Episcopus Stanislapolitanus, die 17 Junii eiusdem anni praeconisatus Bulla Leonis XIII, et die 20 Septembris Stanislapoli intronisatus. Post unum annum nominatus Metropolita Haliciensis (31.X.1900), praeconisatus die 17 Decembris 1900, et intronisatus die 17.I.1901. Obiit in hac Sede die 1.XI.1944, plenus annis et meritis pro Ecclesia, Metropolia, et Patria. Multa perpeti debuit, primo bello universali durante in Moscoviam deportatus. Secundo bello universali opus vitae suae destructum vidit, quam ruinam impredire totis viribus conabatur. De eius activitate et vita confer articulum R.P. Theodosii HALUSZCZYNSKYJ in *Analecta OSBM*, vol. I, sec. II, fasc. 2-3, p. 267-284, ubi et bibliographia sat copiosa. Cfr. etiam articulum Sac. Cyrilli KOROLEVSKIJ in *Roma e l'Oriente* an. 1919-1920, et separatim in Grottaferrata 1920, aliaque quam plurima.

LEO etc. Dei. Venerabili fratri Juliano Sas Kuilowski¹³², nuper Episcopato Stanislaoopolitano, Ritus Graeco-Rutheni in Archiepiscopum Leopoliens. eiusdem Ritus Graeco-Rutheni electo, salutem etc.

Romani Pontificis etc. (*cf. infra sub data 17.XII.1900*) provideri cures.
Datum Romae etc. die etc.

* * *

In Registris Lateranensibus, ubi Bullae provisionum Ecclesiae Metropolitanae Leopoliensis registrari solebant, Bullam hanc invenire non potui. Sed formulam consuetam etiam hac vice adhibitam fuisse, mutatis mutandis, fere certi sumus. Sufficit proinde casus consimiles videre eius Praedecessoris, Sylvestri Sembratovyč (26.III.1885), vel Successoris, Andreae Szeptyckyj (17.XII.1900).

1030.

Romae, 23 . VI . 1900

Adsistentia Solio Pontificio conceditur Constantino Czechovyč, Episcopo Peremyšliensi.

SECRET. BREVIUM, Leo XIII, Junius 1900, pars utraque, fol. 324rv.

Venerabili fratri Constantino Czechowicz, Episcopo Praemislien. Sanochien. et Samborien. Ruthenorum¹³³.

LEO PAPA XIII. Venerabilis etc. benedictionem.

Romanorum Pontificum mos atque institutum est ut ii etc. decorentur. Quocirca propensum illud studium, quod tu, Venerabilis frater, erga Nos et Apostolicam Sedem ostendis, Nobis, qui, licet meritis imparibus, Cathedram ipsam tenemus iam exploratum perspectumque simul cum ceteris illustribus eximiisque virtutibus quodammodo Nos impellit, ut te perinde ac si semper in hac Alma Urbe adesses praesens nedum inter Praesules Nostros domesticos adnumeremus, sed honoribus quoque Episcoporum Pontificio solio assistentium libenti animo afficiamus. Ideoque etc. (*ut sub data 7.VII.1863*).

Datum Romae apud S. Petrum, die 23 Junii 1900, An. 23.

De speciali mandato SS.mi
Alois. Card. Macchi

1031.

Romae, 17 . XII . 1900

Bulla provisionis Metropoliae Haliciensis in persona Andreae Szeptyckyj, Episcopi Stanislaoopolitani.

ASV, Reg. Lat., an. 1900.

Bohoslovia, an. IV (1926), fasc. 1-2, p. 3-5.

¹³² Julianus Kuilovskyj, *cf. supra*, nota 123.

¹³³ Constantinus Czechovyč, Episcopus Peremyšliensis (1897-1915).

LEO Episcopus Servus Servorum Dei, Venerabili fratri Andreae Szeptycki¹³⁴ nuper Episcopo Stanislao-politan. ritus graeco-rutheni in Archiepiscopum Leopoliensem eiusdem ritus graeco-rutheni Electo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Romani Pontificis, quem Pastor caelestis et Episcopus animarum, potestatis plenitudinem ei tradens Ecclesiis praeposuit universis, sollicitudo requirit, ut circa cuiuslibet Ecclesiae statum sic vigilanter excogitet sicque prospiciat diligenter, quod per eius providentiam circumspectam nunc per simplicis provisionis officium quandoque vero per ministerium translationis accommodat, prout personarum, locorum et temporum qualitas exigit et Ecclesiarum ipsarum utilitas persuadet Ecclesiis singulis pastor accedat idoneus et Rector providus deputetur, qui populum ei creditum salubriter dirigat et informet Ecclesiamque ipsi commissam non solum gubernet utiliter, sed etiam multis modis efferat incrementis.

Cum itaque Metropolitana Ecclesia Leopoliensis ritus Graeco-Rutheni, cum ei adnexo titulo Archiepiscopalis Ecclesiae Haliciensis, ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio personae idoneae eidem Metropolitanae Ecclesiae in Archiepiscopum praeficiendae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda, ad carissimum in Christo filium Nostrum Franciscum Iosephum hoc nomine Primum Austriae Imperatorem ac Bohemiae et Hungariae Regem Apostolicum ex fundatione, vel dotatione, aut privilegio Apostolico cui non est hactenus in aliquo derogatum, spectare et pertinere dignoscitur et cui bonae memoriae Iulianus Kuilowski ultimus illius Archiepiscopus, dum viveret, praesidebat, per obitum dicti Iuliani Archiepiscopi, qui extra Romanam Curiam debitum naturae persolvit, pastoris solatio sit destituta; cumque dictus Franciscus Imperator et Rex ad praefatam vacantem Metropolitanam Ecclesiam Leopoliensem ritus Graeco-Rutheni te hactenus Episcopum Stanislao-politanum per suas patentes litteras nominaverit, Nos spem habentes te qui consecrationis munere suscepto ad tibi creditam Ecclesiam accessisti, inibi residisti, eamque simul ac dioecesim perlustrasti, sacras exegisti ordinationes, pontificalia solemniter celebrasti, ceteraque pastoralia munia laudabiliter obivisti, quique nuper ad effectum infrascriptae translationis fidei catholicae professionem iuxta formam a sanctae memoriae Urbano Papa Octavo, Praedecessore Nostro, Orientalibus praescriptam expresse emisisti, praefatae Metropolitanae Ecclesiae Leopoliensi Graeco-Rutheni ritus illiusque gregi Dominico esse posse valde utilem, te, licet absentem, a vinculo quo praefatae Ecclesiae Stanislao-politanae teneris de Venerabilium fratrum Nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium consilio et Apostolicae potestatis plenitudine absolventes, te ad vacantem praefatam Metropolitanam Ecclesiam Leopoliensem ritus Graeco-Rutheni, de simili consilio, Apostolica auctoritate transferimus, teque illi in Archiepiscopum et pastorem praeficimus, curam regimen et administrationem dictae Metropolitanae Ecclesiae Leopoliensis tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committendo, liberamque tibi ad eam transeundi licentiam tribuendo; firma spe fiduciaque conceptis quod dextera Domini tibi assistente propitia praedicta Metropolitana Ecclesia Leopoliensis per tuae circumspectionis industriam et studium fructuosum regetur

¹³⁴ Cfr. supra, nota 131.

utiliter ac prospere dirigetur et grata in iisdem spiritualibus et temporalibus suscipiet incrementa.

Tu itaque ad dictam Ecclesiam Metropolitanam Leopoliensem cum gratia Nostrae benedictionis accedens curam et administrationem praefatas sic exercere studeas sollicite, fideliter ac prudenter, quod exinde sperati fructus proveniant, ac tuae bonae famae odor ex tuis laudabilibus actibus latius diffundatur, dictaque Metropolitana Ecclesia Leopoliensis gubernatori provideo ac vigili administratori gaudeat se commissam, tuque, praeter aeternae retributionis praemium, Nostram et Sedis Apostolicae benedictionem et gratiam exinde uberius consequi merearis.

Volumus autem quod tu antequam regimini et administrationi dictae Metropolitanae Ecclesiae Leopoliensi in aliquo te immisceas, in manibus cuiuscumque, quem malueris, catholici Antistitis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, fidelitatis debitae solitum praestes iuramentum iuxta formam quam sub alia Bulla nostra mittimus introclusam, ac iuramenti huiusmodi exactum et sine mendis exemplar tui ac dicti Antistitis subscriptione ac sigillo munitum ad Sedem Apostolicam quantocitius transmittas, cui quidem Antistiti per alias Nostras litteras committimus et mandamus, ut ipse Nostro et Romanae Ecclesiae nomine iuramentum huiusmodi a te iuxta eandem formam recipiat.

Volumus etiam quod tu Capitulum Metropolitanum de Theologo ac Poenitentiario iuxta sacros canones provideri cures.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae Millesimo nongentesimo, sexto decimo Kalendas Ianuarii, Pontificatus Nostri Anno vigesimo tertio.

(Loco plumbi)

* * *

Hoc eodem die aliae etiam Bullae expeditae fuerunt: Imperatori, Suffraganeis, Capitulo, Clero et populo destinatae.

1032.

Romae, 8 . IV . 1901

Capitulum Peremysliense novis dignitatum insignibus condecoratur.

LEO XIII, *Acta*, vol. XXI, p. 49-50

Litterae Apostolicae, quibus Capitulo Premisliensi Ruthenorum nonnulla dignitatis insignia conceduntur.

LEO PP. XIII. Ad perpetuam rei memoriam.

Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, vestigiis haerentes, viros ecclesiasticos, qui in templis maxime conspicuis divinis laudibus concinendis operam navant, ut pro habitu prodant quantum ceteris antecellant, et christianae plebis obsequium sibi magis magisque concilient, peculiarium insignium ornamento augustiores efficere solemus. Hac mente, cum Venerabilis frater Constantinus, Episcopus Premisliensis Ruthenorum, enixis precibus Nos flagitaverit, ut suo Capitulo eadem dignitatis insignia largiri velimus, quibus nuper decoravimus Capitulum Premisliense Latinorum, Nos collatis

consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalibus Congregationi de Fide Propaganda praepositis pro negotiis Ritus Orientalis, inspectis peculiaribus pietatis et christianae caritatis laudibus, quibus ipsum Capitulum enitet, memorati Antistitis votis benigne annuendum existimavimus. Quae cum ita sint, omnes et singulos, quibus Nostrae hae litterae favent, peculiari benevolentia complectentes, et a quibusvis excommunicationis, suspensionis, et interdicti, aliisque ecclesiasticis sententiis, censuris, et poenis, si quas forte incurrerint, huius tantum rei gratia absolventes et absolutos fore censentes, Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi perpetuumque in modum concedimus, ut omnes et singuli nunc et in posterum existentes Capituli Cathedralis Ecclesiae Premisliensis Ruthenorum Praelati et Canonici in veste talari nigra orbiculis et globulis sericis atque ora texta itemque cingulo seu fascia, chirotecis, et tibialibus violacei coloris licite uti queant, prout Capitulum Latinorum iisdem insignibus gaudet. Decernentes praesentes litteras nostras validas, et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, illisque ad quos spectat et spectare poterit in omnibus et per omnia plenissime suffragari, sicque in praemissis per quoscumque Iudices ordinarios et delegatos iudicari et definiri debere, atque irritum et inane si secus super his a quoquam, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter, contigerit attentari.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die VIII Aprilis MDCCCCI, Pontificatus Nostri Anno vicesimo quarto.

A. Card. Macchi





Ex opere murali in sacello Pont. Coll. S. Josaphat
Romae

b. PIUS X
(4.9.VIII.1903 — 20.VIII.1914)
tarvisinus
(Josephus Sarto)

DOCUMENTA B. PII PP. X

1033.

Romae, 4 . III . 1907

Provisio Ecclesiae Daulinensis in persona P. Soteri Ortynskyj, Ordinis S. Basilii Magni.

SECRET. BREVIUM, Pius X, *Diversorum*, lib. V, pars I, fol. 184-196.

Dilecto filio Stephano Soteri Ortynskyj¹,
sacerdoti Ritus Graeci-Rutheni, ex Ordine S. Basilii Magni.

PIUS PP. X. Dilecte etc. benedictionem.

Apostolatus officium etc. attentari. Iam vero episcopali Ecclesiae titolari Daulinen, in Achaia, sub Archiepiscopo Athenarum, cui bo.me. Americus Cialente, ultimus illius Episcopus, dum viveret praesidebat, per obitum ipsius Americi extra Romanam Curiam defuncti, Pastoris solatio destituta, Nos ad eiusdem Ecclesiae provisionem etc. praepositis, demum ad te dilecte fili, e legitimis nuptiis progenitum, in aetate legitima constitutum, et peculiaribus animi ingeniique virtutibus ornatum, mentem nostram convertimus. Quare te a quibusvis etc. censentes, hisce literis titularem dictam Ecclesiam Daulinen, de persona tua, Nobis et memoratis Cardinalibus etc. providemus, teque illi in Episcopum praeficimus, et Pastorem, curam etc. expleturum. Verum tamen indulgemus, ut donec ipsa Ecclesia inter mere titulares consistet, ad illam accedere etc. minime tenearis.

Caeterum facultatem tibi Apostolica nostra auctoritate tribuimus, ut a quocumque, quem malueris, catholico Antistite etc. consecrationis munus recipere licite possis ac valeas, eidemque Antistiti etc. queat. Verum tamen praecipimus, ut nisi receptis etc. suspensi sitis eo ipso. Non obstantibus Apostolicis etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 4 Martii 1907, Anno 4.

¹ Soter Ortynskyj, Basilianus. Natus 29.I.1866 in Ortynia, in Ucraina Occidentali. Ingressus Ordinem Basilianorum die 3.II.1884, ubi, emissis votis et studiis absolutis, ordinatus fuit sacerdos die 18.VII.1891. Dein varia obibat munera in Ordine, praesertim vero praedicatoris et missionarii. Die 26.III.1907 nominatus Ep. tit. Daulinensis et Ordinarius pro fidelibus Ritus Orientalis oriundis ex Ucraina Occidentali et Carpatia in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis. Obiit Philadelphiae die 24.III.1916. Vir insignis verbo et opere. Cfr. *Catalogi OSBM*, an. 1884-1908.

1034.

Romae, 4 . III . 1907

Electio Soteri Ortynskyj, Basiliani, in Episcopum pro fidelibus Ritus Orientalis in Foederatis Statibus Americae Septentrionalis.

SECRET. BREVIVM, Pius X, 1907, *Diversorum*, lib. V, pars I, fol. 191, 196.

Dilecto filio Stephano Soteri Ortynskyi de Labeledz,
Monacho Ordinĭs S. Basilii Magni.

PIUS PP. X. Dilecte etc. benedictionem.

In hac Beati Petri Cathedra tamquam in sublimi specula divinitus collocati in omnes christiani orbis partes oculos mentis nostrae convertimus, et quae... procurationi melius gerendae faciant, interposita nostra auctoritate decernere maturamus. Iam vero cum inter migrantes ex Europa in Status Foederatos Americae Septentrionalis plurimi recenseantur Rutheni Ritus Catholici, ex Galicia Austriaca et ex Hungaria oriundi², qui sive ob linguam ipsis propriam sive ob Ritus quo in sacris utuntur, peculiari adsistentia in spiritualibus indigent, Nos aeternae fidelium salutis semper solliciti, eorum necessitatibus occurrere cupientes, collatis consiliis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardd. Congregationi de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis praepositis, ipsis Ruthenis Episcopum proprii Ritus concedendum statuimus; et inspectis pietate, doctrina, prudentia, animarum zelo aliisque praestantissimis laudibus, quibus enites, tibi munus huiusmodi committere existimavimus.

Quare te, quem per similes litteras nostras hoc ipso die datas titularis Ecclesiae Daulien. Episcopum Apostolica nostra auctoritate renuntiavimus, peculiari complectentes et censentes particulari honore, te pro Catholicis Rutheni Ritus in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis degentibus Episcopum instituimus, qui vigilantiam in eos exerceas ipsosque ab insidiis Schismaticorum in America hac illuc vagantium tuearis, Ruthenique Ritus integritatem cures. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 4 Martii 1907, An. 4.

1035.

Romae, 14 . VI . 1907

Litterae Apostolicae de erectione Exarchatus Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis, deque eius iure et regimine.

SECRET. BREVIVM, Pius X, Junius 1907.
Acta Pii X PP., vol. V., p. 57-68.

BULLA SEU LITTERAE APOSTOLICAE
DE RUTHENI RITUS EPISCOPO CONSTITUENDO ET CLERI POPULIQUE DISCIPLINA
MODERANDA IN CIVITATIBUS FOEDEATIS AMERICAЕ SEPTENTRIONALIS.

² Migratio haec oeconomica initium habuit sub finem saec. XIX.

PIUS EPISCOPUS Servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Ea semper fuit Apostolicae Sedis peculiaris quaedam ac propria sollicitudo ut varii ac diversi, quibus exornata splendet catholica Ecclesia, diligenter custodirentur Ritus, quemadmodum provisa plura et statuta a Decessoribus Nostris in venerabiles maxime liturgias Orientalium Ecclesiarum perspicue declarant.

Iam, illud Nobis enarratur, Ruthenos catholicos, numero plurimos, ex Hungaria et Galicia in Civitates Foederatas Americae Septentrionalis migrasse, suaque ibi collocata sede, complura sibi comparasse templa, singularum dioecesium probantibus Episcopis, iisdemque, ut par est, sacra eos potestate moderantibus. Dignam sane, quae maximis extollatur laudibus, eorum caritatem Praesulum arbitremur, qui summo studio miraue sollicitudine, catholicis dissimili ritu filiis praesto adhuc esse non desivere. His quidem Episcopis visum est, facilius posse Ruthenorum Ritus adservari integrum et consentaneo decore administrari; posse etiam fideles Ruthenos, hoc tali accedente praesidio, efficacius contra pericula armari, quibus, Schismaticorum civium opera, patent, si Episcopus iisdem ritus rutheni detur. Nos autem eiusmodi amplexi sententiam. rationumque, quas supra memoravimus, permoti momentis, id consilii suscepimus, Episcopum deligere ac nominare, qui, potestate opportune instructus, illud enitatur et contendat ut ritus graecus ruthenus, variis in missionibus Foederatarum Civitatum, incorrupte servetur.

Huius Episcopi munus quo aptius cum ordinaria iurisdictione Episcoporum cohaereat, qui iis praesunt dioecesibus ubi Ruthenorum sodalitates sitae sunt, quaedam Nos, de sententia Venerabilium Fratrum Nostrorum sacri Consilii Christiano nomini Propagando negotiisque Orientalis Ritus cognoscendis, statuenda, pro rei gravitate, censuimus³; id certo rati, horum adiumento praescriptorum, nihil assequendis commodis obstiturum, animorumque concordiae, quae debet viros e sacro ordine populosque utriusque Ritus coniungere, iri consultum.

Caput I.

DE EPISCOPO RUTHENI RITUS.

Art. I. Nominatio Episcopi rutheni ritus pro Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis Apostolicae Sedi est omnino reservata.

Art. II. Episcopus rutheni ritus sub immediata huius Apostolicae Sedis iurisdictione ac potestate est, ac sub vigilantia Delegati Apostolici Washingtoniensis. Iurisdictionem autem ordinariam nullam habet, sed tantummodo sibi delegandam a singulis Ordinariis, in quorum dioecesi Rutheni commorantur. Eius officium est circa ritus rutheni integritatem vigilare, sacra olea pro Ruthenis conficere, ecclesias rutheni ritus dedicare, Confirmationem Ruthenis ministrare, Pontificalia in ecclesiis Ruthenorum peragere, et, praehabitis in singulis casibus litteris dimissoriis Ordinarii loci, clericos rutheni ritus ordinare.

Art. III. Salvo iure et officio Ordinarii loci, Episcopus rutheni ritus visitationem missionum ruthenarum inire poterit, praehabita in scriptis licentia eiusdem Ordinarii, qui illi conferet facultates quas concedendas iudicaverit.

³ Litterae hae Apostolicae vitam ecclesiasticam horum fidelium hisce in initiis definiabant. Hic primus passus, circumstantiis temporum et locorum consentaneus, brevi in multis mutari debuit, prout res ipsa postulabat, et vita quotidiana imperabat.

Art. IV. Episcopus rutheni ritus in visitatione rationes ab unoquoque rectore missionis exposcet administrationis bonorum missionis eiusdem, curabitque ne rector nomine ac iure proprio ea retineat pro quorum acquisitione fideles quovis modo subsidia contulerint; simul autem operam dabit, ut iuxta leges sive dioecesanarum, sive constitutas in III plenario Concilio Baltimorensi, ea bona vel quamprimum transferantur sub nomine Ordinarii loci, vel alio tuto ac legali modo, ab eodem Ordinario approbando, firmiter adscripta sint et maneant favore missionis.

Art. V. Peracta visitatione, Episcopus rutheni ritus certiore faciet de statu morali et de oeconomica administratione missionis visitatae Ordinarium loci, qui oportune decernet, quae ad bonum missionis in Domino expedire censuerit.

Art. VI. Controversiae, si quae exoriantur inter Episcopum rutheni ritus et Episcopos dioecesanos, deferantur, in devolutivo tantum, ad Delegatum Apostolicum Washingtoniensem, salva, item in devolutivo, appellatione ad Apostolicam Sedem.

Art. VII. Donec aliter ab Apostolica Sede decernatur, ordinaria residentia Episcopi ritus rutheni erit in urbe Philadelphia.

Art. VIII. Ad constituendam annuam stipem pro sustentatione Episcopi ritus rutheni concurrere debent singulae ruthenae communitates, eidem solvendo annuam praestationem instar cathedratici, iuxta praxim et normas vigentes in dioecesibus Civitatum Foederatarum, in quibus missiones ruthenae constabilitate inveniuntur.

Art. IX. Episcopus rutheni ritus tertio quoque anno plenam et accuratam relationem de statu personali, morali ac materiali missionum proprii ritus exhibeat Delegato Apostolico Washingtoniensi, qui eam transmittet ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis.

Caput II.

DE CLERO RUTHENO

Art. X. Cum nondum habeantur sacerdotes rutheni, qui vel nati vel saltem educati sint in Civitatibus Foederatis Americae, Episcopus rutheni ritus, praevia intelligentia cum Delegato Apostolico et Ordinario loci, omni studio curet, ut seminarium pro clericis ruthenis in iisdem Civitatibus Foederatis educandis quantocius instituat. Interim vero clerici rutheni ad seminaria latina locorum in quibus nati sunt, vel domicilium acquisiverunt, admittantur. Sed non nisi caelibes, sive nunc sive in posterum ad sacros Ordines promoveri poterunt.

Art. XI. Antequam habeatur numerus sufficiens presbyterorum ruthenorum, qui in Civitatibus Foederatis Americae educati fuerint, si providenda accurrat de suo rectore aliqua missio Ruthenorum vel vacans vel noviter erecta, Ordinarius loci, audito, si ita existimaverit, Episcopo rutheni ritus, idoneum sacerdotem ruthenum illic iam morantem ipsi praeficiat. Si nullus idoneus in dioecesi habeatur, ipsum postulet ab alio Episcopo Civitatum Foederatarum. Si vero nullum inibi inveniat, de re certiore reddat Sacram Congregationem de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis, cui curae erit providere.

Art. XII. Sacerdos eligendus sit caelebs, vel saltem viduus et absque liberis, integrae vitae, zelo ac pietate praeditus, satis eruditus, lucri non cupidus, et a politicis factionibus alienus.

Art. XIII. Sacerdoti ex Europa vocato praedicta Sacra Congregatio tradet documentum, quo ipsi concedatur facultas se conferendi in Civitates Foederatas Americae ad assumendam spiritualem curam alicuius determinatae missionis ruthenae.

Art. XIV. Presbyteris ruthenis in America commorantibus penitus interdicitur ne baptizatos Sacro Chrismate consignent; et si secus fecerint, sciant se invalide egisse.

Art. XV. Quilibet ruthenus sacerdos ex Europa proveniens et in Civitatibus Foederatis Americae commorans pro fidelium rutheni ritus spirituali cura, semper manebit incardinatus dioecesi originis; attamen Episcopus ruthenus originis iurisdictionem suam in eum nullimode exercebit quoadusque ipse in Civitatibus Foederatis commorabitur. In patriam autem supra dicti sacerdotes redire nequeant absque expressa licentia Ordinarii Americani, in scriptis concedenda, in cuius dioecesi sacrum ministerium exercent. Quod si de una in aliam dioecesim Civitatum Foederatarum se conferre cupiant, requiritur consensus Episcopi a quo et ad quem, opportune facto certiore Episcopo rutheni ritus.

Art. XVI. Laici rutheni, candidati ad Ordines, cuiuscumque originis et domicilii fuerint, illi dioecesi incardinati censeantur, a cuius Ordinario acceptati fuerint, et pro qua emiserint iuramentum missionis seu stabilitatis ad inseriendum in dicta dioecesi. Ab ea autem dioecesi, in qua incardinati sunt, ad aliam transire nequeant, nisi praehabito consensu Ordinarii a quo et ad quem, ac opportune reddito certiore Episcopo rutheni ritus.

Art. XVII. Omnes rectores missionum ruthenarum Civitatum Foederatarum sunt amovibiles ad nutum Ordinarii loci, opportune effecto certiore Episcopo rutheni ritus. Amoveri autem non poterunt absque causis gravibus et iustis.

Art. XVIII. Datur tamen facultas presbytero amoto appellationem interponendi in devolutivo contra Decretum remotionis ad tribunal Delegati Apostolici Washingtoniensis, qui intra tres menses a die appellationis causam definire curabit, salvo semper iure recursus ad S. Sedem, item in devolutivo.

Art. XIX. Sustentationi sacerdotis providebit communitas ruthena, iuxta praxim et normas dioecesos in cuius finibus communitas invenitur.

Art. XX. Iura stolae et emolumenta sacri ministerii in singulis missionibus determinanda sunt ab Ordinario loci iuxta consuetudines locales, audito Episcopo rutheni ritus.

Caput III.

DE FIDELIBUS RUTHENIS.

Art. XXI. Fideles rutheni iis in locis in quibus nulla ecclesia nec sacerdos ritus eorum habeatur, ritui latino sese conformabunt; eisque huiusmodi facultas conceditur etiam ubi propter longinquitatem ecclesiae suae non eam pos-

sint nisi cum gravi incommodo adire; quin tamen ex hoc ritus mutatio inducatur.

Art. XXII. Laici rutheni, qui verum et stabile domicilium in Civitatibus Foederatis constituerint, transire possunt ad ritum latinum, obtenta tamen prius, in singulis casibus, venia Apostolicae Sedis.

Art. XXIII. Si contingat ut hi quandoque in patriam revertantur, tunc etsi ex Pontificio rescripto ritum latinum susceperint, licebit eis, Apostolica Sede exorata, ad pristinum ritum redire.

Art. XXIV. Non licet Missionariis latinis, sub poenis ab Apostolica Sede decernendis, quempiam Ruthenum ad latinum ritum amplectendum inducere.

Art. XXV. Fideles rutheni, etiam in locis in quibus adest presbyter rutheni ritus, apud sacerdotem latinum ab Ordinario loci approbatum peccata sua confiteri, et beneficium sacramentalis absolutionis valide et licite obtinere possunt.

Sciant autem sacerdotes rutheni ritus, censuras et reservationes casuum in dioecesi, in qua ministerium exercent, sive vigentes sive ferendas clerum etiam et populum eiusdem rutheni ritus afficere.

Art. XXVI. Ad vitanda gravia incommoda quae inde Ruthenis evenire possent, facultas eis fit dies festos et ieiunia observandi iuxta consuetudinem locorum in quibus degunt. Attamen diebus dominicis, et festis in utroque ritu in eandem diem incidentibus, Sacrae Liturgiae in ecclesia sui ritus, si in loco existat, Rutheni interesse tenentur.

Caput IV.

DE MATRIMONIO INTER FIDELES MIXTI RITUS.

Art. XXVII. Matrimonia inter Catholicos ruthenos et latinos non prohibentur; sed maritus latinus uxoris ruthenae ritum non sequatur, nec uxor latina ritum mariti rutheni.

Art. XXVIII. Si vero vir latinus in uxorem duxerit mulierem ruthenam, integrum erit mulieri ad ritum latinum, sive in actu matrimonii, sive postea, durante matrimonio, transire, quin electionem semel factam, vivente viro, revocare possit.

Art. XXIX. Soluta matrimonio, mulieri ruthenae quae ritum mariti amplexa fuerat, resumendi proprii ritus libera erit potestas.

Art. XXX. Uxori ruthenae quae maluerit in proprio ritu permanere, licebit tamen in ieiuniis et festis suum maritum sequi.

Art. XXXI. Vir ruthenus potest, si velit, ritum uxoris latinae sequi, eique pariter licebit in ieiuniis et festis ritui uxoris latinae sese conformare. Soluta matrimonio, poterit in ritu latino permanere, vel ritum ruthenum resumere.

Art. XXXII. Matrimonium inter virum latinum et ruthenam mulierem latine coram parochio latino contrahatur; inter (p. 65) virum vero ruthenum et mulierem latinam contrahi potest vel ruthene coram parochio rutheno, vel latine coram parochio uxoris.

Art. XXXIII. Si uterque contrahens in suo ritu permaneat, competit presbyteris respectivi ritus officium parochi erga illos exercere in rebus quae hic

recensentur, nempe: in communionis paschalis, viatici et extremae unctionis administratione, in adsistentia in mortis articulo, in exsequiis persolvendis atque in humatione; excepto necessitatis casu.

Art. XXXIV. Nati in Civitatibus Foederatis Americae ex patre latino et matre ruthena, latino ritu sunt baptizandi; proles enim sequi omnino debet patris ritum, si sit latinus.

Art. XXXV. Si vero pater sit ruthenus et mater latina, liberum erit eidem patri, quod proles vel ritu rutheno baptizetur, vel etiam ritu latino, si in gratiam uxoris latinae ipse consenserit.

Art. XXXVI. Infantes ad eius parochi iurisdictionem pertinent cuius ritu sunt legitime baptizati, cum per Baptismum fiat suscepti ritus latini vel rutheni professio, ita ut ad latinum spectent qui latino ritu baptizandi sunt; qui vero rutheno sunt baptizati, in Ruthenorum numero sint habendi.

Excipitur casus quando iis Baptismus alieno ritu collatus fuerit ob gravem necessitatem, cum nimirum morti proximi fuerint, vel in loco, in quo parentes tempore nativitatis morabantur, parochus proprii ritus non adesset; tunc enim ad parochum ritus quem parentes profitentur, pertinebunt, iuxta superius statuta.

In caritate Christi, qua fideles omnium rituum peramanter complectimur, haec statuenda censuimus pro spirituali bono animarumque salute fidelium ruthenorum in Foederatis Civitatibus Americae Septentrionalis commorantium; ac minime dubitamus quin ipsi Nostram hanc et Apostolicam Sedis erga eos sollicitudinem perfecta obedientia, imo et grato animo excipiant.

Praesentes litteras et in eis contenta et statuta quaecumque, nulla unquam, licet privilegiata, ex causa, colore et capite, nulloque unquam tempore de aliquo nullitatis vitio seu defectu inexcogitato et substantiali notari, impugnari aut in controversiam et iudicium vocari posse; sed tamquam ex Pontificiae Providentiae officio et Motu proprio, certa scientia, matura deliberatione, deque Nostrae Apostolicae potestatis plenitudine editas, omnimoda firmitate perpetuo validas et efficaces existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus, ad quos spectat et spectabit, inviolabiliter observari volumus et decernimus, sublata cuicumque, etiam Cardinalitia dignitate fulgenti, quavis aliter statuendi et interpretandi facultate; irritum quoque et inane decernentes quidquid in contrarium scienter vel ignoranter contigerit attentari.

Quocirca Venerabilem fratrem Diomedem, Archiepiscopum titularem Larissensem, Nostrumque apud Episcopus Civitatum Foederatarum Americae Septentrionalis Delegatum, exsecutorem praesentium Apostolica auctoritate constituimus, ut ipse per se vel per alium virum ecclesiastica dignitate insignitum, ab eo subdelegandum, praesentes Nostras litteras solemniter publicet, ac omnia et singula in eis contenta a cunctis observanda curet. Eidem vero praecipimus ut singulorum actorum in praesentium evulgatione et executione exemplar authenticum intra sex menses ad hanc Apostolicam Sedem transmittat, illudque in Archivio S. Congregationis de Propaganda Fide pro negotiis Orientalis Ritus adservari mandamus. - Non obstantibus Decessorum Nostrorum Constitutionibus et Ordinationibus, etiam in generalibus et provincialibus Conciliis editis, et quarumcumque Ecclesiarum, etiam Patriarchalium, seu Ordinum et Congregationum, iuramento et confirmatione Apostolica vel qua-

vis alia firmitate roboratis, statutis et consuetudinibus, aliisque quibuslibet, etiam Motu proprio, in contrarium praemissorum concessis, licet expressa mentione dignis; quibus omnibus, perinde ac si de verbo ad verbum his litteris inserta essent, ad praemissorum effectum specialiter et expresse derogamus et derogatum esse volumus, ceterisque in contrarium facientibus quibuscumque.

Harum vero transumptis etiam impressis, manu tamen alicuius Notarii publici subscriptis ac sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eandem ubique fidem haberi volumus, quae ipsis praesentibus haberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrae constitutionis, decreti, mandati, voluntatis, exemptionis, derogationis, indulti, infringere vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum se noverit incursum.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo nongentesimo septimo, decimo octavo Kalendas Julias, die festo S. Basilii Magni, Pontificatus Nostri anno quarto.

A. Card. DI PIETRO Pro-Dat.

R. Card. MERRY DEL VAL

Visa

De Curia I. DE AQUILA E VICECOMITIBUS

(Loco ✕ plumbi).

Reg. in Secret. Brevium.

V. CUCNONIUS

1036.

Romae, 27 . X . 1908

Michael Mryc titulo Antistitis Urbani honoratur.

SECR. BREV., Pius, X, October 1908, pars utraque, fol. 219 r.v.

PIUS PP. X. Dilecte etc. benedictionem.

Compertum plane nobis est e gravissimo Praemislien. Rhutenorum Antistitis suffragio te pietatis studio et sacerdotalium virtutum ornamento conspicuum in obeundis ecclesiastici muneris partibus luculenta catholicae rei provehendae actuosi zeli testimonia exhibuisse; ideoque dignus videris qui premium recte factis singularem nostrae benevolentiae significationem accipias. Quare te a quibusvis etc. censentes, hisce litteris autoritate nostra Antistitem Urbanum id est domus Pontificalis Praelatum facimus etc. Proinde tibi, dilecte fili, concedimus ut violaceas vestes etc. poterunt. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petum, die 27 Octobris 1908, An. 6.

De speciali mandato SS.mi

R. Card. MdV

⁴ Michaël Mryc, sacerdos Capituli Peremysliensis. Natus an. 1857, ordinatus an. 1884, nominatus Canonicus Peremysliensis an. 1898. Obiit Peremysliae. Cfr. *Schematismus Eparchiae Peremysliensis, Samboriensis et Sanokiensis an. 1932*, p. XV.

1037.

Romae, 29 . IV . 1912

Bulla provisionis Ecclesiae tit. Lyrbensis in persona Antonii Papp, nominati Coadiutoris Ecclesiae Munkaciensis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 33-12, vol. VI, nr. 56.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Antonio Papp⁵, electo Episcopo titulari Lyrbensi et Coadiutori cum iure futurae successionis hodierni Episcopi Munchaciensis Ruthenorum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Commissum humilitati Nostrae ab aeterno pastorum Principe officium regendi, pascendi et gubernandi universalem Ecclesiam Nos impellit ut curemus ne memoria pereat illarum Ecclesiarum, quae virtutum splendore et religionis prosperitate floruerunt, etsi modo temporum vicissitudine et iniuria pristinam amiserint fulgentem gloriam.

Cum itaque titularis ecclesia episcopalis Lyrbensis, sub Archiepiscopo Sidensi, certo modo Nobis noto, in praesens vacans existat, Nos te, Proto-notarium Apostolicum ad instar participantium, Praelatum Nostrum Domesticum, Canonicum ecclesiae cathedralis Munchaciensis et Vicarium Generalem eiusdem dioecesis Munchaciensis Ruthenorum, qui fidei catholicae professionem iuxta formulam a fel. rec. Urbano Papa octavo, Praedecessore Nostro, Orientalibus praescriptam, iam expresse emisisti, de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio, ad dictam vacantem titularem ecclesiam episcopalem Lyrbensem Apostolica auctoritate eligimus, eiusque tibi titulum conferimus cum omnibus iuribus, privilegiis et obligationibus sublimi huic dignitati inhaerentibus.

Insuper Nos, cupientes Venerabili fratri Nostro Julio Firczak, hodierno Episcopo Munchaciensi Ruthenorum⁶, ob iustas causas et de eius consensu de idoneo Coadiutore in regimine et administratione cathedralis ecclesiae Munchaciensis Ruthenorum, ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio personae idoneae eidem ecclesiae in Episcopum praeficiendae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad carissimum in Christo filium Nostrum Franciscum Josephum, hoc nomine primum, Austriae Imperatorem, Bohemiae Regem etc., et Hungariae Regem Apostolicum ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, spectare et pertinere dignoscitur, cum futura in illa ecclesia successione providere, te, expresso accedente consensu praefati Francisci Josephi Imperatoris etc. ipsi Julio Episcopo, quoad vixerit ac memoratae Munchaciensi Ruthenorum ecclesiae praefuerit, in Coadiutorem perpetuum in regimine et administratione eiusdem cathedralis ecclesiae Munchaciensis futura in illa successione in spiritualibus et temporalibus, cum omnibus facultatibus et

⁵ Antonius Papp, Ep. tit. Lyrbensis (1912), dein Ep. Munkaciensis ab an. 1912, et ab an. 1924 Archiepiscopus tit. Cyzicensis, et Administrator Apostolicus parocciarum Eparchiae Munkaciensis, quae in Hungaria remanserunt. Natus die 17.XI.1867. Die 24.XII.1943 Exarcha Ap. Miskolc. Succesit in Mukacevo post obitum Julii Firczak (1891-1912).

⁶ Julius Firczak, Episcopus Munkaciensis (1891-1912). Natus die 22.VIII. 1836, electus ad Sedem Munkaciensem die 17.XII.1891. Obiit die 2.VI.1912.

potestatibus de iure Coadiutoris officio pertinentibus, de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium pariter consilio, suprema Nostra auctoritate, tenore praesentium constituimus et deputamus.

Nec non praedicto Julio Episcopo quacumque ex causa a regimine praefatae ecclesiae Munchacsiensis Ruthenorum cessante, ex nunc eidem ecclesiae de tui persona provisum, teque illi in Episcopum praefectum esse decernimus et declaramus, cauto tamen ut statim eo ipso vacet titularis ecclesia episcopalis Lyrbensis, cuius titulum nunc, per easdem praesentes tibi concedimus.

Volumus autem et mandamus ut, etiam ceteris impletis de iure servandis, antequam in regimine et administratione praefatae Ecclesiae Munchacsiensis Ruthenorum te quomodocumque immisceas, in manibus cuiuscumque, quem malueris, catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, consueta iuramenta praestare, iuxta formulas praesentibus litteris annexas, et illas, vel earum exemplaria, tui et praefati Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad Sedem Apostolicam infra sex menses transmittere omnino tenearis. Ad hoc Antistiti a te electo iuramenta praedicta Nostro et Romanae Ecclesiae nomine recipiendi munus ac mandatum per praesentes committimus.

Volumus insuper ut tu, annis singulis, praefatam fidei professionem, sub eadem omnino formula, nuper per te iurata coram hodierno Episcopo Munchacsiensi Ruthenorum, vel coram personis Cathedralis Capituli Munchacsiensis Ruthenorum in insigniori ecclesiastica dignitate constitutis, emittere, illamque sic emissam, scriptis traditam, propriaeque manus ac dicti Episcopi vel dictarum personarum subscriptione ac sigillo munitam, ad Nostrum Apostolicum Nuncium Viennensem Austriae transmittere omnino tenearis, quam idem Apostolicus Nuncius ad Sacram Congregationem de Propaganda Fide perferri curabit.

Volumus quoque ut munera incompatibilia, quae in praesens obtines, per has Nostras provisionem et praefectionem ipso facto vacent.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus fore ut, dextera Domini tibi assistente propitia, memorata ecclesia Munchacsiensis Ruthenorum per tuam assiduum cooperationem et studium fructuosum grata in spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo decimo secundo, die vigesima nona mensis Aprilis, Pontificatus Nostri Anno nono.

1038.

Romae, 29 .IV . 1912

Noviter nominato Episcopo tit. Lyrbensi datur facultas suscipiendi munus consecrationis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 33-12, vol. VI, nr. 56.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Antonio Papp, electo Episcopo titulari Lyrbensi et Coadiutori cum iure futurae successionis hodierni Episcopi Munchacsiensis Ruthenorum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nos tibi, in Episcopum titularem Lyrbensem hodie a Nobis electo, facultatem peramanter concedimus ut extra Urbem episcopalem consecrationem libere et licite recipere valeas, iuxta tuum proprium ritum et disciplinam, a quocumque, quem malueris, catholico Antistite, eiusdem ritus, assistentibus ipsi duobus aliis catholicis Episcopis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus. Stricte vero praecipimus et mandamus ut nisi prius consueta iuramenta praestiteris iuxta formulas litteris Nostris adnexas, nec tu consecrationem praedictam recipere audeas, nec eam tibi Antistes a te electus, cui propterea iuramenta praedicta Nostro et Romanae Ecclesiae nomine recipiendi munus et mandatum per praesentes committimus, impertiatur.

Volumus autem ut, si huic Nostro praecepto, quod Deus avertat, tu et Antistes a te electus contravereris, poenam suspensionis ab exercitio pontificalis officii et ab administratione tum spirituali, tum temporali ecclesiarum vestrarum ipso facto incurratis.

Datum Romae... (*ut supra*)

1039.

Romae, 29 . IV . 1912

Imperatori Austriae de nominatione Antonii Papp in Ep. tit. Lyrbensem et Coadiutorem Munkaciensem.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 33-12, vol. VI, nr. 56.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Carissimo in Christo filio Nostro Francisco Josepho, Austriae Imperatori, Bohemiae Regi etc. et Hungariae Regi Apostolico, salutem et Apostolicam benedictionem.

Gratiae divinae praemium et humanae laudis praeconium acquirunt saeculares Principes, si ecclesiarum Praelatis, praesertim pontificali dignitate praeditis, opportuni favoris praesidium et honorem debitum impendant.

Hodie siquidem Nos dilectum filium Antonium Papp, Canonicum ecclesiae cathedralis Munchaciensis et Vicarium Generalem eiusdem dioecesis Munchaciensis Ruthenorum, de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio, ad titularem ecclesiam episcopalem Lyrbensem, in praesens vacantem, Apostolica auctoritate eligimus, eiusque illi titulum contulimus.

Ex certis insuper causis peculiaribus adductis, praefatum Antonium Antonium Antistitem, Venerabili fratri Nostro Julio Firczak, hodierno Episcopo Munchaciensi Ruthenorum, ipsius accedente consensu, in Coadiutorem perpetuum in regimine et administratione cathedralis Ecclesiae Munchaciensis Ruthenorum, ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio personae idoneae eidem Ecclesiae in Episcopum praeficiendae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda, tibi, carissime in Christo fili Noster, ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, spectare et pertinere dignoscitur, de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium pariter consilio, tuique expresso

accedente consensu, dicta Apostolica auctoritate, cum futura in illa Munchacsiensi Ruthenorum ecclesia successione constituimus et deputamus; nec non praefato Julio Episcopo, quacumque ex causa a regimine cathedralis Ecclesiae Munchacsiensis Ruthenorum cessante, ex nunc eidem Ecclesiae de persona praefati Antonii Antistitis provisum, ipsumque illi in Episcopum praefectum esse decrevimus et declaravimus, cauto tamen ut statim eo ipso vacet titularis Ecclesia episcopalis Lyrbensis, cuius titulum, una cum praedicta coadiutoria, eidem Antonio Antistiti contulimus.

Itaque, fili carissime, quum sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi, ac eos verbis et operibus pro Regis aeterni gloria venerari, Maiestatem Tuam rogamus et hortamur enixe ut dictum Antonium Antistitem et futurum cathedralis ecclesiae Munchacsiensis Ruthenorum Episcopum, et ipsam ecclesiam Munchacsiensem ipsius curae commissam, habeas pro Nostra et Sedis Apostolicae reverentia impense commendatos et in sui ministerii exercitio sic illum adiuves ut ipse, Tuae Maiestatis fultus praesidio, in commisso sibi curae pastoralis officio possit, Deo propitio, proficere, ac tibi exinde a Domino perennis vitae praemium, et a Nobis proveniat actio gratiarum.

Datum Romae... (ut supra)

1040.

Romae, 29 . IV . 1912

De eadem provisione et nominatione certioratur etiam Archiepiscopus Strigoniensis, cui Eparchia Munkacsiensis erat suffraganea.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 33-12, vol. VI, nr. 56.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi salutem et Apostolicam benedictionem.

Hodie siquidem Nos dilectum filium Antonium Papp, Canonicum Ecclesiae cathedralis Munchacsiensis etc. (ut in bulla Imperatori) in regimine et administratione cathedralis ecclesiae Munchacsiensis Ruthenorum, ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio personae idoneae eidem Ecclesiae praeficiendae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad carissimum in Christo filium Nostrum Franciscum Josephum, Austriae Imperatorem, Bohemiae Regem etc. et Hungariae Regem Apostolicum ex fundatione, vel dotatione seu privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, spectare et pertinere dignoscitur, de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium pariter consilio, et eiusdem Francisci Josephi Imperatoris et Regis expresse accedente consensu, praedicta Apostolica auctoritate, cum futura in illa Munchacsiensi ecclesia successione constituimus et deputavimus, nec non praefato Julio Episcopo quacumque ex causa etc. (ut in bulla Imperatori) eidem Antonio Antistiti contulimus.

Fraternitatem Tuam igitur monemus et hortamur in Domino, ut dictum Antonium Antistitem et futurum Episcopum suffraganeum tuum pro Nostra et Sedis Apostolicae reverentia tui favoris ope prosequaris.

Spem igitur fovemus ut eum in fratrem recipias et, zelo motus Dei gloriam et Ecclesiae bonum promovendi, eidem Episcopo, si quando ipse tuum imploret auxilium, adiumentum praestare non detrectes, ita ut ipse possit commissum sibi munus in bonum Munchaesiensis Ruthenorum Ecclesiae facilius explere.

Ad hoc tibi, auspicem divini favoris, Apostolicam impertimur benedictionem.

Datum Romae... (*ut supra*)

1041.

Romae, 29 . IV . 1912

De eadem nominatione Antonii Papp certioratur etiam Capitulum et Clerus Eparchiae Munkacsiensis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 33-12, vol. VI, nr. 56.

PIUS EPISCOPUS Servus servorum Dei. Dilectis filiis Capitulo Ecclesiae cathedralis, Clero et populo dioecesis Munchaesiensis Ruthenorum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Hodie siquidem Nos dilectum filium Antonium Papp, Canonicum cathedralis ecclesiae vestrae Munchaesiensis et Vicarium Generalem vestrae dioecesis Munchaesiensis Ruthenorum, (*ut in bulla Imperatori*) in Coadiutorem perpetuum in regimine et administratione cathedralis ecclesiae vestrae Munchaesiensis Ruthenorum, ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio personae idoneae eidem ecclesiae in Episcopum praeficiendae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad carissimum in Christi filium Nostrum Franciscum Josephum, Austriae Imperatorem, Bohemiae Regem etc. et Hungariae Regem Apostolicum ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum, spectare et pertinere dignoscitur, de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium pariter consilio, et eius Francisci Josephi, Imperatoris et Regis expresso accedente consensu, praedicta Apostolica auctoritate, cum futura in illa ecclesia Munchaesiensi Ruthenorum successione constituimus et deputavimus; nec non praefato Julio Episcopo, quacumque causa a regimine cathedralis Ecclesiae vestrae Munchaesiensis Ruthenorum cessante, ex nunc eidem Ecclesiae de persona praefati Antonii Antistitis provisum, ipsumque illi in Episcopum praefectum esse decrevimus et declaravimus, cauto tamen, ut statim eo ipso vacet titularis Ecclesia episcopalis Lyrbensis, cuius titulum una cum praedicta coadiutoria eidem Antonio Antistiti hodie contulimus.

Quocirca vos omnes obligatione adstringimus et hortamur, ut dictum Antonium Antistitem, deputatum coadiutorem et futurum cathedralis Ecclesiae vestrae Munchaesiensis Ruthenorum Episcopum, tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, coadiutoris officio etiam durante, salubribus illius monitis et mandatis debitam praestetis obedientiam, ita ut ipse in vobis devotionis filios, et vos in eo patrem benevolum invenisse gaudeatis.

Volumus autem et mandamus ut, cura et officio hodierni Episcopi Munchaesiensis, hae litterae Nostrae publice perlegantur, tum in capitulari conventu, qui prima vice post has litteras acceptas habebitur, tum in ipsa ecclesia cathedrali ab ambone, quum primus advenerit dies festus a populo de praecepto recolendus.

Datum Romae... (*ut supra*).

1042.

Romae, 15 . VII . 1912

Erigitur Exarchatus Apostolicus pro fidelibus Ritus Orientalis in Ditione Canadensi.

SECR. BREV., *Pius X, Divers.*, lib. X, fol. 457 r.v.

PIUS PP. X. Ad perpetuam rei memoriam.

Officium supremi Apostolatus Nobis divinitus commissi id ante omnia postulat, ut ea sedulo studio decernamus, quae catholico nomini provehendo aeternaeque fidelium saluti in universo terrarum orbe procurandae bene, prospere atque feliciter eveniant. Quare in omnes ipsius orbis partes Nos ex hac Principis Apostolorum Cathedra, tamquam e sublimi specula, mentis Nostrae oculos convertimus et quae fidei propagationi vel rei sacrae procuratori, magis opportuna videantur, nulla interposita mora, ad exitum perducere maturamus. Hoc moti consilio, cum percrepantibus in dies Rutheni ritus fidelibus in regione Canadensi VV. FF. Archiepiscopi et Episcopi illius regionis admirabili zelo de eorum salute solliciti, eorum spirituali adsistentiae propter ritus et disciplinae diversitatem sufficienter et adaequate providere non possint; cumque propterea Nos enixis precibus rogaverint, ut huic iacturae opportunam medellam afferre dignemur, Nos, auditis VV. FF. NN. S.R. Ecclesiae Cardinalibus Congregationi praepositis de Fide Propaganda pro negotiis rituum orientalium, omnibusque rei momentis diligentissime perpensis, spiritualem fidelium Ruthenorum in Canadensi regione degentium adsistentiam Episcopo Rutheni ritus demandandam esse existimamus. Quae cum ita sint, Apostolica Nostra auctoritate praesentium vi, perpetuumque in modum, Motu proprio, deque certa scientia et matura deliberatione Nostris, fidelium Ruthenorum in Canadensi regione nunc et in posterum degentium spiritualem adsistentiam Rutheni ritus Episcopo committimus; ea tamen servata lege: 1) ut Episcopus Ruthenus plenam iurisdictionem personalem exercent in omnes fideles rutheni ritus in praefata regione commorantes sub dependentia dumtaxat V. F. Apostolici Delegati; 2) ut ipse Episcopus ruthenus residentiam suam ordinariam in Urbe « Winnipeg » sibi constituat. Haec concedimus, decernentes praesentes litteras firmas, validas atque efficaces iugiter exstare ac manere, suosque plenos atque integros effectus sortiri atque obtinere et Rutheni ritus fidelibus nunc et in posterum in Canadensi regione degentibus plenissime suffragari; sicque rite iudicandum

esse ac definiendum, irritumque et inane fieri, si secus super his a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit.

Non obstantibus etc...

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die 15 Julii 1912, Pontificatus Nostri Anno IX.

R. Card. Merry del Val
a Secretis Status

1043.

Romae, 15 . VII . 1912

Provisio Ecclesiae tit. Patavensis in persona Nicetae Budka, designati Exarchae Apostolici in regione Canadensi, pro fidelibus Ritus Rutheni.

SECRET. BREVIUM, Pius X, *Diversorum*, lib. X, fol. 453, 858, p. II.

Dilecto filio Nicetae Budka, Presbitero saeculari Rutheni Ritus,
ex Archidioecesi Leopolitana⁷

PIUS PP. X. Dilecte etc. benedictionem.

Romani Pontifices, nostri Decessores, ne temporum iniuria memoria oblitteret Ecclesiarum illarum, quae iam aeternis fastis celeberrimae inscrutabili iudicio Dei e veteri splendore adeo exciderunt, ut mere nomina retineant, titulos illarum sapienti quidem consilio ecclesiasticis viris committere consueverunt, quos ad graviora sacra munia implenda addito episcopali caractere vocarent. Iam vero cum in praesens per obitum Venerabilis fratris Aloisii Canana, ultimi illius Antistitis, episcopalis titularis Ecclesiae Patavensis vacet, illam tibi, dilecte fili, tribuendam censemus, quam post deliberationem a nobis rite habitam cum VV. FF. NN. S.R.E. Cardinalibus Congregationis de Propaganda Fide praepositis pro negotiis Ritus Orientalis de ipsorum quidem fratrum consilio primum Episcopum Rutheni Ritus pro Ruthenis fidelibus in Canadensi regione degentibus, designavimus. Quae cum ita sint te omnibus canonicis requisitis pollentem, his litteris nostris auctoritate nostra Apostolica titularis Ecclesiae Patavensis Episcopum renuntiamus, tibi que facultates omnes necessarias et opportunas ad episcopale munus fructuose implendum concedimus, certa freti spe, te episcopali caractere ita per Nos insignitum, omnia esse acturum, quae ad maiorem Dei gloriam populi que salutem bene vertant.

At quoniam ipsa Ecclesia Patavensis inter mere titulares recensetur, indulgemus, ut ad ipsam accedere et apud eam personaliter residere minime tenearis. Praeterea facultatem tibi Apostolica nostra auctoritate tribuimus, ut a catholico Antistite, quem malueris, gratiam et communionem cum Sede Apostolica habente, accitis atque in hoc illi assistentibus duobus Episcopis,

⁷ Nicetas Budka, sacerdos Archieparchiae Leopoliensis. Natus die 7.VI.1877, ordinatus sacerdos die 25.X.1905; electus ad Sedem tit. Patavensem die 15.VII.1912, consecratus die 12.X.1912. Primus Episcopus pro fidelibus Ritus Orientalis in regione Canadensi. Resignavit anno 1927. et designatus Auxiliaris Archiepiscopi Leopoliensis, Andreae Szeptyckyj. Hodie in loco detinetur custodiae in odium fidei catholicae.

vel si reperiri commode nequeunt, duobus eorum vice Presbiteris in ecclesiastica dignitate vel officio constitutis, simili gratia et communione fruentibus, consecrationem recipere licite possis. Antistiti autem memorato potestatem facimus, ut suscepta a te prius catholicae fidei professione, secundum formam ab hac S. Sede Apostolica pro Orientalibus praescriptam, receptoque similiter nostro et Romanae Ecclesiae nomine fidelitatis debitae consuetudine iureiurando, eandem tibi consecrationem impendere licite etiam queat.

Verum enimvero praecipimus, ut si scite priusquam receperit ex te super enunciata fidei professionem et priusquam tu temet ipsum obstrinxeris iuramento memorato, consecrationem ipse Antistes tibi impendere tuque eam recipere praesumpseris, tam dictus Antistes, quam tu et a pontificalis officii exercitatione, et ab Ecclesiarum regimine suspensi sis eo ipso. Non obstantibus Apostolicis etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 15 Iulii 1912, Anno 9.

1044.

Romae, 15 . VII . 1912

Nicetas Budka ex Archieparchia Leopoliensi designatur Exarcha Apostolicus pro fidelibus Ritus Orientalis in Canada.

SECRET. BREVIUM, Pius X, *Diversorum*, lib. X, pars II, fol. 459, 462, 463v.

Dilecto filio Nicetae Budka⁸, Presbitero saeculari
Rutheni Ritus, ex Archidioecesi Leopolitana.

PIUS PP. X. Dilecte etc. benedictionem.

Gravissimum officium pascendi Dominici gregis oves, Decessorum nostrorum vestigiis insequentes, Ecclesiasticis illis viris committimus, qui cum aliis virtutibus ornati tum maxime pietatis flore, ingenii vi, consilii prudentiaeque laude prae ceteris commendentur. Iam vero id Nobis cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardd. praepositis Congregationi de Propaganda Fide pro negotiis Ritus Orientalis opportunum visum est, pro spirituali adsistentia fidelium Rutheni Ritus in Canadensi regione commorantium, Rutheni etiam Ritus Episcopum deputare.

Nunc autem cum agatur de primo huiusmodi Episcopo deligendo, auditis eisdem Cardinalibus inspectisque eximiis quibus commendaris animi ingenique ornamentis, in te, dilecte fili, qui in Archiepiscopali Theologico Leopolitano Seminario hanc usque diem studiorum praefecti munere summa laude functus es, et canonicis omnibus requisitis polles, oculos mentis nostrae benigne convertimus, tibi que episcopale officium committendum existimavimus, certa freti spe, te... praefectioni cumulatissime fore responsurum. Quae cum ita sint, Apostolica nostra auctoritate, praesentium tenore, te, quem per praesentes litteras nostras, hac ipsa die datas, titularis Ecclesiae

⁸ Cfr. notam praecedentem. Primus Exarcha Apostolicus eiusdem regionis vi Brevis Pontificii « *Officium supremi Apostolatus* », de data 15.VII.1912 (cfr. nr. 1042). Ei successit anno 1929 Basilius Ladyka. Anno 1948 regio haec in tres subdivisa est exarchatus (cfr. infra, sub data 3.III.1948), quibus anno 1951 additus est etiam quartus exarchatus (ut infra).

Patarensis Episcopum renuntiavimus, nunc primum pro fidelibus Rutheni Ritus in Canadensi regione degentibus Episcopum facimus, eligimus, et renuntiamus, tibi que facultates omnes ad grave munus implendum necessarias atque opportunas, Apostolica pariter Nostra auctoritate per praesentes tribuimus. Mandamus propterea omnibus et singulis, ad quos pertinet, ut te in Episcopum pro Ruthenis in Canada commorantibus huiusque amplissimi officii liberam exercitationem recipiant, admittant, tibi que in omnibus faveant, praesto sint ac pareant, tuaque salubria monita et mandata reverenter excipiant atque actuose impleant, neque iis obsint, secus sententiam a te in detrectantes rite latam, suprema nostra auctoritate sanciamus. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 15 Julii 1912, Anno 9.

1045 - 1052.

Romae, I . VI . 1913

Joannes Grobelskyj nominatur Praelatus Domesticus.

SECRET. BREV., Pius X, Junius 1913, pars utraque, fol. 294 Rv.

Dilecto filio Joanni Grobelskyj⁹,
Sacerdoti Ritus Rutheni Stanislao-politan.

PIUS PP. X. Dilecte etc. benedictionem.

Ex amplissimo commendationis officio dilecti filii nostri Hieronymi Mariae S.R.E. presb. Cardinalis Gotti, Congregationis de Prop. Fide Praefecti, comperimus te Capituli Stanislao-politani Ruthenorum Canonicum, Sacraeque Theologiae Professore germanae doctrinae laude non minus quam singularibus in dioecesim ipsam meritis enitere. Ut igitur foras sequatur virtuti premium quo propensam erga te voluntatem nostram significemus, his te literis, auctoritate nostra Antistitem Urbanum, id est Domesticum Praelatum facimus, eligimus, atque renuntiamus. Tibi proinde concedimus ut violaceas etc. poterunt. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae etc. die 1 Junii, Anno 1913, P.N. 10.

De speciali mandato SS.mi
R. Card. MdV

* * *

Simili honore temporibus Pii PP. X, condecorati fuerunt:

FEJER Emanuel, Munkacsiensis, die 28.II.1912.

HODOBAY Andreas, Prjasivensis, die 20.VI.1904.

STRYJSKYJ Joannes, Peremysliensis, die 5.VII.1910.

TURJAY Joannes, Munkacsiensis, die 7.III.1912.

⁹ Joannes Grobelskyj, Canonicus Stanislao-politanus ab anno 1893 (26.II), dein Custos seu Ecclesiarcha a die 19.XII.1908. Obiit die 17.IV.1926. Cfr. *Schematismus Dioecesis Stanislao-politanae*, an. 1931, p. 10.

¹⁰ Utile duximus fore nomina saltem adducere sacerdotum Ecclesiae nostrae, qui temporibus Pii PP. X. Praelatura domestica vel Protonotariatu Apostolico condecorati fuerunt.

* * *

Dignitate vero Protonotarii Apostolici ad instar insigniti tempore eiusdem Pontificatus Pii PP. X:

PODOLYNSKYJ Myron, Peremyliensis, die 22.I.1909.

WOLOSZYNSKYJ Carlus, Peremysliensis, die 22.I.1909.

ZUK Josephus, Leopoliensis, die 8.III.1911.

1053.

Romae, 20 . XI . 1913

Provisio Ecclesiae Prjasivensis in persona Stephani Novak.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 91-13, vol. IX, nr. 10.

PIUS EPISCOPUS Servus servorum Dei. Dilecto filio Stephano Novak¹¹. electo Episcopo Eperjesensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Commissum humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum principe officium regendi, pascendi et gubernandi universalem Ecclesiam onus Nobis imponit diligentissime curandi ut Ecclesiis omnibus tales constituantur Praesules, qui gregem dominicum salubriter pascere et sciant et valeant.

Cum itaque Cathedralis Ecclesia Eperjesensis ritus graeci catholici, quae Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensi est suffraganea, et ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio personae idoneae eidem Ecclesiae in Episcopum praeficiendae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad Carrissimum in Christo filium Nostrum Franciscum Josephum hoc nomine primum, Austriae Imperatorem, Bohemiae Regem etc. et Hungariae Regem Apostolicum ex fundatione et dotatione, seu privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum spectare et pertinere dignoscitur, et cuius ultimus Episcopus extitit b. m. Joannes Valyi, per ipsius obitum in praesens pastore sit destituta, Nos, intendentes tam eidem Eperjesensi Ecclesiae, quam eius gregi Dominico salubriter providere, te, Presbyterum diocesis Mun(k)acsensis et Doctorem in S. Theologia, quem laudatus Franciscus Joseph Imperator et Rex Nobis per suas patentes litteras rite nominavit, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio Apostolica auctoritate eidem cathedrali Ecclesiae Eperjesensi in Episcopum praeficimus et pastorem, necnon curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Eperjesensis tibi in spiritualibus plenarie committimus cum omnibus iuribus, privilegiis, oneribus et obligationibus pastoralibus huic officio inhaerentibus.

Volumus autem ut munera et beneficia incompatibilia, quae ad praesens obtines per has Nostras praefectionem et provisionem ipso facto vacant.

¹¹ Stephanus Novak, Episcopus Prjasivensis (1913-1918). Natus die 4.XII.1879 in Ublyen, in Eparchia Munkacsensi. Ordinatus sacerdos die 9.I.1905, in Ep. Prjasivensem praecognisatus die 20.XI.1913, et demum die 11.I.1914 consecratus in Episcopum. Sedi Prjasivensi resignavit an. 1918. Post eius discessum Eparchia administrabatur a die 1.X.1918, ad diem 27.X.1922 a Vicario generali, Nicolao Rusnak. Obiit Episcopus Stephanus Novak die 16.IX.1932. Cfr. *Schematismus dioeceseos Presovensis*, an. 1944, p. 14.

Volumus pariter ut etiam ceteris impletis de iure servandis, antequam in regimine et administratione praefatae Ecclesiae Eperjesensis te quomodo-cumque immisceas, in manibus cuiuscumque, quem malueris, catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, consueta iuramenta praestare iuxta formulas praesentibus adnexas ac illas vel eorum exemplaria tui dictique Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad Sedem Apostolicam infra sex menses transmittere omnino tenearis. Ad hoc Antistiti a te electo iuramenta praefata Nostro et Romanae Ecclesiae nomine recipiendi munus ac mandatum per praesentes committimus.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus fore ut, dextera Domini tibi assistente propitia, memorata Eperjesensis Ecclesia per tuam pastoralem industriam et studium fructuosum regatur utiliter ac prospera in spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini Millesimo nongentesimo decimo tertio, die vigesima mensis Novembris, Pontificatus Nostri Anno decimo primo.

1054.

Romae, 20 . XI . 1913

Facultas recipiendi consecrationem.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 91-13, vol. IX, nr. 10.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Stephano Novak, electo Episcopo Eperjesensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nos Tibi in Episcopum Ecclesiae Eperjesensis, Ritus Graeci Catholici, a Nobis electo, facultatem peramanter concedimus ut episcopalem consecrationem iuxta proprium ritum et disciplinam, extra Urbem recipere valeas a quocumque etc. (*ut 29.IV.1912*), cui illa recipiendi munus ac mandatum per praesentes committimus, imperciatur.

Volumus autem ut, si huic Nostro praecepto, quod Deus avertat, tu et Antistes a te electus contraveneritis, poenam etc. incurratis.

Datum... (ut supra).

1055.

Romae, 20 . XI . 1913

De eadem provisione Ecclesiae Prjášivensis Imperatori Austriae.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 91-13, vol. IX, nr. 10.

PIUS EPISCOPUS Servus servorum Dei. Carissimo in Christo filio Nostro Francisco Josepho Austriae Imperatori, Bohemiae Regi etc. et Hungariae Regi Apostolico, salutem et Apostolicam benedictionem.

Gratiae divinae praemium et humanae laudis praeconium acquirunt sae-

culares Principes, si Ecclesiarum Praelatis, prasertim pontificali dignitate praeditis, opportuni favoris praesidium et honorem debitum impendant.

Hodie siquidem Nos ad Ecclesiam Eperjesensem Ritus Graeci Catholici pastoris solatio destitutam et ad quam dum illa pro tempore vacat, nominatio personae idoneae eidem Ecclesiae in Episcopum praeficiendae, Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad te, Carissime in Christo Fili Noster ex fundatione, vel dotatione, seu privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum spectare et pertinere dignoscitur, de consilio Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Apostolica auctoritate dilectum filium Stephanum Novak, Presbyterum dioecesis Munkacsiensis, Doctorem in S. Theologia, quem tu Nobis per tuas patentes litteras rite nominasti, in Episcopum praefecimus et pastorem.

Itaque, fili carissime, quum sit virtutis opus Dei ministros benigno favore prosequi etc. actio gratiarum.

Datum ut supra.

1056.

Romae, 20 . IX . 1913

De eadem re certioratur Metropolitanus Ecclesiae Prjašivensis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 91-13, vol. IX, nr. 10.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Archiepiscopo Strigoniensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Hodie Nos dilectum filium Stephanum Novak, Presbyterum dioecesis Munkacsiensis, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio ad Cathedrallem Ecclesiam Eperjesensem Ritus Graeci Catholici, pastore destitutam et ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio personae idoneae eidem Ecclesiae in Episcopum praeficiendae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda ad carissimum in Christo filium Nostrum Franciscum Josephum hoc nomine primum, Austriae Imperatorem, Bohemiae Regem etc. atque Hungariae Regem Apostolicum, ex fundatione, seu privilegio Apostolico, cui non est hactenus in aliquo derogatum spectare et pertinere dignoscitur, Apostolica auctoritate praefecimus in pastorem.

Spem igitur fovemus ut illum in fratrem recipias et zelo motus promovendi Dei gloriam et Ecclesiae bonum eidem Episcopo, si quando ipse tuum imploret auxilium, adiumentum praestare non detrectes, ita ut ipse possit commissum sibi munus in bonum suae Ecclesiae facilius explere.

Ad hoc tibi, auspiciem Divini favoris, Apostolicam impertimur benedictionem. Datum... (ut supra).

1057.

Romae, 20 . XI . 1913

Idem Capitulo, Clero et populo Eparchiae Prjašivensis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 91-13, vol. IX, nr. 10.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilectis filiis Capitulo Cathedralis Ecclesiae, Clero et populo civitatis et dioecesis Eperjesensis, salutem et Apostolicam benedictionem.

Hodie Nos dilectum filium Stephanum Novak, Presbyterum dioecesis Munkacsiensis, in S. Theologia Doctorem, de Venerabilium fratrum Nostorum S. R. E. Cardinalium consilio ad Cathedralem Ecclesiam Vestram Eperjesensem, Ritus Graeci Catholici, pastore destitutam et ad quam etc. (*ut in Bulla - Metropolitana*)... dignoscitur, Apostolica auctoritate eum in Episcopum praefecimus et pastorem.

Quocirca vos omnes obligatione adstringimus et hortamur, ut dictum Stephanum, electum Episcopum, tamquam patrem et pastorem animarum vestram devote suscipientes et debita honorificentia prosequentes, salubribus illius monitis et mandatis debitam praestetis obedientiam ita ut ipse in vobis devotionis filios et vos in eo patrem benevolum invenisse gaudeatis.

Volumus autem et mandamus ut, cura et officio Ordinarii qui modo dioecesim vestram regit, hae litterae Nostrae publice perlegentur tum in capitulari conventu, qui prima vice post has litteras acceptas habebitur, tum in ipsa Ecclesia Cathedrali ab ambone quum primus advenerit dies festus a populo de praecepto recolendus.

Datum...(ut supra)





Ex opere murali in sacello Pontif. Coll. S. Josaphat
Romae

BENEDICTUS XV

(3,6.IX.1914 — 22.I.1922)

ianuensis

(Jacobus della Chiesa)

DOCUMENTA BENEDICTI PP. XV

1058.

Romae, 5 . XII . 1914

Provisio Ecclesiae Abilensis in partibus in persona Dionysii Nyaradi, nominati Administratoris Crisiensis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 111/14, vol. X, nr. 52.

Abilensis.

Provisio titularis episcopalis Ecclesiae Abilensis
per obitum vacantis, pro Electo Ritus Graeco-Rutheni,
cum decretis sueta iuramenta praestandi.

BENEDICTUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Dionysio Nyaradi¹², electo Episcopo titulari Abilensi, salutem etc.

Commisum humilitati nostrae ab aeterno Pastorum Principe officium regendi, pascendi et gubernandi universalem Ecclesiam, nos impellit, ut curemus, ne memoria pereat illarum Ecclesiarum quae virtutum splendore ac religionis prosperitate floruerunt, etsi modo, temporum vicissitudine, et iniuria pristinam amiserint fulgentem gloriam.

Cum itaque titularis episcopalis Ecclesia Abilensis, sub Archiepiscopo Damasceno, cuius titulum gerebat bo. mem. Aloysius Philippus Schaefer, ultimus eiusdem Ecclesiae Episcopus, per ipsius obitum in praesens vacans existat, Nos te, Doctorem in S. Theologia, ac Administratorem Apostolicum dioecesis Crisiensis Ruthenorum, qui fidei catholicae professione iuxta formulam a fel. rec. Urbano Papa Octavo, Praedecessore nostro, Orientalibus praescriptam, iam expresse emisisti, ad dictam vacantem episcopalem titularem Ecclesiam Abilensem de VV. FF. Nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio, Apostolica auctoritate eligimus, eiusque tibi titulum conferimus, cum omnibus iuribus, privilegiis, et obligationibus, sublimi huic dignitati inhaerentibus.

Volumus autem et mandamus, etiam ceteris impletis de iure servandis, in manibus cuiuscumque, quem malueris, catholici Antistitis, gratiam et com-

¹² Dionysius Nyaradi. Natus die 10.X.1874, ordinatus sacerdos 1.I.1899, nominatus Ep. tit. Abilensis die 5.XII.1914, consecratus Episcopus die 9.I.1915. Post curam animarum parociale, ab anno 1902 Rector graeco-catholici Seminarii in Zagreb. Die 3.VI.1914 nominatus Administrator Apostolicus Eparchiae Crisiensis, et 5.XII.1914 Ep. tit. Abilensis. Die 2.IV.1920 translatus ad Sedem residentialem Crisiensem, in qua usque ad suam mortem permansit. Obiit anno 1940, die 14 Aprilis, in Mrzlo Polje. Ab anno 1922 ad 1927 Eparchiam Prjazi-vensem (Presovensem) administrabat. Cfr. *Schematismus dioeceseos Presovensis*, an. 1944, p. 14.

munionem Sedis Apostolicae habentis, sueta iuramenta praestare iuxta formulas praesentibus litteris adnexas, ac illas vel earum exemplaria, tui dictique Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad Sedem Ap. infra sex menses transmittere omnino tenearis. Ad hoc Antistiti a te electo iuramenta illa nostro et Romanae Ecclesiae nomine recipiendi munus ac mandatum per praesentes committimus.

Volumus insuper, ut tu annis singulis praefatam fidei professionem sub eadem omnino formula, nuper per te iurata, coram personis Cleri dioecesis Crisiensis Ruthenorum in insigniori ecclesiastica dignitate constitutis, emittere illamque sic emissam scriptis traditam propriaeque manus subscriptione ac sigillo munitam, ad nostrum Apostolicum Nuntium Viennensem Austriae transmittere omnino tenearis, quam idem Ap. Nuntius ad S. Congregationem Consistorialem vel ad S. Congreg. de Prop. Fide perferri curabit.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo decimo quarto, die quinta Decembris, Pontificatus Nostri Anno primo.

1059.

Romae, 5 . XII . 1914

Facultas recipiendi consecrationem episcopalem Dionysio Nyaradi, Administratori Crisiensi, conceditur.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 111/14, vol. X, nr. 52.

BENEDICTUS etc. Dei. Dilecto filio Dionysio Nyaradi etc. salutem etc.

Nos tibi in Episcopum titularem Abilensem hodie a nobis electo, facultatem peramanter concedimus, ut episcopalem consecrationem extra Urbem libere et licite recipere valeas, iuxta tamen proprium ritum et disciplinam, a quocumque, quem malueris, catholico Antistite, eiusdem ritus, assistentibus ipsi duobus aliis catholicis Episcopis, gratiam et communionem S. Apostolicae habentibus.

Stricte vero praecipimus et mandamus, ut, nisi prius sueta iuramenta, iuxta formulas praesentibus litteris adnexas, praestiteris, nec tu consecrationem praedictam recipere valeas, nec eam tibi Antistes a te electus, cui propterea iuramenta praefata nostro et Romanae Ecclesiae nomine recipiendi munus et mandatum per praesentes committimus, impertiatur.

Volumus autem, ut si huic nostro praecepto, quod Deus avertat, tu et Antistes a te electus contraveneritis, poenam suspensionis ab exercitio pontificalis officii, et ab administratione tum spirituali tum temporali Ecclesiarum vestrarum ipso facto incurratis.

Datum Romae etc. ut supra.

Canc. Apost. Adiutor a studiis
Georgius Stara-Tedde

Revisa : Paulus Pericoli, Canc. Ap. Adiut. a studiis

1060.

Romae, 29 . I . 1917

Provisio Ecclesiae Peremysliensis in Ucraina Occidentali in persona Josephi Josaphat Kocylvoskyj, monachi Basiliani.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 9/17, vol. XIV, nr. 40.

Premisliensis, Sanochiensis et Samboriensis
Ruthenorum.

Litterae Apostolicae de electione R. D. Josaphat Josephi Kocylvoskyi¹³, Ordinis S. Basilii Magni, ad Cathedralē Ecclesiam Premisliensem, Sanochiensem et Samboriensem Ruthenorum ad nominationem Sacrae Caesareae Maiestatis Caroli IV, Austriae Imperatoris, Bohemiae Regis etc. et Hungariae Regis Apostolici.

BENEDICTUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Josaphat Josepho Kocylvoskyi, electo Episcopo Premisliensi, Sanochiensi et Samboriensi Ruthenorum, salutem etc.

Commissum humilitati nostrae etc. (*ut sub data 20 . XI . 1913*) valeant. Cum itaque Cathedralis Ecclesia Premisliensis, Sanochiensis et Samboriensis Ruthenorum, quae Metropolitanae Ecclesiae Leopoliensis Ruthenorum est Suffraganea, ad quam dum illa pro tempore vacat nominatio personae idoneae eidem Ecclesiae in Episcopum praeficiendae Romano Pontifici pro tempore existenti facienda, ad carissimum in Christo filium nostrum Carolum hoc nomine Quartum, Austriae etc. ex fundatione etc. dignoscitur, et cuius postremus Episcopus exstitit bo.mem. Constantinus Czechowicz¹⁴, per ipsius obitum sit pastore destituta, cumque in praesens Venerabilis frater Andreas de Szeptycki, hodiernus Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum, pulsus per summam iniuriam in remotas regiones, ibique sub custodia detentus¹⁵,

¹³ Josaphat Kocylvoskyj, Episcopus Peremysliensis (1917-1947). Natus die 3.III.1876 in Pakosivka, in Ucraina Occidentali. Post studia media et superiora iurisprudentiae, nec non post servitium militare, Christo Jesu nomen dedit an. 1901, Roman profectus ad studia theologiae peragenda. Die 6.X.1907 ordinatus est sacerdos statimque designatus professor theologiae in Seminario Stanislaoopolitano. Anno 1911, die 2 Octobris, ingressus est Ordinem Basilianorum, et emissis votis simplicibus (16.V.1913) et sollemnibus (13.VI.1916), iam die 28.XI.1916 nominatus est ab Imperatore Carolo IV Episcopus Peremysliensis. Proinde, die 27.I.1917-preconisatus, die 28.VIII-consecratus, die 23.IX-inthronisatus et sollemniter ingressus est. Post annos fere 30 laboris pontificalis in bonum Eparchiae Peremysliensis, tandem ut Confessor Christi cursum Eius militiae concludit. Variis modis vexatus tandem in loco custodiae pro christiana veritate fideque catholica obiit die 21.IX.1947. Cfr. praeclara et pulchra quae scripsit R.P. Irenaeus Nazarko de eius vita et activitate in « *Analecta OSBM* », sec. II, vol. I, fasc. 4, p. 473-488.

¹⁴ Constantinus Czechovyč, Episcopus Peremysliensis (1897-1915).

¹⁵ Agitur de deportatione Metropolitanae Leopoliensis, Andreae Szeptyckyj, initio primi belli universalis (1914-1918), quam subiit ab exercitu moscovitico, qui exercitus Ucrainam Occidentalem impetu repentino occupavit. Deportatus est primum Kioiviam, et post paucos dies septentrionem versus, in monasterium Suzdalense. Post abdicationem throno Czari Nicolai II (1917), mense Martio) e loco custodiae liberatus, post aliquot annos ad suam rediit Archieparchiam. Testimonium praeclarum ei exhibet Pontifex Benedictus XV, in Epistola Metropolitanae Andreae data, die 21.II.1921 (cfr. infra), nec non Pius PP. XII in litteris encyclicis « *Orientalis omnes Ecclesias* », de data 23.XII.1945 (infra).

impediatur ab exercendo privilegium, quod felicis recordationis Pius Papa Septimus, Praedecessor noster, Archiepiscopo Metropolitano Leopoliensi Ruthenorum pro tempore existenti concessit¹⁶, confirmandi et instituendi Episcopum praefatae Sedis Premisliensis, eique munus consecrationis, nomine Apostolicae Sedis, impertiendi¹⁷, Nos, ne illa Sedes Premisliensis longae vacationis exponatur incommodis, huiusmodi privilegio pro hac vice derogantes¹⁸, ac intendentes tam eidem Ecclesiae Premisliensi, Sanochiensi et Samboriensi Ruthenorum quam eius gregi Dominico salubriter providere, te, ex Ordine Sancti Basilii Magni, Doctorem in Sacra Theologia et in Philosophia, quem laudatus Carolus, Imperator et Rex, nobis ad hoc per suas litteras rite praesentavit, et qui iam fidei catholicae professionem iuxta formulam a fel. rec. Urbano Papa Octavo, Praedecessore nostro, Orientalibus praescriptam expresse emisisti, praedictae vacanti Cathedrali Ecclesiae Premisliensi, Sanochiensi et Samboriensi de Ven. fratrum nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio, Apostolica auctoritate in Episcopum praeficimus et pastorem, nec non curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae Praemisliensis etc. in spiritualibus et temporalibus plenarie committimus, cum omnibus iuribus, privilegiis, oneribus et obligationibus, pastorali huic officio inhaerentibus.

Volumus autem et mandamus ut, etiam ceteris impletis etc. antequam consecrationis munus recipias etc. sueta iuramenta praestare etc. committimus.

Volumus insuper ut tu annis singulis praefatam fidei professionem etc. coram personis vel Capituli Cathedralis vel Cleri suae dioecesis etc. (*ut sub data 5 . X . 1914*) curabit.

Volumus quoque ut munera incompatibilia etc. (*ut 20 . XI . 1913*) vacent.

Firmam autem spem etc. incrementa.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo decimo septimo, die vigesima nona mensis Januarii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

1061.

Romae, 29 . 1 . 1917

Imperatori Austriae Carolo IV, de provisione Ecclesiae Peremyliensis. —

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 9/17, vol. XIV, nr. 40.

BENEDICTUS etc. Dei. Carissimo in Christo filio nostro Carolo hoc nomine quarto, Austriae Imperatori¹⁹ etc. salutem etc.

Gratiae divinae praemium etc. (*ut sub data 20 . XI . 1913*) impendant.

¹⁶ Bulla « *In universalis Ecclesiae* », de data 24.II.1807, qua Pontifex antiquam Metropoliam Haliciensem restabilivit et Leopolim transtulit.

¹⁷ Privilegium hoc originem suam habet iam in illo alio, concesso Metropolitae Kioviensi an. 1596, Bulla Clementis VIII « *Decet Romanum Pontificem* », de data 23.II.1596. Cfr. vol. I, p. 266-268, nr. 152.

¹⁸ « *Pro hac vice* », quae hucusque ultima permansit, quia Josaphat Kocoylovsykyi obiit anno 1947, et de nova provisione non constat. Non constat etiam utrum Metropolita Leopoliensis, per summam iniuriam pulsus, imo deportatus et in custodia et vinculis detentus, prout olim eius Praedecessor, potuit uti iure suo.

¹⁹ Carolo IV (1916-1918).

Cum autem Cathedralis Ecclesia Premisliensis, San. et Samb. Ruthen., ad quam dum illa etc. dignoscitur, sit in praesens pastore destituta, cumque in praesens Venerabilis frater Andreas de Szeptycky, hodiernus Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum pulsus per summam iniuriam in remotas regiones, ibique sub custodia detentus, impediatur ab exercendo privilegium, quod fel. rec. Pius Papa Septimus, Praed. noster, Archiepiscopo Metropolitano Leopoliensi Ruthenorum pro tempore existenti concessit, confirmandi et instituendi Episcopum praefatae Sedis Premisliensis, eique munus consecrationis nomine Apostolicae Sedis impertiendi, Nos, ne illa Sedes Premisliensis longae vacationis exponetur incommodis, huiusmodi privilegio pro hac vice derogantes, dilectum filium Josaphat Josephum Kocylowsky, ex Ordine S. Basilii Magni, Doctorem in S. Theologia et in Philosophia, quem tu, carissime in Christo fili noster, nobis ad hoc per tuas patentes litteras rite praesentasti, praedictae Cathedrali Ecclesiae Praemislien., San. et Samb. Ruthen., de VV. FF. NN, S.R.E. Cardd. consilio, Ap. auctoritate in Ep. praefecimus et pastorem.

Itaque, fili carissime, quum sit virtutis opus etc. actio gratiarum.

Datum Romae etc. ut supra.

1062.

Romae, 29 . I . 1917

Metropolitano Leopoliensi Benedictus XV de provisione Ecclesiae Peremysliensis scribit, eumque certionem facit de derogatione pro hac vice tantum privilegio confirmandi et institutendi Ep. Peremysliensem.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 9/17, vol. XIV, nr. 40.

BENEDICTUS etc. Dei. Venerabili fratri Andreae de Szeptycky²⁰, Archiepiscopo Leopoliensi Ruthenorum, salutem etc.

Cum Cathedralis Ecclesia Prem., San. et Samb. Ruthenorum, quae tuae Metropolitanae Ecclesiae Leopoliensi Ruthenorum est Suffraganea²¹, et ad quam, dum illa pro tempore vacat, nominatio etc. (*prout sub data 20 . XI . 1913, mutato nomine in Carolum IV*) dignoscitur, suo pastore sit in praesens destituta, cumque tu, pulsus per summam iniuriam in remotas regiones, ibique sub custodia detentus, impediaris ab exercendo privilegium, quod fel. rec. Pius Papa Septimus, Praed. n., Archiep. po Metropolitano Leopoliensi Ruthen., pro tempore existenti concessit, confirmandi et instituendi Episcopum praefatae Sedis Premisliensis eique, nomine A. Sedis munus consecrationis impertiendi, Nos, ne illa Sedes Prem. longae vacationis exponeretur incommodis, praedicto privilegio pro hac vice derogantes, dilectum filium Josaphat Josephum Kocylowsky etc. (*mutatis nominibus*) et pastorem.

Quocirca Fraternitatem Tuam hortamur ac in Domino monemus, ut tu, quum metropolitana iura libere denuo exercere poteris, praefatum Josaphat

²⁰ Cfr. supra, sub anno 1899-1900, et notam 15, ultimo loco positam.

²¹ Ab anno 1807, i.e. a Bulla Pii PP. VII « *In universalis Ecclesiae* », 24.II.1807.

Josephum, electum Episcopum Suffraganeum tuum pro nostra et Sedis Apostolicae reverentia tui favoris ope prosequaris.

Spem igitur fovemus etc. explere.

Ad hoc tibi, auspiciem divini favoris, Apostolicam impertimur benedictionem.

Datum Romae etc.

1063.

Romae, 29 . 1 . 1917

De eadem provisione Ecclesiae Peremysliensis litterae dantur Capitulo, Clero et populo eiusdem Eparchiae.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 9/17, vol. XIV, nr. 40.

BENEDICTUS etc. Dei. Dilectis filiis Capitulo Ecclesiae Cathedralis, Clero et populo dioecesis Premisliensis, Sanochiensis et Samboriensis Ruthenorum, salutem etc.

Cum Cathedralis Ecclesia vestra Premisliensis, San. et Samb. Ruthen., ad quam dum illa pro tempore vacat, nominatio etc. (*ut 20 . XI . 1913, mutatis nominibus Eparchiae et Imperatoris*) dignoscitur, sit in praesens pastore destituta, cumque in praesens Ven. fr. Andreas de Szeptycky, hodiernus Archiep. pus Leop. Ruthen., pulsus per summam iniuriam in remotas regiones, ibique sub custodia detentus, impediatur ab exercendo privilegium, quod fel. rec. Pius Papa Septimus, Praed. noster, Archiepiscopo Metropolitano Leopoliensi Ruthenorum pro tempore existenti concessit, confirmandi et instituendi Episcopum praefatae Sedis Premisliensis, eique munus consecrationis, nomine Apostolicae Sedis, impertiendi, Nos, ne Sedes illa Prem. longae vacationis exponatur incommodis, huiusmodi privilegio hac vice derogantes, dilectum filium Josaphat Josephum Kocylowsky, ex Ordine S. Basilii Magni, Doctorem etc. pastorem.

Quocirca vos omnes etc. gaudeatis. Volumus autem et mandamus etc. recolendus.

Datum Romae etc.

1064.

Romae, 29 . 1 . 1917

Facultas recipienti munus consecrationis Electo Peremysliensi conceditur.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 9/17, vol. XIV, nr. 40.

BENEDICTUS etc. Dei. Dilecto filio Josaphat Josepho Kocylowsky electo Episcopo Premisliens. etc. salutem etc.

Nos, qui, derogantes pro hac vice, privilegio a fel. rec. Pio Papa Septimo, Praedecessore nostro, Archiepiscopo Metropolitano Leopoliensi Ruthenorum pro tempore existenti concesso, confirmandi et instituendi Episcopum Sedis Premi-

sliensis eique, nomine Ap. Sedis, munus consecrationis impertiendi, ut in aliis litteris nostris, hodierna die datis, plenius continetur, te in Episcopum Prem. San. et Samb. Ruthenorum elegimus, tibi peramenter facultatem concedimus episcopalem consecrationem recipiendi, iuxta tuum ritum et disciplinam, a quocumque, quem malueris, catholico Antistite eiusdem ritus, assistentibus ipsi duobus aliis catholicis Episcopis, gratiam et communionem Sedis Ap. habentibus.

Stricte vero praecipimus et mandamus, ut nisi etc. (*ut 20 . XI . 1913*) sueta iuramenta praestiteris etc. cui propterea etc. recipiendi munus etc. committimus.

Volumus autem et mandamus, ut si huic etc. contravereris etc. ipso facto incurratis.

Datum Romae etc.

1665.

Romae, 18 . V . 1917

Provisio Ecclesiae Polybotensis in persona Julii Drohobeczky, antea Ep. Crisiensis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 42/17, vol. XV, nr. 18.

Polybotensis.

BENEDICTUS etc. Dei. Venerabili fratri Julio Drohobeczky²², hactenus Episcopo Crisiensi Ruthenorum, in Episcopum Polybotensem electo, salutem etc.

Commisum humilitati nostrae etc. (*ut sub data 5 . XII . 1914*) gloriam. Cum itaque tit. Ecclesia episcopalis Polybotensis, sub Archiepiscopo Synadensi, certo modo nobis noto in praesens vacans existat, Nos te, hactenus Episcopum Crisiensem Ruthenorum absolventes a vinculo, quo eidem Ecclesiae Crisiensi Ruthenorum teneris, de VV.FF.NN. S.R.E. Cardinalium consilio ad dictam vacantem episcopalem tit. Eccl. Polybotensem Apostolica auctoritate transferimus, eiusque tibi titulum conferimus cum omnibus iuribus etc. inhaerentibus.

Volumus autem ut etiam caeteris etc.... fidei professionem emittere et consueta iuramenta praestare iuxta formulas etc. committimus.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo decimo septimo, die decima octava mensis Maii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

Fr. Bersani, Canc. Ap. Ad. a studiis

Revisa: Paulus Pericoli, Can. Ap. Ad. a studiis

²² Julius Drohobeczky, Episcopus Crisiensis (1891-1914), qui anno 1917 ad Sedem translatus est titularem Polybotanam, administratione Eparchiae Crisiensis in manus Dionysii Nyaradi tradita. Natus est die 13.I.1853 in Karascony-Falva, in Eparchia Munkacsiensis, et electus ad hanc Sedem die 17.XII.1891. Obiit anno 1934, die 11 Februarii.

De Eparchia Crisiensi hic mentionem facere necessarium esse duximus, quia Eparchia haec plurimos comprehendebat comprehenditque fideles, ex Ucraina praesertim Carpatia oriundos, imo ipsa Eparchia ex officio vocatur « Crisiensis Ruthenorum ».

1066.

Romae, 2 . IV . 1920

Provisio Ecclesiae Crisiensis Ruthenorum per translationem Dionysii Nyaradi, Ep. tit. Abilensis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 38/20, vol. XX, nr. 55.

Crisiensis.

Litterae Apostolicae de translatione R.P.D. Dionysii Nyaradi²³, hactenus Episcopi titularis Abilensis, ritus graeci rutheni, ad cathedralem Ecclesiam Crisiensem Ruthenorum eiusdem ritus.

BENEDICTUS EPISCOPUS Servus servorum Dei. Venerabili fratri Dionysio Nyaradi, hactenus Ep. tit. Abilensi, in Episcopum Crisiensem Ruthenorum electo, salutem etc.

Commissum humilitati Nostrae etc. (*ut sub data 20.XI.1913*) voleant. Cum itaque Cathedralis Ecclesia Crisiensis Ruthenorum Metropolitanae Ecclesiae Zagrabiensi suffraganea, certo modo, nobis noto, pastore sit in praesens destituta, Nos intendentes etc. te, hactenus E. tit. Abilensem, Apostolicae potestatis plenitudine a vinculo absolventes, quo titulari etc. ad praedictam etc. transferimus, eique in Episcopum praeficimus, et pastorem, nec non curam etc. inhaerentibus.

Volumus autem et mandamus, ut etiam ceteris impletis etc. te ut Episcopus quomodocumque immisceas, in manibus etc. fidei catholicae professionem iuxta formulam a fel. rec. Urbano Papa octavo, Praed. Nostro, Orientalibus praescriptam emittere, ac sueta iuramenta, iuxta formulas etc. ad Cancellariam Apostolicam infra sex menses transmittere omnino tenearis. Ad hoc Antistiti etc. committimus.

Firmam autem spem etc. incrementa.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo, die secunda mensis Aprilis, Pont. Nostri Anno sexto.

1067.

Romae, 2 . IV . 1920

Metropolitano Zagrabiensi de provisione Ecclesiae Crisiensis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 38/20, vol. XX, nr. 55.

BENEDICTUS etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Zagrabiensi²⁴, salutem etc.

Hodie Nos ad Cathedralis Ecclesiam Crisiensem Ruthenorum in praesens pastore destitutam, Ven. fr. Dionysium, Ep. tit. Abilensem, Ap. potestatis plenitudine a vinculo absolventes, quo tit. Eccl. episcopali Abilensi tenebatur, de VV.FF.NN. S.R.E. Cardd. consilio, Ap. auctoritate transtulimus, ipsumque illi in Episcopum praefecimus et pastorem.

²³ Cfr. supra, nota 12.

²⁴ Agitur fortasse iam de successore Archiepiscopi Georgii Posilovic (ab an. 1894), cum iure successionis, Antonio Bauer, Archiepiscopo olim tit. Pessinuntino (ab an. 1911).

Quocirca Fraternitatem Tuam hortamur etc. prosequaris. Spem igitur fovemus fore, ut eum in fratrem recipias etc. explere.

Ad hoc tibi auspiciem divini favoris, Apostolicam impertimur benedictionem.

Datum Romae etc. (ut supra).

1068.

Romae, 2 . IV . 1920

De eadem provisione Bulla datur Capitulo, Clero et populo eparchiae Crisiensis.

IBIDEM.

BENEDICTUS etc. Dilectis filiis Capitulo Ecclesiae Cathedralis, Clero et populo Dioecesis Crisiensis Ruthenorum, salutem etc.

Hodie Nos ad Cathedralem (*ets. ut supra, Metropolitanano*) pastorem. Quocirca vos omnes hortamur et obligatione adstringimus etc. (*solita forma*) gaudeatis.

Volumus autem et mandamus, ut cura et officio Ordinarii qui modo Dioecesim vestram regit, hae litterae nostrae publice perlegantur tum in capitulari conventu, qui prima vice post has litteras acceptas habebitur, tum in ipsa ecclesia cathedrali ab ambone, quum primus advenerit dies festus a populo de praecepto recolendus.

Datum Romae etc. (ut supra)

Georgius Stara Tedde
Cane. Ap. Adiutor a studiis

1069 - 1073.

Romae, 11 . V . 1920

Creatur Alexander Bačynskyj, ex Eparchia Leopoliensi, Protonotarius Apostolicus ad instar.

SECRET. BREVIUM, *Benedictus XV, Maius 1920, utr. pars, fol. 291, 296.*

Dilecto filio Alexandro Baczynski, Canonico ²⁵

BENEDICTUS PP. XV. Dilecte etc. benedictionem.

Venerabilis frater Andreas Szeptycki, Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum tuas verbis amplissimis laudes concelebrans edocet Nos te Capituli sui Metropolitanani Custodem pluribus et quidem gravissimis ecclesiasticis muneribus esse ipsa in Archidioecesi scite ac rariter functum ac tum in canonicali munere obeundo tum in Seminario regendo tum a consiliis Antistitis tui optime iugiter esse de re eccles. meritum, ideoque a Decessore nostro Leone PP. XIII cla. me. fuisse inter domesticos Praelatos cooptatum. Nunc vero,

²⁵ Alexander Bačynskyj, Canonicus Leopoliensis, et Vicarius Generalis Leopoliensis. Natus anno 1844, vir doctus et in S. Scriptura peritus, quam in linguam transtulit vernaculam. Redactor « *Bibliothecae theologicae* ».

ut tibi in actuosa honorum operum exercitatione perseveranti voluntatis etiam Nostrae singularis significatio sit, prout Nobis Archiepiscopi eiusdem votis annuere teque ad uberiores ecclesiasticae dignitatis gradum promovere. Quare his te litteris auctoritate nostra Protonotarium Apostolicum ad instar participantium eligimus, facimus, atque renuntiamus.

Tibi proinde concedimus iura, privilegia, honores, praerogativas atque indulta omnia et singula, quibus alii ecclesiastici viri hac dignitate aucti utuntur, fruuntur, praesertim vi Constitutionis a Decessore Nostro Pio PP. X. die XXI m. Februarii An. MDCCCXCV de Collegio Protonotariorum editae, cuius Constitutionis exemplar praelo impressum ad te transmittendum curavimus. Porro dum statuimus, ut dignitatis huiusmodi in te collatae notitia ad Acta Collegii Protonotariorum Apostolicorum ex officio referatur, praecipimus ut priusquam concessionis eiusdem beneficio perfruaris coram Archiepiscopo tuo, qui Decani ipsius Collegii vices in eo geret fidei professionem emittas iuxta articulos ab hac S. Sede propositos, debitae fidelitatis iurisiurandi verba concipias eo schemate, quod Nos typis editum tibi tradi iussimus; denique omnia alia serves religiose, quae per enunciatam Constitutionem servanda praescribuntur. Non obstantibus etc. quibuscumque.

Datum Romae apud S. Petrum, die 11 Maii Anno 1920, Pontif. Nostrisexto.

De speciali mandato SS.mi
P.C. Gasparri

* * *

Simili honore tempore Pontificatus Benedicti PP. XV insignitus fuit etiam: Kosteckij Celestinus, Leopoliensis, die 20.XI.1915.

Eodem die 11. V. 1920 concessa erat etiam dignitas Praelati Apostolici pro:

Tito Wojnarowskyj, ex Archieparchia Leopoliensi, (cfr. *Secret. Brevium*, 29 Apr. 1920, Prot. Nr. 36).

Alexio Piaseckyj, ex Eparchia Leopoliensi Ruthenorum (cfr. *ibid.* Prot. Nr. 37).

In forma simili ac die 1. VI. 1913: Joanni Grobelskyj, data.

Antea vero: Mizsiesko Josepho, Priesivensi, 15. V. 1916.

1074.

Romae, 21. II. 1921

Benedictus PP. XV Andreae Szeptyckyj de conditionibus tristissimis in Ucraina vigentibus scribit, deque nova aperiitione Collegii certiores facit.

Acta Apostolicae Sedis, vol. XIII, (1921), p. 218-220.

AD R.P.D. ANDREAM DE SZEPTYCKI, ARCHIEPISCOPUM LEOPOLIENSIVM: DE RUTHENORVM COLLEGIO ITERVM IN VRBE APERIENDO AC DE CONDITIOE ILLIVS POPVLI RESCRIBENS.

Venerabile Fratello, salute et apostolica benedizione.

Il dolore che noi provammo nel maggio 1915 allorchè da questa alma città vedemmo partire i dilette figli del Collegio Ruteno che all'ombra della

santa Regina di Zyrovice (del Pascolo), così cara al popolo di Rutenia, si preparavano a divenire degni ministri dell'altare, è ora alfine lenito dalla preghiera che ella, nella sua qualità di Metropolitana, Ci rivolge, di riaprire il Collegio stesso²⁶; e Noi che abbiamo avuto la soddisfazione di vedere nuovamente adunarsi intorno alla Cattedra Apostolica i giovani chierici dei vari paesi fino a ieri belligeranti, siamo felici di dare il Nostro consenso alla sua opportuna richiesta. Se non che, avendo il Collegio Ruteno più degli altri risentito i tristi effetti della mondiale conflagrazione, perchè in conseguenza della medesima rimase privo di gran parte delle sue rendite, le quali gli venivano somministrate dal cessato impero Austro-Uugarico, Noi abbiamo procurato di assicurarne anche d'ora innanzi l'esistenza, assegnandoli una congrua somma, mercè la quale possa il Collegio mantenere tanti alunni, quanti essi erano prima di guerra. Ben vengano dunque i Nostri dilette figli del Collegio Rutheno, ora che la Provvidenza fa suonare anche per essi l'ora del salutare ritorno; e Noi stessi di buon grado rivederemo i rappresentanti di quel caro popolo, che forse più di ogni altro ha conosciuto gli orrori dell'immane conflitto.

Ed è veramente con anima affranta che Noi, pensando ai Ruteni, ricordiamo le belle città saccheggiate, i tranquilli villaggi incendiati, le ubertose campagne corse e ricorse da eserciti sterminati. E col pensiero del popolo, sono tuttora presenti al Nostro spirito le loro chiese devastate, le immagini sacre infrante, i sacri paramenti fatti strumenti di ludibrio, e più di ogni altra cosa, ciò che Ci riempie di raccapriccio, le Specie Eucaristiche calpestate da incoscienti fanatici. Gli orrori della fame, delle crude stagioni, delle ferali malattie, delle atroci sevizie, le prigionie di cui ella stessa, Venerabile fratello, porta tuttora le stigmate, le uccisioni di venerandi sacerdoti, di vecchi imbelli, di deboli donne, di tanta fiorente gioventù, tutti rei di mostrare attaccamento al proprio rito; tutto ciò è ben dipinto al Nostro sguardo, ed insieme ad un senso profondo di paterna pietà Ci inspira di innalzare a Dio una speciale preghiera, onde ottenere che dopo tante prove degnisi la divina Clemenza di riguardare benigna un popolo valoroso, che tanto ha saputo soffrire per la conservazione del suo rito, palladio della sua nazionalità. Che se dobbiamo riandare con la memoria le paterne premure di questa Sede Apostolica ed il Nostro personale interessamento per il diletto popolo Ruteno, Ci è caro ricordare che una tangibile prova fummo lieti di darne non appena da alcuni rappresentanti del popolo Ruteno venimmo a conoscere lo strazio di quelle misere popolazioni²⁷. Fu allora che Noi Ci affrettammo non solo a spedire soccorsi, ma anche ad istituire e ad inviare sul posto un Nostro speciale Delegato che portasse a tutti da parte Nostra ed in Nostro Nome, parole di conforto ed aiuti di carità; e quantumque circostanze indipendenti dal voler Nostro e dallo zelo del Pontificio Visitatore abbiano impedito al diletto figlio, il P. Giovanni Ge-

²⁶ Agitur de Collegio s.d. « Rutheno », quod anno 1897 Leo XIII, favente Imperatore Francisco Josepho I, in Urbe aperuit. Cfr. supra, sub data 17.XII.1897. Collegium hoc ob eventus bellicos an. 1915 (mense Maio) ab Alumnis et Superioribus relinqui debuit.

²⁷ Agitur de Missione diplomatica penes Sedem Apostolicam, quam misit gubernium Reipublicae Popularis Ucrainae an. 1919, duce Stanislao Tyszkewycz. Cfr. E. ONACKYJ.

nochi dei Missionari del Sacro Cuore, di portarsi fino fra gli Ucraini²⁸, pure dalle relazioni che egli ci ha inviato, abbiamo avuta, non disgiunta purtroppo dalla dolorosa conferma del martirio di quel popolo generoso, la bramata dolce consolazione di essere assicurati come nella guerra mossa alla sua fede e specialmente nelle insidie tese al suo clero ben pochi siano stati quelli che miserevolmente defezionarono. Mentre piangiamo sulla caduta di questi sventurati figli Nostri, Ci è tuttavia di gran conforto il sentire che nessun séguito abbia trovato presso il popolo la loro apostasia, e che anzi, di tanto disprezzo siano stati fatti oggetto per il loro sacrilego passo, da dovere abbandonare i loro paesi e cercare altrove rifugio. Per questo appunto Noi, che abbiamo sommamente a cuore il ritorno all'unità della fede dei popoli orientali, nei quali è così vivo il sentimento religioso, abbiamo ferma fiducia che per mezzo dei Ruteni, sempre stretti alla Cattedra Romana, ma ora vieppiù fortificati nella fede dalle recenti calamità, possa presto tradursi in atto il pio voto del Nostro illustre predecessore Urbano VIII con quelle memorande parole: « Per vos, mei Rutheni, Orientem convertendum spero ».

Vengano dunque e vengano senza indugio i diletti chierici Ruteni: Noi li attendiamo con amorosa sollecitudine e preghiamo caldamente il Signore che ai Nostri amati figli della terra di Rutenia riservi la grazia di formarsi pienamente, all'ombra della Cattedra di Pietro, a quel santo apostolato che darà a Christo ed al suo Vicario la gioia di veder tornare all'unico ovile tanti milioni di cristiani che ora ne vivono separati. Noi impetriamo di gran cuore a lei, Venerabile fratello, ai suoi colleghi nell'episcopato ed ai diletteggianti fedeli della terra Ukraina, l'apostolica benedizione.

Dal Vaticano, li 24 febbraio 1921
BENEDICTUS PP. XV



²⁸ R. P. Joannes Genochi, sacerdos Missionariorum SS. Cordis. Natus die 30.VII.1860 Ravennae. Obiit Romae die 6.I.1926. Missionarius, professor S. Scripturae, saepe saepius ad speciales legatus missiones et negotia pertractanda. Ultima eius missio erat visitatio in Ucraina, ad quam bis legatus erat. Nullam tamen plene perficere potuit. Cfr. CERESI, *Padre Genochi*, Romae, 1934; J. CHOMA, *P. Giovanni Genochi*, 1953. Cfr. *Enciclopedia Cattolica*, vol. VI, col. 16.



Ex opere murali in sacello Pontif. Coll. S. Josaphat
Romae

PIUS XI
(6, 12.II.1922 — 10.II.1939)
mediolanensis
(Achilleus Ratti)

DOCUMENTA PII PP. XI

1075 - 1076.

Romae, 27 . III . 1923

Protonotariatus Apostolicus et Praelaturae domesticae pro aliquibus sacerdotibus Eparchiae Peremyliensis.

ARCH. S. C. PRO ECCL. ORIENTALI, *Bolle e brevi*, vol. I, p. 34, 39.

PIUS PAPA XI. Dilecte fili etc.

Ex gravi commendationis etc. Datum Romae etc.

Breve quo R. D. Constantino Bohaczewskyj²⁹, Sacerdoti Eparchiae Peremyliensis, conceditur honor Protonotarii Apostolici ad instar participantium.

sign. P. Card. Gasparri
a Secretis Status

* * *

PIUS Papa XI. Dilecte fili etc.

Comperimus ex gravi suffragio etc. Datum Romae etc.

Breve quo Sacerdoti Peremyliensi Basilio Pynylo³⁰ conceditur Praelatura domestica Suae Sanctitatis.

sign. P. Card. Gasparri
a Secretis Status

* * *

²⁹ Constantinus Bohachevskyj, nunc Archiepiscopus Beroënsis, et Exarcha Philadelphiae in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis. Natus die 17.VI.1884 in Manaiv, in Ucraina Occidentali, ordinatus vero sacerdos die 31.I.1909 in Peremysl. Nominatus Episcopus die 8.V.1924 tit. Ecclesiae Amisenae, consecratus 15.VI.1924, Romae. Assistens Solio Pontificio. Cfr. *The Catholic Directory*, an. 1952, Philadelphia.

³⁰ Basilius Pynylo, sacerdos Eparchiae Peremyliensis, Praelatus domesticus S.S., et Protonotarius Apostolicus. Natus an. 1878, ordinatus sacerdos an. 1902, Canonicus nominatus an. 1919. Cancellarius Capituli Peremyliensis, gaudet usu Pontificalium. Doctor S. Theologiae nec non eiusdem theologiae professor. Obiit an. 1947, die 28 Aprilis, in Peremysl.

1077.

Romae, 12 . XI . 1923

*Litterae encyclicae Pii PP. XI saeculo tertio a martyrio S. Josaphat revoluto.**Acta Apostolicae Sedis*, vol. XV, p. 573-582, nr. 12.

EPISTOLA ENCYCLICA

AD VENERABILES FRATRES PATRIARCHAS, PRIMATES, ARCHIEPISCOPOS,
 EPISCOPOS ALIOSQUE LOCORUM ORDINARIOS, PACEM ET COMMUNIONEM
 CUM APOSTOLICA SEDE HABENTES: IN NATALI CCC SANCTI IOSAPHAT
 MARTYRIS, ARCHIEPISCOPI POLOCENSIS RITUS ORIENTALIS ³¹.

PIUS PP. XI Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Ecclesiam Dei admirabili consilio sic constitutam, ut in plenitudine temporum esset immensae familiae instar, quae humani generis universitatem complecteretur, cum aliis insignitis notis, tum oecumenica unitate scimus divinitus esse conspicuam. Etenim Christus Dominus non modo quod ipse a Patre munus acceperat, solis Apostolis demandavit, cum dixit: *data est mihi omnis potestas in caelo et in terra. Euntes ergo docete omnes gentes* ³²; sed etiam Apostolorum summe unum voluit esse collegium, dupliciter coagmentatum artissimo vinculo, intrinsecus quidem fide eadem et caritate, quae *diffusa est in cordibus... per Spiritum sanctum* ³³; extrinsecus autem unius in omnes regimine, cum Apostolorum principatum Petro contulerit, tamquam perpetuo unitatis principio ac visibili fundamento. Hanc eis unitatem sub vitae mortalis exitum diligentissime commendavit ³⁴; hanc ipsam a Patre summis precibus petiit ³⁵, impetravitque, *exauditus pro sua reverentia* ³⁶.

Itaque coaluit crevitque Ecclesia in « unum corpus » et ipsum uno vivum vicensque spiritus cuius quidem *est caput Christus, ex quo totum corpus compactum et connexum per omnem iuncturam subministrationis* ³⁷; sed eiusdem, ea ipsa de causa, aspectabile caput is est qui Christi vice fungitur in terris, Pontifex Romanus. In eum, ut successorem Petri, perpetuo cadit illa Christi vox: *super hanc petram aedificabo Ecclesiam meam* ³⁸, isque vicarium illud munus, Petro collatum, semper exercens, fratres suos confirmare, ubi opus fuerit, omnesque dominici gregis et agnos et oves pascere non desinit.

Iam vero nihil unquam tam hostiliter *inimicus homo*, quam Ecclesiae unitatem regiminis, quacum « unitas spiritus in vinculo pacis » ³⁹ coniungeretur, appetiit; qui si nequaquam adversus Ecclesiam ipsam praevalere potuit, effecit tamen, ut filios non paucos atque etiam integros populos ab eius gremio complexuque distraheret. Quam ad rem vel nationum inter nationes certamina,

³¹ Clarum elogium S. Josaphat, circumstantiis temporum respondens.

³² MATTH., XVIII, 18, 19.

³³ Rom., V, 5.

³⁴ JOANN., XVII, 11, 21, 22.

³⁵ IBID.

³⁶ Hebr., V, 7.

³⁷ Eph., IV, 4, 5, 15, 16.

³⁸ MATTH., XVI, 18.

³⁹ Eph., IV, 3.

vel alienae a religione ac pietate leges, vel fluxorum bonorum incensiora studia multum valuerunt.

Maxima autem atque omnium luctuosissima fuit Byzantinorum ab oecumenica unitate discessio; cui malo etsi Lugdunense Concilium ac Florentinum mederi visa sunt, tamen deinceps denuo illud erupit hodieque perseverat, magno scilicet cum animarum detrimento. Inde cernimus transversos actos esse pessumque ire cum alios tum Slavos Orientales, quamquam hi dutius quam ceteri in Ecclesiae matris sinu permanserunt. Constat enim eos cum hac Apostolica Sede aliquid rationis habere consuevisse, etiam post Michaelis Caerularii schisma⁴⁰, quam consuetudinem primum Tartarorum, tum Mongolorum intermissam, repetiisse deinceps ac retinuisse, dum potentium contumacia non sunt prohibiti.

Nec vero in hac causa Romani Pontifices quicquam praetermiserunt quod esset suarum partium; quorum nonnulli singulare studium curamque ad Slavorum Orientalium salutem contulerunt: ut Gregorius VII, qui principi Kioviensi « Demetrio regi Russorum et reginae uxori eius »⁴¹ regnum auspiciantibus, cum Romae ab eorum filio rogatus esset, amicissime omnia a Deo bona per litteras est precatus; ut Homorius III, qui ad civitatem Novogorodensem legatos misit; quod etiam fecit Gregorius IX, itemque non multo post Innocentius IV, qui magni fortisque animi virum eo legavit, Ioannem de Plano Carpino, Franciscalis, familiae ornamentum⁴². Huius quidem decessorum Nostrorum diligentiae fructus exstitit anno MCCLV, cum concordiae et unitatis reconciliatio facta est, ob eamque celebrandum nomine et auctoritate Pontificis abbas Opizo, eiusdem legatus, insigne regium Danieli, Romani filio, solemnibus caeremoniis, imposuit⁴³. Itaque secundum venerandam antiquiorum Slavorum Orientalium traditionem moremque, id etiam consecutum est, ut in Florentino Concilio Isidorum metropolita Kioviensis et Moscoviensis idemque S.R.E. Cardinalis, suorum quoque popularium verbis, catholicam unitatem in fide Apostolicae Sedis professus sit sancte se inviolateque servaturum.

Mansit igitur Kioviae plures quidem annos redintegrata coniunctio; cuius dirimendae causa illae perturbationes auxerunt, quae consummatae sunt in rebus publicis ineunte saeculo XVI; ea tamen anno MDXCV feliciter renovata est et, anno post, in conventu Brestensi promulgata, auctoribus et agentibus metropolita Kioviensi aliisque Ruthenorum Episcopis; quos quidem Clemens

⁴⁰ Revera, in Ucraina praesertim, schisma hoc per unum fere saeculum nunquam agnitum fuit, exceptis aliquibus Metropolitibus, origine graeca. Caetus vero tum Cleri tum Principum christianae et catholicae universalitati favebat, immo illam, occasione data, profitebatur verbis et rebus gestis.

⁴¹ Cfr. vol. I, *Documentorum Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantium*, nr. 1, p. 5-6.

⁴² Legatio haec versus urbem capitalem mongolorum directa erat. Sed iter faciendo alia etiam obibat negotia, sibi commissa. Modo speciali commissum ei fuit cum Principibus Ucrainae occidentalis, s. d. Regni Galiciae et Volodimiriae, tractare de rebus ecclesiasticis et defensionis christianitatis contra periculum tartarorum. De his, quae fecit Joannes de Plano del Carpino ipse narrat in descriptione suae legationis, sub tit. *Historia Mongalorum*. Cfr. recentiore editionem G. PULLÉ, *Historia Mongalorum. Viaggio di Giovanni da Pian del Carpino ai Tartari nel 1245-1247*, Florentiae 1913.

⁴³ Revera, verosimilius, impositio haec coronae evenit anno 1253, id est tempore Pontificatus Innocentii IV, qui obiit die 7.XII.1254. Cfr. hac de re epistolam ex. gr. Alexandri PP. IV, de data 13.11.1257, ubi de hoc eventu loquitur ut iam de illo, qui « olim » evenit. Cfr. vol. I, p. 50, nr. 34. Tota haec Collectio *Documentorum Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantium* huic sane felici et fausto eventui historico dicata est.

VIII amantissime excepit, editaque constitutione « *Magnus Dominus* » christifideles universos appellavit, ut Deo grates agerent, « qui semper cogitat cogitationes pacis et vult omnes salvos fieri et ad agnitionem veritatis venire »⁴⁴.

Illa autem ut in perpetuum unitas consensioque consisteret, eam providentissimus Deus sanctitatis simul et martyrii tamquam signo consecravit. Quae tanta laus obtigit Archiepiscopo illi Polocensi, Josaphat, ritus slavonici orientalis, quem iure praeclarum vel decus vel columen Slavorum Orientalium agnoscimus; siquidem vix aliquis alius magis nomen illustravit, aut melius saluti consuluit, quam hic ipsorum et Pastor et Apostolus, praesertim cum sanguinem suum pro Ecclesiae sanctae unitate profudit. Cuius praeclarissimi martyrii natalis cum adsit trecentesima, admodum Nobis placet tanti viri memoriam renovare, quo maioribus honorum precibus Dominus exoratus « excitet in Ecclesia sua spiritum, quo repletus beatus Iosaphat, Martyr et Pontifex... animam suam pro ovibus posuit »⁴⁵; auctoque vulgus unitatis promovendae studio, continuetur quod ipse urgebat, opus, usque dum promissum illud Christi idemque sanctorum omnium optatum eveniat: *et fiet unum ovile et unus Pastor*⁴⁶.

Hic parentibus quidem ab unitate dissitis ortus est, at sancte ablutus, accepto Ioannis nomine, a teneris unguiculis pietatem coluit; cumque splendorem sequeretur liturgiae Slavonicae, veritatem ante omnia Deique gloriam quaesivit, ob eamque rem, nullis humanis impulsu rationibus, ad communionem Ecclesiae unius oecumenicae seu catholicae se puerulus applicavit; ad cuius quidem communionem se destinatum ipso rite suscepto baptismo iudicabat. Quin etiam, caelesti quodam instinctu se moveri sentiens ad sanctam universaliter redintegrandam unitatem, plurimum eo sese conferre posse intellexit, si ritum orientalem Slavonicum et Basilianum vitae monasticae institutum in Ecclesiae universalis unitate retineret. Quare anno MDCIV inter monachos sancti Basilii alumnos cooptatus⁴⁷, depositoque Ioannis nomine appellatus Iosaphat, omnium exercitationi virtutum se totum dedit, pietatis maxime et austeritatis. Quem enim Crucis amorem a prima aetatula, Iesum Crucifixum contemplando, conceperat, eum perpetuo deinceps ostendit prorsus singularem.

Testis autem est metropolita Kioviensis Iosephus Velamin Rutsky⁴⁸ qui eidem monasterio archimandrita praefuerat, in vita monastica eum brevi tempore ita profecisse ut aliorum magister « esse posset ». Itaque ubi sacerdotio auctus est, archimandrita ipse Iosaphat renuntiatur et monasterio praeficitur. Is in huius administratione muneris, non modo monasterium continensque templum sarta tecta tueri, eaque contra inimicorum impetus communire studuit, verum etiam, quia deserta fere a fidelibus erant, idcirco instituit dare operam, ut eadem christianus populus iterum celebraret. Interea vero, in primis de suorum civium cum Petri cathedra coniunctione sollicitus, quaecumque ad eam qua promovendam qua confirmandam argumenta suppetent, undique conquirebat, praesertim libros liturgicos pervolutando, quibus

⁴⁴ « *Magnus Dominus* » de data 23.XII.1595; cfr. vol. I, p. 236-243, nr. 132.

⁴⁵ In officio S. Joasaphat.

⁴⁶ JOANN., X, 16.

⁴⁷ In monasterio Vilnensi, in Lithuania. Hac in civitate Josaphat apud mercatorem, patris amicum, artem mercaturae addiscebatur.

⁴⁸ Metropolita Kioviensis (1613-1637).

Orientalis ipsique dissidentes secundum sanctorum Patrum praescripta uti consuevissent.

Hac igitur tam diligenti praeparatione adhibita, unitatis instaurandae negotium coepit tanta simul cum vi et suavitate tantoque cum fructu agere, ut ab ipsis adversariis « raptor animarum » nuncuparetur. Etenim mirabile est, quam multos ad unicum ovile Iesu Christi perduxerit, eosque ex omni ordine ac genere, plebeios, mercatores, equites, praefectos quoque et administratores provinciarum, ut de Polocensi Sokolinski, de Novogrodecensi Tyszkiewicz, de Smolenscensi Mieleczko accepimus⁴⁹. Sed vel multo latiore in campum produxit apostolatam suam, ex quo Ecclesiae Polocensi datus est antistes. Cuius quidem apostolatus incredibilem sane oportet fuisse vim, cum exempla exhiberet vitae castissimae, pauperrimae, abstinentissimae, tantae autem erga indigentes liberalitatis, ut ad eorum inopiam sublevandam hic *omophorion* oppigneraret; cum intra religionis fines admodum se contineret, nec quicquam de rebus politicis attingeret, quamvis non semel nec parum idem sollicitatus esset ad curas contentionesque civiles obeundas; cum denique praeclearo studio niteretur sanctissimi Episcopi, qui verbis scriptisque finem non faciebat inculcandae veritatis. Plura enim ad popularium ingenium a se accommodatissime composita in lucem edidit, ut de primatu s. Petri, de baptismo s. Vladimiri, ut defensionem unitatis catholicae, catechismum ad rationem beati Petri Canisii exactum, et id genus alia⁵⁰. Cum multus esset in utroque clero ad officii diligentiam exhortando, sensim, excitato ministerii sacerdotalis ardore, perfecit, ut populus, rite in doctrina christiana institutus, aptaque divini verbi praedicatione nutritus, sacramenta sacramque liturgiam frequentare assuesceret, atque ad vivendi disciplinam usque sanctiorem renovaretur. Ita longe lateque Dei spiritu diffuso, Iosaphat unitatis opus, cui se devoverat, magnifice confirmavit. At vero tum maxime confirmavit illud atque adeo consecravit, cum pro eodem martyr occubuit, et quidem voluntate summa, magnanimitate mirabili. Martyrium in mente semper, in ore frequenter habebat; martyrium sibi celebri in concione optavit; martyrium denique, tamquam singulare Dei beneficium, implorabat; ut paucis ante mortem diebus, ubi de paratis sibi insidiis est admonitus, « Domine, inquit, da mihi ut sanguinem pro unitate et oboedientia Sedis Apostolicae profundere valeam ». Voti factus est compos die dominico XII Novembris a. MDCXXIII, cum circumstantibus hostibus, qui unitatis Apostolum petebant, obviam se hilaris et comis obtulit, precatusque, ad Magistri Dominique sui similitudinem, ne suos domesticos laederent, se ipsum in eorum manus tradidit; cumque vulneribus crudelissime conficeretur, non cessavit ad extremum spiritum rogare Deum, ut suis percussoribus ignosceret⁵¹.

Huius tam incliti magna fuere emolumenta; praesertim multum firamenti ac roboris Episcopis Ruthenis, qui duobus mensibus post, missis ad sacrum Consilium Fidei Propagandae litteris, ita professi sunt « vitam nostram

⁴⁹ Agitur de Palatinis respectivorum Palatinatum Magni Ducatus Lithaniae. Cfr. de his personis S. *Josaphat Hieromartyr, Documenta beatificationis et canonizationis*, vol. I, Romae 1952.

⁵⁰ Cfr. A. G. WELYKYJ, *S. Josaphat Hieromartyr*, vol. I, p. 221-234, nr. 72, in lingua latina.

⁵¹ Cfr. praesertim depositiones plus quam 100 testium in Processu beatificationis anni 1628. Cfr. S. *Josaphat Hieromartyr*, vol. I, p. 79-221, nr. 71.

cum sanguine, prout iam unus ex nobis profudit, pro fide catholica profundere paratissimos nos offerimus ». Ingens etiam hominum numerus, in quibus ipsi Martyris interfectores, in sinum unius Ecclesiae se subinde receperunt.

Sanguis igitur sancti Iosaphat, quemadmodum abhinc tribus saeculis, ita nunc maxime, pignus pacis atque unitatis sigillum exstat; nunc, inquit, cum tanta fraterna caede miserrimas Slavorum provincias, turbulentissimis motibus perturbatas, efferatorum bellorum furor cruentavit. Hunc enim sanguinem exaudire veluti videmur *melius loquentem quam Abel*⁵², Slavosque fratres compellantem, ut quondam Christi Iesu verbis: *Oves sine pastore iacent. Misereor super turbam*. Et vere, quam miserabili condicione ii premuntur! in quantis rerum omnium angustiis versantur! quot patria extorres! quae corporum strages! quae perniciēs animorum! Equidem haec Slavorum tempora contemplantēs, multo sane deteriora quam quae noster deplorabat, vix pro paterna animi caritate continere possumus.

Nos quidem, ut tantam miseriarum molem levaremus, opem calamitosis ultro afferre studuimus, nihil humani spectantes, nulloque inter indigentes facto discrimine, dumtaxat egentissimo cuique praesentissime opitulantes. Verum haud par fuit tantae necessitati Nostra facultas. Nec vero prohibere potuimus quin, quavis religione contempta contra veritatem ac virtutem indignitates increbrescerent, atque adeo, nonnullis in locis, ad carcerem, ad necem usque christiani homines atque ipsi sacerdotes et sacrorum antistites quaerentur.

Haec Nobis mala intuentibus, id haud mediocri est solacio, quod praeclarissimi Slavorum Antistitis commemoratio solemnīs occasionem praebet sane opportunam ad paternum animum, quem erga Slavos omnes Orientales gerimus, declarandum, iisdemque proponendam bonorum omnium summam, quae in Ecclesiae sanctae oecumenica unitate consistit.

Ad quam unitatem cum dissidentes impense cohortamur, tum christifideles universos, Iosaphat auctore et magistro, contendere cupimus, ut pro viribus suam quisque Nobis operam studiumque navent. Hi porro intelligant non tam disputationibus aut incitamentis aliis, quam sanctae vitae exemplis officiisque hanc esse unitatem promovendam, in primis vero caritate erga Slavos fratres ceterosque Orientales, secundum illud Apostoli: *Eandem caritatem habentes, unanimes, idipsum sentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitantes, non quae sua sunt singuli considerantes, sed ea quae aliorum*⁵³.

Qua in re, quemadmodum Orientales dissidentes oportet ut, antiquis praeiudicatis opinionibus depositis, veram Ecclesiae vitam cognoscere studeant, neque in Ecclesiam Romanam privatorum culpas conferant, quas ipsa quidem et damnat et emendare connititur; sic latini homines uberius altiusque res moresque cognoscant Orientalium, ex quorum intima cognitione tam multum efficacitatis in sancti Iosaphat operam redundavit.

Hisce rationibus permoti, Nos Institutum Pontificium Orientale, a decessore Nostro desideratissimo, Benedicto XV, conditum, novis studiis fo-

⁵² *Hebr.*, XII,24.

⁵³ *Phil.*, II,2-4.

vendum curavimus⁵⁴; illud persuasum habentes, ex recta rerum cognitione aequam hominum existimationem itemque sinceram benevolentiam efflorescere, quae Christi caritate coniuncta, religiosae unitati quam maxime est, Dei munere, profutura.

Hac enimvero caritate afflati, sentient omnes quod divinitus docet Apostolus: *Non enim est distinctio Iudaei et Graeci; nam idem Dominus omnium, dives in omnes qui invocant illum*⁵⁵. Praeterea, quod maius est, eidem Apostolo praecipiente religiose obsecuti, non praeiudicatas tantum opiniones, sed etiam inanes suspiciones, simultates, odia, denique omnes a christiana caritate aversos animorum motus, quibus inter se nationes dividuntur, exuent atque deponent. Sic enim idem Paulus: *Nolite mentiri invicem expoliantes vos veterem hominem cum actibus suis, et induentes novum, eum qui renovatur in agnitionem, secundum imaginem eius qui creavit illum ubi non est Gentilis et Iudaeus ... Barbarus et Scythia, servus et liber, sed omnia et in omnibus Christus*⁵⁶.

Ita hac et singulorum hominum et populorum conciliatione perfecta, coniunctio simul perficietur Ecclesiae, in eiusdem sinum redeuntibus omnibus, quotquot, quavis de causa, sint ab ea seiuncti. Quae coniunctionis perfectio non humano quidem consilio fiet, sed unius bonitate Dei, qui *non est personarum acceptor*⁵⁷, quique *nihil discrevit inter nos et illos*⁵⁸: fiet autem, ut omnes aequo iure utantur coniuncti populi, cuiusvis sint generis aut linguae, quorumvis rituum sacrorum, quos Romana Ecclesia et sanctissime semper venerata retinuit, semperque decrevit retinendos, iisdem se tamquam pretiosis vestibus exornans, quasi *regina ... in vestitu deaurato, circumdata varietate*⁵⁹.

Quoniam vero haec populorum omnium in oecumenica unitate consensus, ut opus in primis Dei, divinis est auxiliis praesidiisque comparanda, piis sedulo insistamus precibus, exempla ac documenta sequentes sancti ipsius Iosaphat, qui orationis potissimum virtute fretus pro unitate elaborabat.

Eodemque auctore et duce, augustum maxime Eucharistiae Sacramentum percolamus, pignus causamque praecipuam unitatis, mysterium illud fidei, cuius amorem studio samque consuetudinem quotquot Slavi Orientales in ipso a Romana Ecclesia discessu conservarunt, iidem graviorum haeresum impietatem defugerunt. Ex quo tandem sperare licebit, quod Ecclesia mater pie fidenterque precatur in mysteriis iisdem celebrandis, ut *Deus unitatis et pacis propitius dona concedat, quae sub oblatiis muneribus mystice designantur*⁶⁰;

⁵⁴ Institutum Orientalium Studiorum fundatum fuit documentis Pontificiis Benedicti PP. XV: « *Orientis catholici* » de data 15.X.1917, et « *Quod nobis in condendo* », de data 25.IX.1920, quo Pontificio Instituto Orientali ius tributum fuit Doctorales laureas decernendi. Pius vero PP. XI die 14.IX.1922 litteris Praeposito Generali Societatis Jesu datis Institutum Societati Jesu regendum et promovendum commisit. Tandem anno 1928, die 7 mensis Septembris Pius PP. XI litteris encyclicis studium rerum orientalium enixe commendavit et inculcavit toto orbi. Cfr. « *Rerum Orientalium studiis* ». Tempore huius Pontificatus assignata erat etiam ampla et commoda huic Instituto sedes, primum peres Institutum Biblicum, et demum in viciniis basilicae S. Mariae Maioris.

⁵⁵ *Rom.*, X,12.

⁵⁶ *Coloss.*, III,9-11.

⁵⁷ *Act.*, X,34.

⁵⁸ *IBID.*, XIV,9.

⁵⁹ *Psalmus XLIV*,10.

⁶⁰ Secreta Missae in solemnitate Corporis Christi.

quod ipsum coniunctis precibus utrique, inter sacrificandum, orant Latini et Orientales: hi « pro unitate omnium Dominum invocantes », illi eidem Christo Domino supplicantes ut « respiciens fidem Ecclesiae suae, eandem secundum voluntatem suam pacificare et coadumare dignetur ».

Alterum unitatis reconciliandae vinculum cum Orientalibus Slavis in eorum singulari studio erga magnam Dei Matrem Virginem ac pietate continetur, eos ab haereticis compluribus seiungens, nobisque efficiens propiores. In quo quidem Iosaphat cum magnopere praestabat, tum ad unitatem persuadendam plurimum confidebat; quare icunculam, ut mos est Orientalium, peculiariter venerari solitus erat Deiparae Virginis, quae a monachis Basilianis et in ipsa Urbe, ad sanctorum Sergii et Bacchi, a christifidelibus cuiuslibet ritus religiosissime colitur, ut *Regina pascuorum*⁶¹. Eam igitur benignissimam Matrem praesertim hoc titulo invocemus, ut dissidentes fratres ad salutaria pascua deducat, ubi Petrus, in successoribus suis nunquam deficiens, Pastoris aeterni vicarius, christiani gregis et agnos et oves pascit universos ac moderatur.

Postremo, Caelites omnes in re tanta adhibeamus advocatos, eos maxime qui apud Orientales olim sanctitatis sapientiaeque opinione floruerunt, hodieque magna populorum florent veneratione et cultu. Sed primum omnium deprecatorem appellemus Iosaphat, qui unitatis causam ut fortissime propugnavit, dum vixit, ita nunc foveat pud Deum ac validissime tueatur.

Quem quidem Nos his decessoris Nostri immortalis memoriae Pii IX obsecramus supplicibus verbis: « Utinam, sancte Iosaphat, tuus ille cruor, quem pro Christi Ecclesia effudisti, sit illius unionis pignus cum sancta hac Apostolica Sede, quam semper in votis habuisti, quamque diu noctuque enixis precibus a Deo Optimo Massimo exoptulasti. Quod ut tandem aliquando eveniat, apud ipsum Deum caelestemque Aulam Te deprecatorem assiduum exoptamus »⁶².

Auspicem divinorum munerum ac testem benevolentiae Nostrae, vobis, Venerabiles fratres, et clero populoque vestro apostolicam benedictionem amantissime impertimus.

Datum Romae apud sanctum Petrum, die XII mensis Novembris, Anno MDCCCXXIII. Pontificatus Nostri secundo.

PIUS PP. XI.

⁶¹ Agitur de Ecclesia SS. Sergii et Bacchi, quae inde ab anno 1638 Orientalibus, et in specie Ordini Basilianorum pertinet. Per longa saecula sedes Procuratorum Ecclesiae Unitae et Ordinis Basiliani in Urbe. Demum ab anno 1897 sedes Collegii Pontificii Rutheni, et demum ab anno 1932 Curia Generalis Ordinis Basiliani. Inde ab anno 1718-1719 ecclesia haec claret imagine miraculosa B. V. Mariae, s.d. Zyrovicensis, quod nomen in linguam latinam translatum novum nomen ecclesiae et Hospitio dedit: Madonna del Pascolo. Imago haec vetusta miraculis claruit in monasterio Zyrovicensi iam inde a temporibus S. Josaphat (initio saec. XVII). Devotionis causa monachus quidam eam etiam in muro Hospitii depinxit, tempore et circumstantiis ignotis. Tandem etiam haec nova imago muralis plurimis claruit miraculis ad nostra usque tempora.

⁶² Cfr. Bullam canonizationis de data 6.VII.1867. Cfr. supra.

1078.

Romae, 8 . V . 1924

Bulla provisionis Ecclesiae tit. Amisenae in persona Constantini Bohachevsky, Exarchae pro fidelibus Ritus Byzantini-Ucrainorum in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 68-24, vol. XXIV, nr. 47.
ARCH. S. C. PRO ECCL. ORIENT., *Bolle e Brevi*, vol. I, p.

PIUS Episcopus Servus Servorum Dei, Dilecto filio Constantino Bohatskiwskyj⁶³, electo Episcopo titulari Amiseno, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum per obitum b.m. Soteris Ortynsky, Episcopi titularis Daulinensis, Christifideles rutheni ritus Statuum Foederatarum Americae Septentrionalis ob varias temporum et rerum circumstantias absque proprio Pastore diu permanserint, ne diutius haec eorum conditio protrahatur, dilecti filii nostri, S.R.E. Card. S. Cong. pro Ecclesia Orientali praepositi in plenariis comitiis die 25 Februarii proxime elapsi habitis, ut efficacius consulere spirituali adstantiae Ruthenorum in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis commorantium, attenta eorum diversitate originis ac aemulatione⁶⁴, quae eos dividit, duos Episcopos constituere censuerunt: unum scilicet pro Ruthenis ex Galitia oriundis, et alterum pro Ruthenis ex Podocarpattia Russa. Stauerunt insuper iidem Cardinales, ut Episcopus, qui ordinariam exercebit iurisdictionem in Christifideles ruthenos ex Galitia oriundos, figat suam Sedem in Urbe Philadelphia, et ei pareant omnes missiones ab iisdem Ruthenis ex Galitia fundatae et etiam mixtae, quibus ipsi numero praevalent. Similiter, ut Episcopus, qui ordinariam exercebit iurisdictionem in Christifideles ruthenos ex Podocarpattia oriundos Russa, suam habitualement residentiam figat in Urbe Neo-Eboracensi atque ei subiiciantur omnes missiones a Ruthenis ex Podocarpattia fundatae, et etiam mixtae in quibus ipsi numero sint potiores, iuxta elenchum serius definiendum.

Nos vero hanc sententiam adprobantes et ratam habentes, cum episcopalis Ecclesia Amisena, cuius titularis Ven. fr. Antonius Boalan Episcopus gerebat per ipsius translationem ad Cathedralem Ecclesiam Petrolisensem in praesens vacans existat, te Protonotarium Apostolicum ad instar partecipientium, et Vicarium Generalem Dioecesis Premisliensis, de Ven. fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio, Apostolica auctoritate ad dictam vacantem episcopalem Ecclesiam Amisenam elegimus eiusque titulum tibi conferimus, cum omnibus iuribus, privilegiis, et oneribus sublimi huic dignitati inhaerentibus, ut ordinariam exerceas iurisdictionem in Christifideles rutheni ritus ex Galitia oriundos.

⁶³ Constantinus Bohachevsky, Exarcha Apostolicus Philadelphiensis. Cfr. supra, nota 29.

⁶⁴ Post obitum Soteri Ortynskyj, primi Episcopi in Statibus Foederatis, dissidia varia proruperunt inter Clerum et fideles huius exarchatus. Inde per octo fere annos Exarchatus hic Episcopo carebat. Tandem anno 1924 S.C. pro Ecclesia Orientali utile fore duxit territorium hoc in duas subdividere partes, easque duobus committere Exarchis Ritus Orientalis. Inde ad novam provisionem deventum est.

Volumus autem ut Clerus et populus tuae curae concrediti tanquam patrem animarum suarum devote recipientes et debita honorificentia prosequentes salubribus tuis monitis et mandatis debitam praestent obedientiam et reverentiam, ita ut tu in eis devotionis filios, ipsi vero in te patrem benevolum invenisse gaudeatis.

Volumus pariter et mandamus ut etiam, ceteris impletis de iure servandis, ante episcopalem consecrationem recipias in manibus cuiuscunque, quem malueris, catholici Antistitis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, fidei catholicae professionem emittere et consueta iuramenta praestare iuxta formulas praesentibus literis adnexas, et illas vel earum exemplaria, tui dictique Antistitis subscriptione ac sigillo munita ad Sedem Apostolicam infra sex menses transmittere omnino tenearis. Ad hoc Antistiti a te electo professionem et iuramenta illa Nostro et R.E. nomine recipiendi munus et mandatum per praesentes committimus. Et insuper Nos ad ea, quae in tuae commoditatis augmentum cedere valeant, favorabiliter intendentes, tibi ut in istis partibus a quocumque, quem malueris, catholico Antistite tui ritus, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, adsistentibus ipsi in hoc duobus praesbyteris, pariter tui ritus, in officio vel ecclesiastica dignitate constitutis, dummodo vero deficiant duo alii catholici Antistites similes gratiam et communionem habentes, qui commode vocari possint, munus consecrationis recipere libere valeas, eidemque Antistiti a te electo, ut ipse munus praefatum tibi impendere licite possit, plenam et absolutam concedimus facultatem; stricte vero praecipimus, ut nisi prius fidei professionem emiseris, et consueta iuramenta praestiteris, iuxta formulas a Sede Apostolica propositas, nec tu consecrationem praedictam recipere audeas, nec eam tibi impertiatur Antistes, a te electus.

Volumus autem ut, si huic Nostro praecepto, quod Deus avertat, tu et Antistes a te electus, contraiveritis, poenam suspensionis ab exercitio pontificalis officii et ab administratione tum spirituali tum temporali Ecclesiarum vestrarum ipso facto incurratis.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus fore, ut dextera Domini tibi assistente propitia, munus, quod tibi committimus, ita fideliter ac prudenter exerceas, ut per tuam pastoraalem industriam et studium Christi religio magis magisque in dies incrementa suscipiat.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno D.N. 1924, die 8-a Maii, Pontificatus Nostri Anno tertio. - F.B.

Sig. Octavius C. Cagiono S.R.E. Cancellarius
Aulius Campori Protonotarius Apost. Raphael Virili, Proton. Apostolicus

* * *

Anno 1954 Constantinus Bohachevsky translatus est ad Sedem Archiepiscopalem Beroënsis in Macedonia.

1079.

Romae, 8 . V . 1924

Provisio Ecclesiae tit. Zelitena in persona Basilii Takacs, Exarchae Apostolici pro fidelibus Ritus Byzantini-Rutheni in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 69-24, vol. XXIX, nr. 48.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Basilio Takacs⁶⁵, electo Episcopo titulari Zelensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Cum per obitum b.m. Soteris Ortynsky, Episcopi titularis Dauliensis, Christifideles rutheni ritus Statuum Foederatorum Americae Septentrionalis etc. (*ut supra sub data 8.V.1924*),

Nos vero hanc sententiam adprobantes et ratam habentes, cum episcopalis Ecclesia Zelitena etc. Volumus autem ut Clerus et populus etc. Volumus pariter et mandamus etc. fidei catholicae professionem emittere et consueta iuramenta praestare etc. a te electus.

Volumus autem, ut si huic Nostro praecepto etc. incurratis. Firmam autem spem fiduciamque concipimus etc. suscipiat.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno D.N. 1924, die 8-a Maii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

1080.

Romae, 8 . V . 1924

Indulgentiae variae conceduntur pro fidelibus Eparchiarum in Ucraina Occidentali occasione tertii a martyrio S. Josaphat saeculi revoluti.

ARCH. S. C. PRO ECCL. ORIENTALI, *Bolle e brevi*, vol. I, p. 41.

Venerabili fratri N. Andreae Szeptycki,
Archiepiscopo Leopoliensi Ruthenorum.

PIUS PAPA XI. Venerabilis frater etc.

Jam trecentesimo anni occasione etc.

Datum Romae etc.

* * *

Con Breve « *Jam trecentesimo anni occasione* »⁶⁶, in data 8 Maggio 1924 per le feste centenarie in onore di S. Giosafat M. Arciv. ruteno di Poloc furono

⁶⁵ Basilius Takacs, Exarcha Pittsburgensis pro fidelibus Ritus Orientalis, oriundis ex Ucraina Carpatia. Natus die 27.X.1879 in Vučkovoje, in Eparchia Munkaesiensi. Electus ad hanc Sedem tit. die 8.V.1924. Obiit anno 1948, die 13 Maii. Hic erat secundus Episcopus pro alia parte Exarchatus olim Soteri Ortynskyj.

⁶⁶ Textum indulgentiae huius invenire non potuimus. Proinde publici hic facimus iuris notam, quae invenitur in Archivio S.C. pro Ecclesia Orientali. In hac nota clare patet de quibusnam agebatur gratiis et indulgentiis.

concesse varie Indulgenze plenarie e parziali; inoltre che in diversi giorni stabiliti dagli Ordinarii delle diocesi per le solennità la S. Liturgia in onore del Santo applicata in suffragio dei defunti equivallesse alla celebrazione all'altare privilegiato; ed infine che i Vescovi intervenendo nei luoghi della loro giurisdizione per la celebrazione delle feste potessero impartire ai fedeli la Benedizione Papala con Indulgenza plenaria.

Sign. P. Card. Gasparri
a Secretis Status

1081.

Romae, 14 . VII . 1924

Translatio Antonii Papp, Ep. Munkaciensis, ad Sedem tit. Cyzicensem, et nominatio in Administratorem Apostolicum ecclesiarum paroecialium Eparchie Munkaciensis, quae in Regno remanserunt Hungariae.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 87/24, vol. 31, nr. 52.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Antonio Papp⁶⁷, hactenus Episcopo Munkaciensi Ruthenorum, in Archiepiscopum titularem Cyzicensem electo, salutem ed Apostolicam benedictionem.

Commissum humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum Principe officium regendi, pascendi et gubernandi universalem Ecclesiam Nos impellit, ut curemus, ne memoria pereat illarum Ecclesiarum, quae virtutum splendore et religionis prosperitate floruerunt, etsi modo temporum vicissitudine et iniuria pristinam amiserint gloriam.

Cum itaque titularis Ecclesia Archiepiscopalis Cyzicensis, cuius titulum bo. me. Josephus Morabito Archiepiscopus gerebat, per ipsius obitum in praesens vacans existat, Nos te, hactenus Episcopum Munkaciensem Ruthenorum, Apostolicae potestatis plenitudine a vinculo absolventes quo Cathedrali Ecclesiae Munkaciensi teneris, ad praedictam titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Cyzicensem, de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio Apostolica auctoritate transferimus, eiusque tibi titulum conferimus cum omnibus iuribus, privilegiis et oneribus sublimi huic dignitati inhaerentibus.

Volumus autem et mandamus ut, etiam ceteris impletis de iure servandis, antequam titulum Archiepiscopi Cyzicensis suscipias, in manibus cuiuscumque, quem malueris, catholici Antistitis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis fidei catholicae professionem emittere et sueta iuramenta praestare, iuxta formulas praesentibus litteris adnexas, et illas, vel earum exemplaria, tui dictique Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad Cancellariam Apostolicam infra sex menses transmittere omnino tenearis. Ad hoc Antistiti a te electo professionem et iuramenta illa Nostro et Romanae Ecclesiae nomine recipiendi munus ac mandatum per praesentes committimus.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo quarto, die decima quarta mensis Julii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

⁶⁷ Antonius Papp, Episcopus olim Munkaciensis (1912-1924). Cfr. supra, nota 5, ultimo posita loco.

1082.

Romae, 16 . VII . 1924

Provisio Ecclesiae Munkacsiensis in persona Petri Gebey.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 99-24, vol. XXX, nr. 11.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Petro Gebé, electo Episcopo Munkacsiensi⁶⁸, salutem et apostolicam benedictionem.

Commissum humilitati Nostrae ab aeterno pastorum Principe officium regendi, pascendi et gubernandi universalem ecclesiam onus Nobis imponit diligentissime curandi, ut Ecclesiis omnibus tales constituentur Praesules, qui gregem dominicum salubriter pascere et sciant et valeant.

Cum itaque Cathedralis Ecclesia Munkacsiensis, rutheni ritus, Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensi suffraganea, cuius postremus Episcopus extitit Venerabilis frater Antonius Papp⁶⁹, per ipsius translationem ad titularem Ecclesiam Archiepiscopalem Cyzicensem Pastore sit in praesens destituta, Nos, intendentes tam eidem Ecclesiae Munkacsiensi, quam eius gregi dominico salubriter providere, te, Canonicum Cathedralis Ecclesiae Munkacsiensis, ac eiusdem Dioecesis Vicarium Generalem, de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium consilio Apostolica auctoritate eligimus, eique in Episcopum praeficimus et pastorem nec non curam, regimen et administrationem ipsius Ecclesiae tibi in spiritualibus et temporalibus plenarie committimus cum omnibus iuribus, privilegiis oneribus et obligationibus pastorali huic officio inhaerentibus.

Fidelium insuper et parociarum rutheni ritus dioeceseos praedictae, quae intra fines reipublicae Cecoslovachiae continentur ordinariam administrationem tibi committimus, ea tamen lege, ut parociae et fideles rutheni ritus, intra fines Hungarici regni exstantes, quae usquedum ad dioecesim Munkacsiensem pertinebant, subtractae sint iurisdictioni neoelecti Episcopi Munkacsiensis et Venerabili fratri Antonio Papp, Archiepiscopo titulari Cyzicensi, tanquam Apostolico Administratori, sint concredita⁷⁰.

Volumus autem et mandamus ut etiam, ceteris impletis de iure servandis, antequam Episcopalem consecrationem recipias, in manibus cuiuscumque, quem malueris, catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, fidei catholicae professionem emittere et consueta iuramenta praestare iuxta formulas praesentibus adnexas et illas, vel earum exemplaria tui dictique Antistitis subscriptine ac sigillo munita ad Sedem Apostolicam infra sex menses transmittere omnino tenearis. Ad hoc Antistiti a te electo professionem et iuramenta illa Nostro et Romanae Ecclesiae nomine recipiendi munus ac mandatum per praesentes committimus.

Et insuper ad ea, quae in tuae commoditatis augmentum cedere valeant favorabiliter intendentes, tibi ut in istis partibus a quocumque, quem malue-

⁶⁸ Petrus Gebey, sacerdos Eparchiae Munkacsiensis et Canonicus. Natus die 20.VII.1864 in Kálnik, in Eparchia Munkacsiensi. Obiit anno 1931, die 26 Aprilis.

⁶⁹ Anno 1912-1924, translatus ad Sedem Archiepiscopalem Cyzicensem. Cfr. supra, sub data 14.VII.1924.

⁷⁰ Divisio haec iurisdictionis ex rationibus praecipuis politicis necessaria evenit.

ris catholico Antistite, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, assistentibus ipsi in hoc duos Presbyteris etc. concedimus facultatem. Stricte vero praecipimus ut, nisi prius etc. impertiatur.

Volumus autem et mandamus ut, si huic Nostro praecepto, quod Deus avertat, tu et Antistes a te electus contraveneritis, poenam suspensionis ab exercitio pontificalis Officii et ab administratione tum spirituali tum temporali Ecclesiarum vestrarum ipso facto incurratis.

Per praesentes insuper Venerabilem fratrem Archiepiscopum Strigoniensem hortamur ac in Domino monemus, ut pro Nostra et Sedis Apostolicae reverentia te, electum Episcopum suffraganeum suum, sui favoris ope prosequatur. Spem igitur fovemus fore, ut te in fratrem recipiat et, zelo motus promovendi Dei gloriam et Ecclesiae bonum tibi, si quando suum implores auxilium, hoc praestare non detrectet, sicque possis commissum tibi munus in bonum tuae Ecclesiae facilius explere.

Dilectis autem filiis Capitulo, Clero et populo tuae Cathedralis Ecclesiae Munkacsiensis in Domino mandamus ut te, tanquam Patrem et Pastorem animarum suarum devote recipientes, ac debito honore prosequentes, salubribus tuis monitis et mandatis debitam praestent obedientiam ita ut tu in eis devotionis filios, ipsi vero in te patrem benevolum invenisse gaudeatis.

Volumus autem et mandamus ut, cura et officio Ordinarii, qui modo dioecesim Munkacsiensem regit, hae litterae Nostrae publice perlegantur in ipsa Cathedrali Ecclesia ab ambone, quum primus advenerit dies festus a populo de praecepto recolendus.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus fore, ut dextera Domini tibi assistente propitia, memorata Cathedralis Ecclesia Munkacsiensis per tuam pastorem industriam et studium fructuosum regatur utiliter et prospera in spiritualibus et temporalibus suscipiat incrementa.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo quarto, die decima sexta mensis Julii, Pontificatus Nostri Anno tertio.

1083.

Romae, 10 . II . 1926

Provisio Ecclesiae tit. Daoniensis in persona Gregorii Lakota cum deputatione in Auxiliarem in Eparchia Peremysliensi.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 14-26, vol. XXXIII, nr. 50.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Gregorio Lakota ⁷¹, Rutheni ritus, electo Episcopo Titulari Daniensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

⁷¹ Gregorius Lakota, Auxiliaris Peremysliensis (1926-1947?). Natus in Holodivka, Eparchiae Peremysliensis, die 31.I.1883; ordinatus sacerdos an. 1908; electus Ep. tit. Daoniensis 10.II.1926, consecratus die 16.V.1926. Anno 1946 per summam violentiam in remotas regiones deportatus et in custodia violenta detentus manu, ubi, ut videtur, obiit ut Christi Domini Confessor.

Commissum humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum Principe officium regendi, pascendi et gubernandi universalem Ecclesiam Nos impellit ut curemus, ne memoria pereat illarum Ecclesiarum, quae virtutum splendore et religionis prosperitate floruerunt, etsi modo temporum vicissitudine et iniuria pristinam amiserint fulgentem gloriam.

Cum itaque titularis Ecclesia episcopalis Daniensis, sub Archiepiscopo Heracleensi, certo modo Nobis noto in praesens vacans existat, Nos te, Presbyterum Rutheni ritus, Archipresbyterum Cathedralis Ecclesiae Premisliensis Ruthenorum, Vicarium Generalem eiusdem Dioecesis, ibique Rectorem Seminarii, ad praedictam titularem Ecclesiam episcopalem Daniensem, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, Apostolica auctoritate eligimus, eiusque tibi titulum conferimus, cum omnibus iuribus, privilegiis et oneribus sublimi huic dignitati inhaerentibus.

Cum vero Venerabilis frater Josaphat Joseph Kocylowsky, hodiernus Episcopus Premisliensis Ruthenorum ab Apostolica Sede postulasset ut, praeculis habitis infirma ipsius valetudine, Dioecesis nimia extensione ingentique sacerdotum et fidelium regendorum numero, Episcopus sibi Auxiliaris constitueretur, Dilecti filii Nostri S. R. E. Cardinales S. Congregationi pro Ecclesia Orientali praepositi in plenario coetu die vigesima nona mensis Decembris elapsi anni millesimi nongentesimi vigesimi quinti habito, preces Episcopi Premisliensis Ruthenorum excipiendas duxerunt, reservata tamen Apostolicae Sedi facultate eiusdem Dioecesis dismembrationem et divisionem peragendi quum id in Domino expedire visum fuerit; atque ad munus Auxiliaris praefati Josaphat Josephi Episcopi, te Nobis commendandum censuerunt.

Quapropter Nos, hanc sententiam approbantes ac ratam habentes, volumus ut tu, episcopali caractere auctus, Venerabili fratri Josaphat Josepho Kocylowsky, hodierno Episcopo Premisliensi Ruthenorum, in pontificalibus exercendis, aliisque pastoralibus muneribus obeundis adiumentum praestes, ita tamen ut haec nonnisi de consensu et licentia praefati Josaphat Episcopi in civitate et Dioecesi Premisliensi Ruthenorum obire possis, cuius quidem Josaphat Josephi Episcopi te in Auxiliarem, de ipsorum Cardinalium pariter consilio, suprema Nostra auctoritate constituimus et deputamus.

Volumus quoque et mandamus ut, etiam ceteris impletis de iure servandis, antequam episcopalem consecrationem recipias, in manibus cuiuscumque, quem malueris catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, fidei catholicae professionem, etc. ac sueta iuramenta praestare etc. committimus.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus etc. suscipiat incrementa.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo sexto, die decima mensis Februarii, Pontificatus Nostri Anno quinto.

1084.

Romae, 10 . II . 1926

Eidem Gregorio Lakota, Electo Daoniensi, conceditur facultas recipiendi consecrationem episcopalem.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 14-26, vol. XXXIII, nr. 50.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Gregorio Lakota, electo Episcopo Titulari Daniensi Rutheni ritus, salutem et Apostolicam benedictionem.

Nos tibi, in Episcopum titulare Daniensem hodie a Nobis electo, facultatem peramanter concedimus, ut episcopalem consecrationem extra Urbem recipere valeas, iuxta tuum ritum et disciplinam, a quocumque, quem maueris, catholico Antistite, eiusdem ritus, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, assistentibus ipsi duobus Presbyteris in officio, vel ecclesiastica dignitate constitutis (dummodo vero deficiant duo alii catholici Antistites, similes gratiam et communionem habentes, qui commode vocari possint).

Stricte vero praecipimus ut, nisi prius fidei catholicae professionem etc. committimus.

Volumus autem et mandamus ut, si huic Nostro praecepto etc. ipso facto incurratis.

Datum Romae... (ut supra).

1085.

Romae, 7 . III . 1927

Paulus Gojdič, Basilianus, nominatur Episcopus tit. Harpasensis et Administrator Eparchiae Prjašivensis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 55-27, vol. XXXV, nr. 56.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Paulo Gojdic⁷², Ordinis S. Basilii Magni, Dioecesis Eperiesensis Ruthenorum Administratori Apostolico, electo Episcopo titulari Harpasensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

⁷² Petrus Paulus Gojdič, Basilianus. Natus die 17.VII.1888 in Peklany. Ordinatus praesbyter 27.VIII.1911. Ordinem Basilianorum ingressus est die 22.VII.1922; professionem minorem die 10.III.1923, et maiorem die 28.XI.1926 fecit. Sed iam die 14.IX.1926 nominatus est in Administratorem Apostolicum Eparchiae Presovens (Prjasivensis), quod munus accepit die 20.II.1927. In Episcopum titulare Harpasensem electus die 7.III.1927, et consecratus die 25.III.1927. Romae. Die 13.IV.1939 nominatus Administrator Apostolicus pro Administratura Apostolica Munkacsensis, et demum preconisatus in Episcopum residentialem Prešovensem die 17.VI.1940, et intronisatus die 8.VIII.1940. Anno 1950 violentas ei inimici nominis catholici iniecerunt manus et in carcerem detruderunt, et tandem ad perpetuam permanentiam in loco custodiae adiudicaverunt summa iniuria. Verus Christi Confessor veritatisque catholicae defensor.

Commissum humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum Principe officium regendi, pascendi et gubernandi universalem Ecclesiam Nos impellit ut curemus ne memoria pereat illarum Ecclesiarum, quae virtutum splendore et religionis prosperitate floruerunt, etsi modo temporum vicissitudine et iniuria pristinam amiserint fulgentem gloriam.

Cum itaque titularis Ecclesia episcopalis Harpasensis sub Archiepiscopo Stauropolitano, cuius titulum Venerabilis frater Josephus Pfluger Episcopus gerebat, per ipsius ad titularem Ecclesiam archiepiscopalem Macrensem promotionem in praesens vacans existat, Nos volentes te, Dioecesis Eperiesensis Ruthenorum Administratorem Apostolicum ad nutum S. Sedis nuper a Nobis deputatum, episcopali caractere ac dignitate decorare, quo melius ac fructuosius tuum possis ministerium explere, ad praefatam Harpasensem Ecclesiam, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, Apostolica auctoritate eligimus, eiusque tibi titulum conferimus cum omnibus iuribus, privilegiis et oneribus sublimi huic dignitati inhaerentibus.

Volumus autem et mandamus, ut etiam ceteris impletis de iure servandis, antequam episcopalem consecrationem recipias, in manibus alicuius, quem malueris, catholici Episcopi, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, tum fidei catholicae professionem pro quovis catholico Antistite statutam et alteram a felicitis recordationis Urbano Papa octavo, praedecessore Nostro pro Episcopis Orientalibus praescriptam emittere, tum sueta iuramenta praestare iuxta formulas a Sede Apostolica statutas, easque propria manu subscribere et S. Congregationi pro Ecclesia Orientali transmittere omnino tenearis.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus, te, dextera Domini tibi assistente propitia, munere Administratoris Apostolici Dioecesis Eperiesensis tibi commisso ita fideliter ac prudenter functurum, ut Ecclesia Eperiesensis per tuam pastorem industriam et studium fructuosum regatur utiliter ac prospera in spiritalibus ac temporalibus suscipiat incrementa.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo septimo, die septima mensis Martii, Pontificatus Nostri Anno sexto.

1086 - 1087.

Romae, 26 . XII . 1928

Nicolaus Rusnak condecoratur titulo Praelati domestici.

SECRET. BREVIUM, Pius XI, December 1928, pars utraque, n.n.

Dilecto filio Nicolao Rusznak, Sacerdoti.

PIUS PP. XI. Dilecte fili, salutem etc.

Eperiesensium Ruthenorum Administrator Apostolicus Nos edocet te, in regenda Dioecesi a pluribus annis Vicarium Generalem, sollertiae ac studii religiosi in rebus provehendis luculenter dedisse testimonia, ac praeterea editis quoque sub praelo scriptis, professoris munere in Dioecesis Seminario

laudabiliter fungi⁷³. Volentes igitur eiusdem Episcopi vota benigne excipere, teque peculiari benevolentiae Nostrae significatione prosequi, hisce te litteris Apostolicis auctoritate Nostra Antistitem Urbanum ... (ut infra sub data 15.XII. 1932) quibuslibet.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die XXVI m. Decembris An. MCMXXVIII, Pontificatus Nostri septimo.

De speciali SS.mi mandato

P. C. GASPARRI

Simile sub data 22 . VII . 1928 pro Ioanne Korotnoki, ex Dioecesi Eperiensensi.

1088.

Romae, 20 . V . 1929

Provisio Ecclesiae tit. Abydenae in persona Basilii Ladyka, Basiliani, nominati Exarchae pro fidelibus Ritus Orientalis in Canada.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 63-29, vol. XL, nr. 34.

PIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI. Dilecto filio Basilio Ladika⁷⁴, Ordinis S. Basilii Magni, Rutheni ritus Presbytero, electo Episcopo titulari Abydeno et Ordinario Ruthenorum in regione Canadensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Commissum Romano Pontifici ab aeterno Pastorum Principe officium paciscendi, regendi et gubernandi universalem Ecclesiam onus illi imponit omni studio aeternam procurandi salutem fidelium quoque cuiusvis ritus in aliena regione degentium. Hoc motus consilio s. m. Pius Papa Decimus, Praedecessor Noster, Apostolicis litteris « *Officium supremi Apostolatus* », die quintodecimo Julii anno millesimo nongentesimo duodecimo datis, spiritualem curam

⁷³ Nicolaus Rusnak, sacerdos Eparchiae Prjasivensis et Capituli Prjašivensis Lector seu Archidiaconus. Natus an. 1878, die 30 Apr., in Sopovce; ordinatus die 26.VIII.1900. Anno 1902 Vicerector Seminarii et dein Director spiritualis. Ab anno 1902 professor theologiae moralis et pastoralis, nec non dogmaticae usque ad an. 1936. Ab anno 1906 Adessor, an. 1915 Canonicus iunior, et dein Lector Capituli. Ab anno 1918 usque ad an. 1922 (20.II) Vicarius Generalis Eparchiae, quam administrabat solus, et post an. 1922 ad annum 1927 simul cum Administratore Ap., Dionysio Nyaradi. Deinde plura alia obibat munera. Multa scripsit de rebus liturgicis, et theologicis praesertim. Doctor in S. Theologia ab an. 1901, Doctor Collegiatus ab an. 1914 in Collegio Facultatis Theologiae Regiae Scientiarum Universitatis Budapestensis, ab anno vero 1936 nominatus Professor theologiae dogmaticae in Universitate Bratislaviensi. Plenus annis et meritis vitae suae opus ab inimicis nominis catholici destructum videre Deus inscrutabili sua voluntate ei permisit. Cfr. *Schematismus Dioeceseos Prešovensis*. an. 1944, p. 147-148.

Joannes Korotnoki, de quo infra, qui hoc eodem anno eodem titulo condecoratus est, erat Canonicus Prjasivensis (1916-1931). Obiit, ut videtur, iam anno 1931. Cfr. *Schematismus dioeceseos Prešovensis*, an. 1944, p. 18.

⁷⁴ Basilius Ladika, Basilianus. Natus die 2.VIII.1888 in Drohobyč, in Eparchia Pere-myshliensi, in Ordinem Basilianorum admissus die 1.VIII.1903, et 28.VIII.1909 profectus est in regionem Canadensem, ubi, studiis theologicis absolutis, ordinatus est sacerdos die 4.VIII.1912. Dein varia obibat officia et munera in Ordine et in Missione. Tandem anno 1929, die 20.V, electus est ad Sedem tit. Abydensensem, et nominatus Exarcha pro fidelibus Ritus Orientalis in regione Canadensi. Consecratus die 14.VII.1929; preconisatus ad Sedem tit. Archiepiscopalem Martyropolitanam die 21.VI.1948, et nominatus Exarcha Exarchatus Manitobensis.

Ruthenorum in Canadensi Regione commorantium rutheni ritus Episcopo commitendam statuit. Cum itaque Ordinariatus huiusmodi per Venerabilis fratris Nicetae Budka, Episcopi titularis Patarensis, renunciationem, a Nobis admissam, in praesens vacans existat, Nos, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, te, qui plures iam annos sacerdotali ministerio pro fidelibus tui ritus in Canadensi regione degentibus diligenter fungeris, in Ordinarium pro iisdem fidelibus Apostolica auctoritate constituimus et deputamus, teque ad titularem Ecclesiam Episcopalem Abydenam, sub Archiepiscopo Cyziceno, per b. m. Stefani Faugier obitum in praesens vacantem, eligimus eiusque tibi titulum conferimus cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus pastoralis huic officio inhaerentibus, et servatis normis in praefatis Pii Papae Decimi litteris statutis. Volumus autem et mandamus ut, ceteris quoque impletis de iure servandis, antequam consecrationem Episcopalem recipias, in manibus alicuius, quem malueris, catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, fidei catholicae professionem pro Orientalibus praescriptam emittere et sueta iuramenta praestare iuxta statutas formulas, harumque exemplaria, tui et praefati Antistitis subscriptione ac sigillo munita, Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali quamprimum transmittere omnino tenearis. Ad hoc Antistiti a te electo professionem ac iuramenta illa nostro et Romanae Ecclesiae nomine recipiendi munus et mandatum per praesentes committimus.

In tuam insuper majorem commoditatem prospicientes, tibi facultatem libenter concedimus episcopalem consecrationem extra Urbem recipiendi ab aliquo, quem malueris, catholico Rutheni ritus Antistite, assistantibus ei duobus aliis catholicis Episcopis, dummodo gratiam ipsi habeant et communionem Apostolicae Sedis. Stricte vero praecipimus ut, nisi prius, ut supra diximus, fidei professionem ac sueta iuramenta emiseris, nec tu consecrationem ipsam recipere audeas nec eam tibi impertiatur Antistes a te electus, sub poenis, si huic Nostro praecepto contravereris, a iure statutis.

Dilectos autem filios Ruthenos in Canadensi Regione commorantes hortamur et obligatione adstringimus ut te, suum Ordinarium electum, tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote recipientes ac debito honore prosequentes salubribus tuis monitis et mandatis oboedientiam praestent ac reverentiam, ita ut tu in eis devotionis filios, ipsi vero in te patrem benevoluntatis invenisse gaudeatis.

Volumus denique ut tui ipsius cura hae litterae Nostrae in urbe « Winnipeg » publice in ecclesia fidelibus tui ritus perlegantur, cum primus advenerit dies festus, a populo de praecepto recolendus. Firmam autem spem fiduciamque concipimus fore ut, dextera Domini tibi assistente propitia, Rutheni tuis curis commissi per tuam pastorem industriam et studium fructuosum regantur utiliter ac ipsorum religio magis magisque in dies incrementa suscipiat.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo nono, die vigesima mensis Maii, Pontificatus Nostri Anno octavo.

(*signatus*) Fr. Andreas Card. Frühwirth, Cancellarius S. R. E.

(*signatus*) Can. Alfridus Liberati, Canc. Apost. Adjutor a studiis.

Alfonsus Carinci, Proton. Apostol. - Dominicus Spolverini, Prot.

Apostol. - Angelus Pericoli, Scriptor Apostol.

Expedita die octavo mensis Junii anno octavo. Alfridus Marini, Plumbator.

1089.

Romae, 17 . IX . 1929

*Joannes Bučko, ad Sedem tit. Cadoënam promotus, designantur Auxiliaris
Metropolitae Leopoliensis.*

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 103-29, vol. XL, nr. 72 b.
ARCH. S. C. PRO ECCL. ORIENT., *Bolle e brevi*, vol. I, p. 82-84.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Jonni Buczko⁷⁵, Presbytero ritus rutheni Archidioecesis Leopoliensis, electo Episcopo titulari Cadoëno, salutem et Apostolicam benedictionem.

Supremum Apostolatus officium Nobis ab aeterno Pastorum Principe commissum, quo universo christiano orbi praesidemus, Nos impellit ut curemus ne memoria pereat illarum Ecclesiarum, quae virtutum splendore ac religionis prosperitate olim floruerunt, etsi modo temporum vicissitudine et iniuria pristinam amiserint fulgentem gloriam. Cum itaque titularis Ecclesia episcopalis Cadoëna sub Metropolitana Ecclesia titulari Hierapolitana in Phrygia Pacatiana secunda certo modo in praesens vacans existat, Nos, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, te, Rectorem Seminarii minoris Leopoliensis Archidioecesis rutheni ritus, ad eam Apostolica auctoritate eligimus eiusque tibi titulum conferimus cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus sublimi huic dignitati inhaerentibus.

Tu insuper, ita episcopali caractere actum, Venerabili fratri Andreae Szeptyckyj, hodierno Archiepiscopo Leopoliensi Ruthenorum, de ipsorum Cardinalium consilio, eademque Apostolica auctoritate Auxiliarem constituimus ac deputamus, ut in pontificalibus exercendis aliisque pastoralibus muneribus obeundis ipsi adiumentum praestes, ita tamen ut haec non nisi de eiusdem Andreae Archiepiscopi consensu et licentia, in civitate et Archidioecesi Leopoliensi Ruthenorum obire possis.

Volumus autem et mandamus ut, ceteris quoque impletis de iure servan-

⁷⁵ Joannes Bučko, sacerdos ucrainus ex Eparchia Leopoliensi. Natus die 1.X.1891 in Hermaniv, in Eparchia Leopoliensi, in Ucraina Occidentali. Dein alumnus romanus. Anno 1915, 21 Februarii, ordinatus sacerdos. Post brevem activitatem pastorem, anno 1921 studia theologica laurea theologali absolvit, et in patriam reversus, Leopoli varia obibat munera, praesertim vero Rectoris minoris Seminarii, eius cura et opera erecti et promoti. Dein die 17.IX.1929 electus ad Sedem tit. Cadoënam cum officio Auxiliaris Metropolitae Leopoliensis, Andreae Szeptyckyj. Consecratus Episcopus die 20.X.1929, Romae, tempore conferentiae episcopalis totius Hierarchiae ucrainae. Post fructuosam activitatem pontificalem et pastorem in Archieparchia Leopoliensi, anno 1939 nominatus Visitator Apostolicus fidelium Ritus Orientalis in Brasilia et Argentina. Visitatione absoluta, eventibus bellicis in patriam reditus ei praecclusus fuit. Proinde contulit se in Status Foederatos Americae Septentrionalis, ubi in Exarchatu Philadelphensi brevem sed eminentem praestitit operam pontificalem et pastorem. Tandem anno 1941 Roman venit et S.C. pro Ecclesia Orientali utilem praestabat operam. Bello universali absoluto exulum ucrainorum suscepit curam et protectionem, ut Visitator Apostolicus pro ucrainis in Europa Occidentali. Hic opus fere providentiale exegit posteritatisque gratitudinem et memoriam sibi comparando perennem. Tandem anno 1951 nominatus Comes Romanus et Solio Pontificio Episcopus Adsisitens. Die vero 4.V.1953 promotus est ad Sedem Archiepiscopalem Leucadensem. Praesentis Collectionis Maecenas et promotor, immo fundator, adiutantibus ucrainis apud externos degentibus, suae curae pastoralis concreditis. Haec etiam ratione opus exigit «acre perennis», quod semper erit in memoria apud eos, qui rebus studebunt historicis Ecclesiae populique ucraini.

dis, antequam episcopalem consecrationem recipias, in manibus eiusdem praefati Archiepiscopi Leopoliensis, seu, ipso impedito, cuiuscumque quem malueris catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, fidei catholicae professionem et sueta iuramenta emittere, tum iuxta formulas pro universis catholicis Episcopis statutas, tum iuxta peculiarem formulam ab Apostolica Sede Orientalibus praescriptam, harumque formularum exemplaria, tui dictique Archiepiscopi seu Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali infra sex menses transmittersse omnino tenearis.

In tuam insuper maiorem commoditatem prospicientes, tibi indulgemus ut episcopalem consecrationem extra Urbem recipere valeas, ac propterea venerabili fratri Archiepiscopo Leopoliensi Ruthenorum facultatem concedimus, ut tibi consecrationis munus vel per se vel per alium Episcopum tui ritus a se delegandum libere et licite conferat, adsistentibus ipsi duobus aliis catholicis Episcopis sive rutheni ritus, sive, his deficientibus, aliis cuiusvis ritus, dummodo vero ipsi gratiam et communionem habeant cum Apostolica Sede.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus fore ut dextera Domini tibi assistente propitia, Leopoliensis Ecclesia Ruthenorum per tuam cum ipsius Archiepiscopo assiduam cooperationem tuumque studium fructuosum prospera in dies in spiritualibus ac temporalibus incrementa suscipiat.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo nono, die decima septima mensis Septembris, Pontificatus Nostri Anno octavo. A. S..

Fr. Andreas Card. Frühwirth, Cancellarius S. R. E.

Can. Alfridus Liberati, Canc. Ap. Adiutor a studiis.

Joseph Wilpert, Dec. Prot. ap. - Dominicus Jorio, Prot. ap.

Expedita die trigesima mensis Septembris, Anno octavo.

Alfridus Marini, Plumator.

Dominicus Francini Script. Apostolicus.

1090.

Romae, 24 . XI . 1929

Provisio Ecclesiae tit. Adadensis in persona Joannis Latyševskyj, deputati in Auxiliarem Episcopi Stanislaopolitani.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 118-29, vol. XLI, nr. 16.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Joanni Latyszewsky⁷⁶, Presbytero rutheni ritus dioecesis Stanislaopolitanae et Capituli eiusdem dioe-

⁷⁶ Joannes Latyševskyj, sacerdos Eparchiae Stanislaopolitanae, et Canonicus eiusdem Eparchiae. Natus die 17.X.1879 in Bohorodčany, in Eparchia Stanislaopolitana, tunc Leopoliensi, in Ucraina Occidentali; ordinatus sacerdos die 20.X.1907, electus ad Sedem tit. Adadensem die 24.XI.1929, consecratus Episcopus die 26.I.1930. Anno 1945 ab inimicis nominis christiani et catholici in carcerem detrusus, et manu violenta eandem ob causam hucusque in custodia detentus. Christi confessor par Coadiuto, Gregorio Chomyšyn (1904-1946).

cesis Canonico, in Episcopum titularem Adadensesm electo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Pro supremi Apostolatus officio Nobis ab aeterno Pastorum Principe commisso, quo universo christiano orbi praesidemus, curare debemus ut Sacrorum Antistites iustis de causis habeant aliquando Auxiliares Episcopos, qui in pontificalibus exercendis aliisque pastoralibus muneribus obeundis validum sibi praebeant adiuventum. Hisce vero Episcopis Romanus Pontifex titulum aliquem conferre solet illarum Ecclesiarum, ne earum memoria pereat, quae virtutum splendore et religionis prosperitate olim floruerunt, et modo temporum vicissitudine et iniuria pristinam amiserint fulgentem gloriam.

Volentes itaque Nos Venerabilem fratrem Gregorium Chomyszyn, hodiernum Episcopum Stanislapolitanum Ruthenorum, idoneo coadiutore donare, te, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, in eius Auxiliarem Apostolica auctoritate deputamus et constituimus, ut de ipsius licentia munera omnia pastoralia in civitate et dioecesi Stanislapolitana obire possis et valeas.

Te igitur ad titularem Ecclesiam Episcopalem Adadensem, titulari Ecclesiae Metropolitanae Antiochenae etc. per promotionem Venerabilis fratris Alexandri Guidato ad Metropolitanam Ecclesiam Naxiensem, etc. de ipsorum Cardinalium consilio eademque Apostolica auctoritate eligimus eiusque tibi titulum conferimus cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus sublimi huic dignitati inhaerentibus.

Volumus autem et mandamus ut, ceteris quoque impletis de iure servandis etc. fidei catholicae professionem et sueta iuramenta emittere omnino tenearis. Ad hoc Antistiti a te electo professionem ac iuramenta illa Nostro et Romanae Ecclesiae nomine recipiendi munus ac mandatum per praesentes committimus.

In tuam insuper maiorem commoditatem prospicientes, tibi concedimus facultatem episcopalem consecrationem extra Urbem recipiendi a quolibet catholico tui ritus Antistite, assistantibus ei duobus aliis catholicis Episcopis, dummodo gratiam ipsi habeant et communionem Sedis Apostolicae. Volumus tamen ut, nisi prius quae supra diximus, fidei professionem et iuramenta emisericis, nec tu consecrationem ipsam recipere audeas, nec eam tibi imperiatur Antistes a te electus sub poenis, si huic Nostro praecepto contraveneritis, a iure statutis.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus fore etc. incrementa suscipiat.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo vigesimo nono, die vigesimaquarta mensis Novembris, Pontificatus Nostri Anno octavo.

Can. Alfridius Liberati, Adiutor a studiis

1091.

*Romae, 16 . I . 1931**Provisio Ecclesiae Lebediensis in persona Nicolai Czarneckyj.*

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 9-31, vol. XLIII, nr. 38.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Nicolao Czarneckij⁷⁷, Presbytero ritus byzantini-slavici, e Congregatione Sanctissimi Redemptoris, electo Episcopo titulari Lebediensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Commissum humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum Principe supremi Apostolatus officium, quo universi christiano orbi praesidemus, Nos impellit ut curemus ne memoria pereat illarum Ecclesiarum, quae virtutum splendore et religionis prosperitate olim floruerunt, etsi modo temporum vicissitudine et iniuria pristinam amiserint fulgentem gloriam.

Cum itaque titularis Ecclesia episcopalis Lebediensis, Metropolitanae Ecclesiae Ephesinae suffraganea, per translationem Venerabilis fratris Augustini Pacha ad Cathedralem Ecclesiam Timisoarensis, in praesens vacans existat, volentes Nos te ob praeclaras tui animi ingeniique dotes episcopali characterem et dignitate decorare, ad eam, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, te suprema auctoritate Nostra eligimus eiusque tibi titulum conferimus cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus sublimi huic dignitati inhaerentibus.

Tibi autem facultatem libenter concedimus ut, praemissis prius a te iuxta formulas pro orientalibus praescriptas fidei catholicae professione ac suetis iuramentis, chirotoniam episcopalem recipere possis ac valeas a quocumque, quem malueris, tui byzantini-slavici ritus Episcopo, assistentibus ei duobus aliis catholicis Episcopis eiusdem, si fieri possit, ritus, dummodo gratiam ipsi habeant et communionem Sedis Apostolicae.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus fore ut, dextera Domini tibi assistente propitia, tu, ita episcopali auctus dignitate, in bonum potissimum Ecclesiae Orientalis tanto studio adhuc adlabores, ut a Domino perennis vitae praemium et a Nobis benedictionem et gratiam valeas promereri.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo primo, die decima sexta mensis Ianuarii, Pontificatus Nostri Anno nono.

Bullas subscripserunt: D.nus Cancellarius

A. Carinci, Hector Castelli, A. Liberati.

Exp. die XXXIV Ianuarii, Anno nono.

A. Marini.

⁷⁷ Nicolaus Czarneckyj, ex Congregatione SS. Redemptoris. Natus die 14.XII.1884 in Semakivei, Eparchiae Stanislao-politanae, in Ucraina Occidentali; ordinatus sacerdos die 2.X.1909; electus ad Sedem titularem Lebediensem die 16.I.1931, et ordinatus Episcopus die 2.II.1931; Ei commissa erat cura fidelium Ritus Byzantini-slavi in Volhynia, et Polissja praesertim, vel in genere extra Provinciam ecclesiasticam Leopoliensem. Anno 1945 in carcerem detrusus et ad detentionem in loco custodiae condemnatus, vitam vivit Confessoris, pro nomine catholico persecutionem passus.

1092.

Romae, 3 . V . 1932

Provisio Ecclesiae Munkacsiensis in Ucraina Carpatica in persona Alexandri Stojka.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 36-32, vol. XLV, nr. 53.

PIUS EPISCOPIS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Alexandro Stoyka⁷⁸, rutheni ritus Presbytero, Vicario Capitulari Munkacsiensis Ruthenorum Dioecesis, in eiusdem Dioecesis Episcopum electo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Supremi Apostolatus officium, quo universo christiano orbi praesidemus, onus Nobis imponit diligentissime curandi ut Ecclesiis omnibus tales constituentur Praesules, qui sibi creditum dominicum gregem salubriter pascere, regere et gubernare sciant ac valeant. Cum itaque cathedralis Ecclesia Munkacsiensis Ruthenorum, Metropolitanae Ecclesiae Strigoniensi suffraganea per b. m. Petri Gebej Episcopi obitum suo sit in praesens Pastore destituta, Nos, de Venerabilium fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium consilio, te ad eam suprema Nostra auctoritate eligimus eique in Episcopum praeficimus et Pastorem; nec non eiusdem Ecclesiae curam, regimen et administrationem pro fidelibus tantum et paroeciis Rutheni ritus intra fines Czeoslocachicae Reipublicae exstantibus tibi in spiritualibus ac temporalibus plenarie committimus cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus pastoralibus huic officio inhaerentibus.

Volumus itaque ut paroeciae et fideles rutheni ritus, intra fines Hungaricae ditionis exstantes, a tua iurisdictione subtractae, Venerabilis fratris Antonii Papp, Archiepiscopi Cyzicensis, tamquam Administratoris Apostolici, iurisdictioni et curae concreditaе ut antea maneat.

Volumus insuper et mandamus ut, etiam ceteris impletis de iure servandis, antequam tu consecrationem episcopalem recipias, in manibus alicuius, quem malueris, catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, catholicae fidei professionem ac sueta iuramenta praestare iuxta formulas pro orientalibus praescriptas, harumque exemplaria, tui dictique Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali infra sex menses transmittere omnino tenearis. Ad hoc Antistiti a te electo professionem ac iuramenta illa Nostro et Romanae Ecclesiae nomine recipiendi munus ac mandatum per praesentes committimus.

In tuam insuper commoditatem respicientes, facultatem tibi concedimus episcopalem consecrationem extra Urbem libere et licite recipiendi a quocumque quem malueris catholico Antistite tui rutheni ritus, assistentibus ei duobus aliis, si fieri possit eiusdem ritus, catholicis Episcopis, dummodo vero habeant ipsi Sedis Apostolicae gratiam et communionem.

Stricte vero praecipimus etc. statutis.

Per praesentes autem Venerabilem fratrem Archiepiscopum Strigoniensem de hac tua electione certiores facimus ac in Domino hortamur, ut pro

⁷⁸ Alexander Stoyka, Episcopus Munkacsiensis (1932-1939). Natus in Karaciny, in Ucraina Carpatica, die 16.X.1890, electus hac die 3.V.1932. Obiit anno 1943, die 31 Maii.

Nostra et Sedis Apostolicae reverentia, te, electum Episcopum Suffraganeum suum, in fratrem recipiat, ac, zelo motus promovendi Dei gloriam et Ecclesiae bonum, sui favoris ope te prosequatur, et quod tu ab ipso implores auxilium praestare tibi non detrectet, ut, commissum tibi munus in maiorem tuae Ecclesiae prosperitatem facilius explere possis ac valeas.

Dilectis item filiis Capitulo Ecclesiae Cathedralis, Clero et populo Civitatis et Dioecesis Munkacsiensis Ruthenorum mandamus ut te, tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote recipientes ac debito honore prosequentes, salubribus tuis monitis ac mandatis obedientiam praestent ac reverentiam exhibeant, ut tu in eis devotionis filios, ipse vero in te patrem benevolam invenisse gaudeatis.

Volumus denique ut, tua ipsius cura et officio, hae litterae Nostrae publice perlegantur, tum in capitulari conventu, qui primus post eas acceptas habebitur, tum in ipsa ecclesia cathedrali ab ambone, cum primus advenerit dies festus a populo de praecepto recolendus.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus fore ut, dextera Domini tibi assistente propitia, Ecclesia Munkacsiensis Ruthenorum per tuam pastorem industriam et studium fructuosum regatur utiliter ac maiora in dies in spiritualibus incrementa suscipiat.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo secundo, die tertia mensis Maii, Pontificatus Nostri Anno undecimo.

(Sign.) Fr. Andreas Card. Frühwirth, Cancellarius S. R. Ecclesiae

(Sign.) Can. Alfridus Liberati, Canc. Apost. Adiutor a Studiis.

(Sign.) Alfonsus Carinci, Prot. Apost.

(Sign.) Dominicus Spolverini, Prot. Apost.

« Expedita » die decima tertia mensis Maii, Anno undecimo.

(Sign.) Alfridus Marini, Plumbator.

(Sign.) Dominicus Francini, Scriptor Apostolicus.

1093.

Romae, 12 . VII . 1932

Conceditur indulgentia plenaria pro Ecclesia parochiali in Verchovyna Bystra, in Ucraina Carpatica.

SECRET. BREVIUM, Pius XI, Diversorum 1932.

PIUS PP. XI. Ad perpetuam rei memoriam.

Munkacsiensis Ruthenorum dioecesis intra fines, Christifideles e ritu graeco-rutheno loci, quem « Verchovina bistra » nuncupant, magnis incommodis ac difficultatibus spretis aere proprio novum templum paroeciale, in honorem laudatorum Apostolorum Petri et Pauli Deo dicatum exaedificandum curarunt. Illius vero loci non modo, sed totius etiam regionis fideles magna devotione Sanctos Apostolos venerantur, ac die festo Sanctorum Petri et Pauli, qui secundum vetus Kalendarium die XII m. Julii celebratur, frequentes paroeciale templum praefatum pie ac devote visitant. Idcirco cum Vicarius Capitularis dioecesis Munkacsiensis Ruthenorum a Nobis efflagita-

verit ut, die festo Sanctorum Apostolorum Petri ac Pauli, praedictam ecclesiam paroecialem plenaria indulgentia decorare velimus, Nos bonum spirituale Christifidelium fovendum Ecclesiae thesauris iugiter intenti, huiusmodi piis optatis quam libenter annuendum censuimus.

Quare, audito etiam dilecto filio nostro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinali a Secretis Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali, auctoritate Apostolica nostra, deque omnipotentis Dei misericordia atque eius Apostolorum Beatorum Petri et Pauli auctoritate confisi, omnibus et singulis utriusque sexus Christifidelibus qui vere poenitentes et confessi ac Sacra Communionem refecti, praefatum templum paroeciale loci « Verhovina bistra » nuncupati, die festo laudatorum Apostolorum Petri et Pauli, iuxta vetus Ruthenorum Kalendarium, id est die XII m. Julii, quotannis devote visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum exstirpatione, peccatorum conversione, Sanctae Matris Ecclesiae exaltatione, pro fidei sanctae propagatione atque iuxta Nostram vel Summi Pontificis pro tempore existentis intentionem pias ad Deum preces effuderint, *plenariam indulgentiam* misericorditer in Domino concedimus. Quam indulgentiam etiam animabus fidelium in Purgatorio detentis per modum suffragii applicari posse indulgemus.

Non obstantibus contrariis quibuscumque. Praesentibus perpetuis futuris temporibus valituris.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XII m. Julii, An. MCMXXXII, Pontificatus Nostri decimo.

De Speciali SS.mi mandato
E. Card Pacelli (m. p.)

1094.

Romae, 15 . XII . 1932

Basilius Hadzega, ex Eparchia Munkacsiensis, Praelatus nominatur domesticus.

SECRET. BREVIUM, *Pius XI, December 1932, pars utraque, p. 210-215.*

Dilecto filio Basilio Hadzega, Sacerdoti⁷⁹.

PIUS PP. XI. Dilecte fili, salutem et Apostolicam benedictionem.

Venerabilis frater Munkacsiensium Ruthenorum Episcopus Nos edocet te, Archipresbyterum Capituli Cathedralis, ob virtutes, quibus enites, in exemplum adducendum esse, rogatque propterea ipse Praesul, ut te inter Praelatos Nostros domesticos cooptare velimus. Huiusmodi itaque votis benigne concedentes, ut promerita tua debito rependamus praemio, quod sit etiam Nostrae erga te benevolentiae pignus, hisce te litteris Apostolicis auctoritate Nostrae Antistitem Urbanum id est Praelatum Nostrum Domesticum eligimus, facimus, ac renuntiamus. Tibi proinde, dilecte fili, concedimus, ut

⁷⁹ Basilius Hadzega, sacerdos et Canonicus Eparchiae Munkacsiensis. Natus anno 1864, historiographus Ucrainae Carpathicae, eius nempe Ecclesiae et eius culturae spiritualis. Socius Societatis Scientifcae tit. Tarasii Sevcenko.

violaceas vestes induere atque etiam in Romana Curia lineum amiculum mannicatum, quod Rochetum vocant, gestare licite possis ac valeas; itemque utaris, fruaris singulis quibuscumque honoribus, privilegiis, praerogativis, indulgentiis, quibus alii ecclesiastici viri hac dignitate aucti utuntur, fruuntur vel uti, frui, possunt ac poterunt. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XV m. Decembris MCMXXXII, Pontificatus Nostri undecimo.

De Speciali SS.mi mandato
E. Card Pacelli (m. p.)

1095.

Romae, 15 . XII . 1932

Praelatus domesticus nominatur Canonicus Munkacsiensis Julius Sztankay.

SECRET. BREVIUM, *Pius XI, December 1932, pars utraque, fol. 211rv.*

Dilecto filio Julio Sztankay, Sacerdoti.

PIUS PP. XI. Dilecte fili, salutem etc.

Te Canonicum in Ecclesia sua Cathedrali Nobis commendat Venerabilis frater Munkacsiensium Ruthenorum Episcopus ob tuam largitatem erga Opera atque Instituta Dioecesis. Tibi propterea, votis ipsius Praesulis benigne adnuentes, ultro libenterque conspicuam honoris dignitatem deferimus, quae sit benevolentiae erga te Nostrae publico testimonio, tuisque promeritis debito praemio. Quare hisce te litteris... (*ut supra pro Basilio Hadzega*) quibuslibet.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris, die XV m. Decembris, An. MCMXXXII, Pontificatus Nostri undecimo.

De Speciali SS.mi mandato
E. Card Pacelli (m. p.)





Ex imagine luce impressa a G. Felici
Romae

PIUS XII
(2,12.III.1939)

romanus
(Eugenius Pacelli)

DOCUMENTA PII PP. XII

1096.

Romae, 18 . V . 1939

Andreas Szeptyckyj honore Assistentis Solio Pontificio condecoratur.

SECRET. BREVIUM, *Pius XI, Maius* 1939, n.n.

Venerabili fratri Andreae Szeptyckyj,
Leopoliensi Ruthenorum Archiepiscopo.⁸⁰

PIUS PP. XII. Venerabilis frater, salutem etc.

Cum Romani Pontificis mos atque institutum sit praeclara in Ecclesiam merita quam maxime remunerari, ita tibi, Ven. frater, qui in episcopali munere quadraginta fere annos obeundo eximias tibi laudes comparasti, gratum animum Nostrum publice significandum ultro libenterque censemus. Quare auctoritate Nostra Apostolica, harum litterarum vi, te privilegiis atque honoribus Archiepiscoporum Pontificio solio adsistentium afficimus. Te propterea, Venerabilis frater, inter Paelatos domesticos Nostros adnumeramus, ac Nobilem te eadem auctoritate Nostra creantes, titulum quoque Comitum ad personam tibi tribuimus. Commoditati autem et spirituali etiam utilitati tuae prospicientes ita privilegium Oratorii privati concedimus tibi, ut licite queas in Catholicorum suae vel alienae dioecesis domibus, quae Apostolica auctoritate sacelli domestici indulto fruuntur et in quibus non hospiteris (si enim ibi exceptus eris hospitio, id ex iure communi legitime perages), Missam cotidie celebrare, alteramque in tua praesentia iubere, praesertim in Sacrificii per te peracti gratiarum actione, quin ullum ibidem eiusmodi indultis damnum obvenire existimetur; quae aliaque Missa singulis inhabitantibus domum tuisque familiaribus implendo festis quibusque diebus ecclesiastico Missam audiendi praecepto suffragetur.

Facultatem tibi praeterea facimus in Pontificiis Cappellis locum obtinendi Antistitibus Nostris solio Adsistentibus reservatum.

Porro statuimus ut huius in te conlatae dignitatis notitia ad Acta Collegii Archiepiscoporum Pontificio Solio adstantium ex officio transcribatur. Contrariis non obstantibus quibuslibet.

Datum Romae apud S. Petrum, sub Anulo Piscatoris, die XVIII m. Maii, An. MCMXXXIX, Pontificatus Nostri primo.

⁸⁰ Cfr. supra, in pagina 487, sub nr. 1028, nota 131.

1097.

Romae, 25 . XI . 1939

Provisio Ecclesiae tit. Serrensis in persona Josephi Slipyj, cum deputatione in Coadiutorem Metropolitae Leopoliensis cum futura successione.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 47/42, vol. LXXVI, nr. 26.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Joseph Slipyi,⁸¹ Capituli Metropolitanani Leopoliensis Ruthenorum Archidiacono et Dioecesani Seminarii Theologici Rectori, in Archiepiscopum titularem Serrensem et Coadiutorem cum futurae successionis iure hodierni Metropolitanae Archiepiscopi Leopoliensis Ruthenorum electo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Commissum humilitati Nostrae ad aeterno Pastorum Principe supremi Apostolatus officium, quo universo christiano orbi praesidemus, onus Nobis imponit diligentissime curandi, ut ad quamlibet Ecclesiam, sive suo viduatam Pastore, sive suo quidem Praesule provisam, qui tamen in suo obeundo munere, ob iustas causas, auxilio prorsus egeat, talis praeficiatur Antistes, qui sibi creditum dominicum gregem salubriter pascere, regere et gubernare sciat ac valeat.

Cum itaque Venerabilis frater Andreas Szeptycky, Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum et Ecclesiae Ruthenorum Metropolita,⁸² times ne sua Ecclesia, e vivis inopinate sublato vel propter tristitiam temporum sua sede depulso Pastore,⁸³ viduata maneat, a Nobis enixe expostulaverit ut te sibi Coadiutorem cum futurae successionis iure constituamus, Nos, dilectione qua flagramus erga Ruthenorum Ecclesiam, considerantes difficilium ob novissima rerum adiuncta in posterum fore ut Sancta Sedes de negotiis ecclesiastici cum Rutheno Episcopatu libere agat, et cupientes propterea eiusdem Ecclesiae regimini ex nunc providere, oblatis precibus, cum dilecto filio Nostro Eugenio S.R.E. Cardinale Tisserant,⁸⁴ S. Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis consilio collato, annuendum censuimus.

⁸¹ Josephus Slipyj, natus in Zazdrist, in Archieparchia Leopoliensi, die 17.II.1892; sacerdos ordinatus die 30.IX.1917. Dein post alia munia archieparchialia officium Rectoris Seminarii Leopoliensis obibat simulque labores Societatis Scientificaе Theologicae Leopoliensis efficaciter dirigebat. Postea nominatus Canonicus et Archidiaconus Capituli Metropolitanani Leopoliensis et demum, caelo nubibus obvoluto periculisque imminentibus Leopoliensi Archieparchiae et Ecclesiae Catholicae Ucrainae ob furorem Dei osorum, electus est a Metropolita Andrea Szeptycky Coadiutor cum futura successione. Obtentio titulo Ecclesiae archiepiscopalis titularis Serrensis die 25.XI.1939 consecratus est in Episcopum die 22.XII.1939. Coadiuto, die 1.XI.1944 defuncto, iure successionis successit. Sed mox ab inimicis nominis catholici in carcerem detrusus, vitam Christi Domini Confessoris intrepide ducit, quousque Domino Deo eiusque inperscrutabili providentiae placebit.

⁸² Cfr. supra, in pagina 487, sub nr. 1028, nota 131.

⁸³ Agitur de prima occupatione terrarum Ucrainae occidentalium ab exercitu s.d. Unionis Sovieticae, quae religioni in genere adversa erat, quam in Europa orientali destruere conabatur ab anno 1918. Inde etiam Ecclesiae catholicae Ucrainae timendum erat ne furori eiusdem exponatur. De futuro Metropolitae successore providendum erat quam primum, quod etiam utile sat erat ob aetatem et valetudinem Metropolitanae Andreae Szeptycky.

⁸⁴ Eugenius Tisserant, Cardinalis S. R. Ecclesiae et Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis. Natus in Nancy die 24.III.1884, sacerdos ordinatus die 4.VIII.1907. Anno 1936, die 15 Junii creatus Cardinalis. Electus deinde ad Ecclesiam tit. Iconiensem die 25.VI.1937 et consecratus Episcopus die 25.VII.1937. Postea Episcopus Portus et Sanctae Rufinae et demum etiam Ostiensis et Collegii Cardinalum Decanus.

Apostolicae igitur Nostrae potestatis plenitudine te eidem Andreae Archiepiscopo et Metropolitae, quoad vixerit et suae Ecclesiae praefuerit, Coadiutorem in eiusdem Ecclesiae Leopoliensis Ruthenorum, cui adnexus est titulus Ecclesiae Haliciensis et Ecclesiae Camenecensis Ruthenorum, regimine et administratione tum in spiritualibus, tum in temporalibus cum futurae ad illam successionis iure Apostolica auctoritate renunciamus et constituimus, cum omnibus facultatibus et potestatibus, oneribus et obligationibus ad huiusmodi Coadiutores iure spectantibus.

Ut vero tu, Coadiutoris officio etiam durante, pontificalia exercere ceteraque pastoralia munera in urbe ac tota archidioecesi Leopoliensi Ruthenorum obire possit, te, de praefati Cardinalis consilio, eademque auctoritate Nostra ad Ecclesiam archiepiscopalem Serrensem in Macedonia, per b. m. Frediani Giannini Archiepiscopi obitum in praesenti vacantem, eligimus eiusque tibi titulum assignamus cum omnibus pariter iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus sublimi huic dignitati inhaerentibus.

Praefatae autem Leopoliensis Ruthenorum Ecclesiae ob quamcumque causam vacante, iam ex nunc de tua persona provisum teque illi Archiepiscopum praefectum esse et Pastorem, nec non Ruthenorum Metropolitam decernimus, cauto tantum ut tunc eo ipso vacat titularis Ecclesia Serrensis, tibi modo collata.

Volumus vero ut tu, antequam episcopalem consecrationem recipias et Coadiutoris officii tibi modo commissi canonicam capias possessionem, in manibus vel hodierni Ruthenorum Metropolitae, vel Episcopi cuiusvis ritus ab eo delegati, fidei catholicae professionem et sueta iuramenta, iuxta formulas pro Orientalibus praescriptas emittere harumque exemplaria, tui dictique Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali quantocius transmittere omnino tenearis.

Praesentis autem temporis adiuncta prae oculis habentes, indulgemus ut Venerabilis frater Andreas Szeptycky, Archiepiscopus Leopoliensis Ruthenorum, vel, ipso impedito, alius Episcopus vel byzantini slavici, vel alius ritus, a se delegatus, episcopalem consecrationem tibi impertiatur, assistantibus ii duobus aliis Episcopis cuiusvis ritus, aut quatenus isti prorsus deficient, duobus Presbyteris in ecclesiastica dignitate vel officio constitutis. Stricte vero praecipimus ne episcopalis consecratio tibi conferatur nisi prius quae supra diximus fidei professionem et iuramenta emiseris.

Ut autem tu, Coadiutoris officio durante, episcopali dignitati aptius consulere queas, indulgemus ut archidiaconatus quem in Capitulo Metropolitanato Leopoliensi Ruthenorum in praesenti obtines, una cum titulari archiepiscopali Ecclesia Serrensi retinere possis, constitutionibus et ordinationibus Apostolicis ceterisque contrariis minime obstantibus.

Quum denique praesentis temporis adiuncta haud permittant quominus hae litterae Nostrae illico tibi mittantur, te tuumque Metropolitam de hac tua electione deque ceteris in iisdem litteris contentis certiores reddendos curabimus; mandamus vero ut litterae ipsae quam primum fieri possit sub plumbo sueta forma expendantur tibi que opportuno tempore tradantur.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus fore ut, dextera Domini tibi assistente propitia, Ecclesia Leopoliensis Ruthenorum per tuam pastorem sollicitudinem et indefessum studium, modo etiam te cum suo hodierno Archie-

piscopo assidue cooperante, regitur utiliter et maiora in dies in spiritualibus ac temporalibus suscipiat incrementa.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo trigesimo nono, die quinta et vigesima Novembris mensis, Pontificatus Nostri Anno primo.

1098.

Romae, 25 . XI . 1939

De eadem Coadiutoria certiorantur Episcopi Suffraganei Metropolitae Leopoliensis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 47/42, vol. LXVI, nr. 26.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Venerabilibus fratribus Episcopis Suffraganeis Metropolitanae Ecclesiae Leopoliensis Ruthenorum,⁸⁵ salutem et Apostolicam benedictionem.

Hodie Nos, cum dilecto filio Nostro Eugenio S.R.E. Cardinali Tisserant S. Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis collato consilio, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, dilectum filium Joseph Slipyi, Capituli Metropolitanus Leopoliensis Ruthenorum Archidiaconum et Dioecesani Seminarii Theologici Rectorem, ad vacantem archiepiscopalem Ecclesiam Serrensem elegimus eiusque illi titulum contulimus, simulque illum Venerabili fratri Andreae Szeptycky, Archiepiscopo Metropolitanae Ecclesiae Leopoliensis Ruthenorum, cui Cathedrales Ecclesiae vestrae sunt suffraganae, Coadiutorem, quoad iste vixerit et eidem Ecclesiae praefuerit, in ipsius Ecclesiae regimine et administratione, cum futurae ad illam successionis iure in spiritualibus ac temporalibus renunciavimus et constituimus cum omnibus facultatibus et potestatibus, oneribus et obligationibus pastoralis huic officio, ad iuris communis et Ecclesiae Ruthenorum normas inhaerentibus.

Quare Metropolitanae Leopoliensi Ruthenorum Ecclesiae iam ex nunc ob quamlibet causam vacanti, de eiusdem Joseph Antistitis persona provisum eumque illi Archiepiscopum praefectum esse decrevimus et declaravimus.

De quibus Fraternitates vestras Nostris hisce litteris certiores facimus, vobisque in Domino mandamus, ut eidem Joseph, futuro vestro Metropolitae, debitam iuxta sacros canones et Ecclesiae vestrae Ruthenorum normas obedientiam, Coadiutoris officio etiam durante, praestetis eique reverentiam exhibeatis, ita ut mutua inter Vos et ipsum gratia uberes in animarum bonum sortiatur affectus.

Datum Romae... (ut supra).

⁸⁵ Suffraganae Ecclesiae Metropolitae Leopoliensis erant Ecclesia episcopalis Peremysliensis (ab an. 1807) et Stanislavopolitana (ab anno 1885).

1099.

Romae, 25 . XI . 1939

De eadem re Capitulo, Clero, et populo Archieparchiae Leopoliensis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 47/42, vol. LXVI, nr. 26.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilectis filiis, Capitulo Metropolitano, Clero et populo Civitatis et Archidioecesis Leopoliensis Ruthenorum, salutem et Apostolicam benedictionem.

Hodie Nos, cum Venerabili fratre Eugenio S.R.E. Cardinale Tisserant S. Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis, consilio collato, deque Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, dilectum filium Joseph Slipyi, vestri Metropolitanus Capituli Archidiaconum et Dioecesani Seminarii Theologici Rectorem, ad vacantem archiepiscopalem Ecclesiam Serrensem elegimus eiusque illi titulum contulimus, simulque eum Venerabili fratri Andreae Szeptycky, Metropolitanae Ecclesiae vestrae Leopoliensis Ruthenorum Archiepiscopo, Coadiutorem, quoad iste vixerit et suae Ecclesiae praefuerit, in eiusdem Ecclesiae regimine et administratione, cum futurae ad illam successionis iure in spiritualibus ac temporalibus renunciemus et constituimus, cum omnibus facultatibus et potestatibus, oneribus et obligationibus pastorali huic officio ad iuris communis et Ecclesiae Ruthenorum normas inhaerentibus. Quare Archidioecesi vestrae ob quamlibet causam vacanti de eiusdem Joseph persona iam ex nunc provisum ipsumque illi Archiepiscopum praefectum esse decrevimus et declaravimus.

De quibus vos omnes hisce Nostris litteris certiores facimus vobisque in Domino mandamus, ut praefatum Joseph, futurum vestrum Archiepiscopum, tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum devote recipientes ac debito prosequentes honore, salubribus illius monitis ac mandatis obedientiam, Coadiutoris officio etiam durante, praestetis eique reverentiam exhibeatis ita ut ille vos devotionis filios et vos eum patrem benevolum invenisse gaudeatis.

Volumus autem ut, cura et officio Ordinarii, qui Ecclesiam vestram regit, hae litterae Nostrae publice perlegantur tum in capitulari conventu, qui primus post eas acceptas habebitur, tum in ecclesia Metropolitana, quum primus advenerit dies festus de praecepto recolendus.

Datum Romae... (ut supra).

1100 - 1101.

Romae, 19 . VII . 1940

Episcopus nunc tit. Harpasenus, Paulus Gojdič, promovetur ad Sedem residentialem Prjašivensem.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 96/40, vol. LXIII, nr. 67.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Venerabili fratri Paulo Petro Gojdič⁸⁶, hactenus Episcopo titulari Harpaseno, ritus byzanthini slavici, electo Episcopo Presovens, salutem et apostolicam benedictionem.

⁸⁶ Cfr. notam 72, ultimo positam, in pagina 548.

Commissum humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum supremi Apostolatus officium. quo universo christiano orbi praesidemus, onus Nobis imponit diligentissime curandi, ut Ecclesiis omnibus tales praeficiantur Antistites, qui sibi creditum dominicum gregem salubriter pascere, regere, et gubernare sciant ac valeant.

Volentes itaque Nos, de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium S. Congregationi pro Ecclesia Orientali praepositorum consilio, Cathedrali Ecclesiam Presovensem, Nobis et Sedi Apostolicae immediate subiectam, plures iam annos vacantem, proprio Pastore providere, simulque tibi, qui ab anno millesimo nongentesimo vigesimo sexto Dioecesim illam ut Administrator Apostolicus, laudabili prudentia ac sollertia hucusque rexisti, Nostrae benevolentiae signum praebere, te Ecclesiae illius Episcopum renunciare statuimus.

Apostolicae igitur Nostrae potestatis plenitudine te a vinculo episcopalis Ecclesiae Harpasenae, cuius titulum hucusque gessisti, absolvimus, atque ad quam memoravimus Ecclesiam Presovensem transferrimus eique Episcopum praeficimus et Pastorem, nec non eiusdem Ecclesiae curam, regimen, et administrationem tum in spiritualibus, tum in temporalibus tibi plenarie committimus cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus pastoralibus huic officio inhaerentibus et ad residentiales Episcopos pertinentibus.

Volumus autem, ut antequam caeteris quoque impletis etc. omnino tenearis.

Firmam autem spem fiduciamque etc. incrementa.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo, die decimanona mensis Iulii, Pontificatus Nostri Anno secundo.

* * *

PIUS EPISCOPUS etc. Dilectis filiis Clero et populo civitatis et dioecesis Presovensium, salutem etc.

Hodie Nos, de Venn. fratrum Nostrorum etc. ad Cathedrali Ecclesiam vestram Presovensem, plurimos iam annos proprio Episcopo destitutam, Ven. fratrem Paulum Petrum Gojdic, hactenus Episcopum titulare Harpasenum, qui eandem vestram dioecesim laudabili prudentia ac solertia, Administrator Apostolicus, iam ab anno millesimo nongentesimo vigesimo sexto regit, Apostolica Nostra auctoritate transtulimus eique Episcopum praefecimus et Pastorem, ipsumque propterea ab episcopalis Ecclesiae Harpasenae, cuius titulum hucusque gessit, vinculo absolvimus.

De qua re vos omnes Nostris hisce Litteris certiores facimus vobisque in Domino mandamus, ut eundem Paulum Petrum etc. invenisse gaudeatis.

Volumus autem ut, cura et officio ipsius Pauli Petri Episcopi, hae Litterae publice perlegantur etc. de praecepto recolendus.

Datum Romae (ut supra).

G. Stara Tedde, Ad. a Studdis (25-26 Luglio 1940)

(Solita adnotatio Cancellariae Apostolicae)

1102.

Romae, 9 . V . 1942

Provisio Ecclesiae Crisiensis in persona Joannis Šimrak.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot nr. 48/42, vol. 66, nr. 27.

Crisiensis Ruthenorum.

Electio Episcopi Eparchiae Crisiensis Ruthenorum.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Joanni Šimrak⁸⁷, Capituli Cathedralis Crisiensis Canonico et Custodi, hactenus Eparchiae Crisiensis Ruthenorum Administratori Apostolico, in eiusdem Eparchiae Episcopum electo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Commissum humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum Principe etc. (*ut sub data 25.XI.1939*) valeant.

Cum itaque Eparchia Crisiensis pro ritus byzantini fidelibus Metropolitanae Ecclesiae Zagrabiensi suffraganea per b.m. Dionysii Njaradi Episcopi obitum⁸⁸ suo sit in praesens destituta Pastore, Nos, cum dilecto filio Nostro Eugenio S.R.E. Cardinale Tisserant, S.C. pro Eccl. Orientali a Secretis consilio collato, te ad eam apostolica auctoritate eligimus eique Episcopum praeficimus et Pastorem, nec non eiusdem Ecclesiae etc. plenarie committimus, una cum omnibus iuribus etc. inhaerentibus.

Volumus vero ut, antequam episcopalem consecrationem recipias et Eparchiae tibi creditae canonicam capias possessionem, caeterisque impletis de iure servandis, in manibus alicuius quem malueris etc. transmittere omnino tenearis.

Attentis autem praesentis temporis adiunctis indulgemus ut episcopalem consecrationem recipere valeas a quovis catholico Antistite byzantini ritus, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habente, vel si iste desit, a quocumque alio catholico cuiusvis ritus Antistite, assistentibus ei duobus aliis catholicis cuiuslibet ritus Episcopis, dummodo eandem gratiam ipsi habeant et communionem cum Apostolica Sede. Venerabili itaque fratri Antistiti, a te etc. munus ac mandatum per easdem praesentes litteras committimus. Volumus vero, ut nisi prius etc. sub poenis, si huic Nostro praecepto contraveneris, iure statutis.

Volumus quoque ut Canonicatus, quem in Cathedralis Ecclesiae Crisiensis Capitulo in praesenti obtines, per hanc tuam ad episcopatum provectionem ad iuris tramitem vacet.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus etc. per tuam pastorem sollicitudinem et indefessum studium etc. incrementa (*ut sub data ex. gr. 20.XI.1913*).

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo secundo, die nona Maii mensis, Pontificatus Nostri Anno quarto.

⁸⁷ Šimrak Joannes, natus in Siehelburg, in Eparchia Crisiensi die 29.V.1883. Sacerdos ordinatus vero die 23.VIII.1908. Ad Sedem Crisiensem electus die 9.V.1942, et consecratus Episcopus die 16 Augusti eiusdem anni. Rebus publicis in Jugoslavia revolutis in carcerem detrusus obiit ut Confessor pro fide Christi et nomine catholico anno 1946.

⁸⁸ Obiit die 14.IV.1940. Cfr. supra, notam 12, ultimo positam, in pagina 519. Post eius obitum Eparchia haec per duo fere annos administrabatur a Joanne Šimrak.

1103 - 1104.

Romae, 9 . V . 1942

De provisione Ecclesiae Crisiensis certioratur Metropolitanus eiusdem Ecclesiae, nec non Capitulum, Clerus, et populus.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 48/42, vol. 66, nr. 27.

PIUS EPISCOPUS Servus etc. Venerabili fratri Archiepiscopo Zagrabieni⁸⁹, salutem etc.

Hodie Nos, cum dilecto filio etc. (*ut sub data 25.XI.1939*) ad Eparchiam Crisiensem pro fidelibus byzantini ritus, tuae Metropolitanae Ecclesiae Suffraganeam, dilectum filium Joannem Šimrak etc. Pastorem.

De qua re Fraternitatem Tuam hisce Nostris litteris certiolem facimus tibi que in Domino mandamus, ut eundem Joannem, electum Episcopum Suffraganeum tuum, pro Nostra et Sedis Apostolicae reverentia, in fratrem recipias tuique favoris ope prosequaris.

Spem igitur fovemus ut tu zelo motus etc. facilius explere.

Datum Romae (ut supra).

PIUS etc. Dilectis filiis Capitulo Cathedralis Ecclesiae, Clero et populo Eparchiae Crisiensis Ruthenorum, salutem etc.

Hodie Nos, cum dilecto filio Nostro etc. ad Eparchiam vestram Crisiensem pro fidelibus byzantini ritus, dilectum filium Joannem Šimrak etc. apostolica auctoritate elegimus ipsumque illi Episcopum praefecimus et Pastorem.

De qua re vos omnes hisce Nostris litteris certiores facimus vobisque in Domino mandamus ut eundem Joannem electum vestrum Episcopum tamquam patrem et pastorem animarum vestrarum etc. invenisse gaudeatis (*ut aliis vicibus, cfr. supra vel infra*).

Volumus autem, ut cura et officio etc. (*cfr. 25.XI.1939*) de praecepto recolendus.

Datum Romae etc. (ut supra).

G. Stara Tedde, Ad. a Studiis. Revisa die 22 Junii 1942

A. Liberati - A. Marini

Adnotatio Cancellariae:

Bullas contulerunt: G. Stara Tedde - Al. Trussardi

Bullas subscriperunt: Em.mus D. Card. a Secretis Status

L. Kaas - P. Respighi - Can. A. Liberati

Expedita die 26 Mensis Junii, Anno quarto.

Plumbator: A. Marini. - Reg. in Canc. Ap. vol. 66, nr. 27. Al. Trussardi.

⁸⁹ Aloysius Stepinac, Archiepiscopus Zagrabienis ab anno 1937 (die 7.XII) iure successionis. Dein in carcerem detrusus ab administratione Archieparchiae impeditus fuit. Demum die 12.I.1953 creatus Cardinalis S.R. Ecclesiae.

1105.

Romae, 6 . VII . 1942

Ambrosius Senyshyn ex Ordine Basiliano, promovetur ad Sedem tit. Mainensem, cum deputatione in Auxiliarem Exarchae Philadelphiensis pro fidelibus ucrainis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 66/42, vol. LXVI, nr 45.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Ambrosio Senyshyn ⁹⁰, Ordinis Basiliani S. Josaphat Monacho, in Episcopum titularem Mainensem electo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Pro supremi quo fungimur Apostolatus officio, quo universo christiano orbi praesidemus, illud quoque curare debemus, ut Sacrorum Antistites habeant aliquando ob iustas causas Auxiliares Episcopos, qui in pontificalibus exercendis ceterisque pastoralibus obeundis muneribus validum sibi queant adiumentum praebere. Quibus Episcopis solet Apostolica Sedes aliquem ex illarum Ecclesiarum titulis conferre, quae virtutum splendore et religionis prosperitate olim florere, etsi modo temporum vicissitudine et iniuria pristinam amiserint fulgentem gloriam.

Volentes itaque Nos, de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium S. Congregationi pro Ecclesia Orientali praepositorum consilio, Venerabilem fratrem Constantinum Bohacevskyj ⁹², fidelium Ruthenorum e Galicia in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis commorantium Exarcham et Episcopum titularem Amisenum, sollerti donare adiutore, te eius Auxiliarem suprema auctoritate Nostra renunciamus et constituimus, ut de eius licentia pontificalia exercere et cetera pastoralia munera inter praefatos fideles Ruthenos obire possis ac valeas.

Quo autem uberius et utilius munus tibi creditum exercere queas, de ipsorum Cardinalium consilio, volentes te episcopali caractere et dignitate exornare, ad titularem Ecclesiam episcopalem Mainensem Metropolitanae titulari Ecclesiae Corinthiensi in Peloponneso Prima suffraganeam, certo modo in praesenti vacantem, eadem Nostra Apostolica auctoritate eligimus eiusque tibi titulum conferimus una cum omnibus etc. inhaerentibus.

Volumus vero ut tu, antequam episcopalem consecrationem recipias, in manibus alicuius quem malueris catholici Antistitis, gratiam etc. (*ut sub data 3.IV.1943*) tenearis.

Tuae insuper maiori commoditati etc. licite Episcopus consecrari possis a quocumque quem malueris byzantini ritus Episcopo, gratiam et communionem cum Apostolica Sede habente, assistentibus ei duobus aliis cuiusvis ritus Episcopis, eadem gratiam et communionem habentibus.

⁹⁰ Ambrosius Senyshyn, natus die 23.II.1903 in Staryj Sambir, in Eparchia Peremyshliensi. Die 16.VII.1923 ingressus est Ordinem Basilianorum in Krechiv, et emissis votis simplicibus (7.IV.1925) et sollemnibus (9.VIII.1931), consecratus est sacerdos die 23.VIII.1931. Post brevem laborem pastorem in provincia Haliciensis profestus est in Civitates Foederatas Americae Septentrionalis, ubi post laborem fructuosum duorum lustrorum electus est in Episcopum Auxiliarem Exarchae Philadelphiensis, Costantini Bohachevsky, die 6.VII.1942, cum tit. Mainensis Ecclesiae, et consecratus Episcopus die 22.X.1942.

⁹¹ De Costantino Bohachevsky cfr. notam 25, ultimo positam, in pagina 533.

Firmam autem spem etc. auctum, tam indefesso in Ecclesiae bonum studio, Deo favente, adlaboraturum, ut praefatus Exarchatus in spiritualibus ac temporalibus maiora in dies incrementa suscipiat.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo secundo, die sexta Julii mensis, Pontificatus Nostri Anno quarto.

A. Liberati confecit die 1 augusti 1942.

G. Stara Tedde revisit die 3 augusti 1942.

Adnotatio Cancellariae Apostolicae:

Bullas contulerunt: Can. A. Liberati - G. Stara Tedde.

Bullas subscripserunt: Em.mus D. Card. a Secretis Status

A. Carinci - L. Kaas - Can. A. Liberati.

Expedita die 5 mensis Augusti, Anno quinto. Plumbator: A. Pericoli.

Registrata in Canc. Ap. vol. 66, nr. 45. Al. Trussardi.

1106.

Romae, 3 . IV . 1943

Nicolaus Nilus Savaryn, Basilianus, promovetur Episcopus tit. Jotanus, cum deputatione in Auxiliarem Exarchae Apostolici Canadensis pro fidelibus ucrainis in hac ditone.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 37/43, vol. LXVII, nr. 24.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Nilo Nicolao Savaryn, Ordinis Basiliani S. Josaphat Monacho ⁹², in Episcopum titulare Jotantum et in Auxiliarem electo hodierni Exarchi Apostolici fidelium Ruthenorum ritus byzantini in Ditione Canadensi, salutem et Apostolicam benedictionem.

Pro commisso humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum Principe supremi Apostolatus officio, quo universo christiano orbi praesidemus illud quoque curare satagimus, ut sacrorum Antistites habeant aliquando ob iustas causas Auxiliares Episcopos, qui in Pontificalibus exercendis ceterisque pastoralibus muneribus obeundis validum sibi queat adiumentum praebere. Quibus propterea solet Apostolica Sedes aliquem ex illarum Ecclesiarum titulis conferre, quae virtutum splendore et religionis prosperitate olim floruerunt, etsi modo temporum vicissitudine et iniuria pristinam amiserint fulgentem gloriam.

Volentes itaque Nos Venerabilem fratrem Basilium Vladimirim Ladyka ⁹³,

⁹² Nicolaus Nilus Savaryn, natus die 19.V.1905 in Saryj Sambir, in Eparchia Perymysliensi. Dein in Ordinem Basilianorum admissus die 28.VIII.1922 in Krechiv, ubi etiam vota emisit simplicia die 6.V.1924, et studiis absolutis professionem fecit sollemnem (die 14.IX.1930). Brevi post ordinatus sacerdos die 23.VIII.1931, mox profectus est in regionem Canadensem, qua in provincia multimode in monasteriis Ordinis et missionibus nec non in parocciis adlaboravit usque ad suam electionem in Episcopum tit. Jotantum (3.IV.1943). Consecratus Episcopus (1.VII.1943), Basilio Ladyka, Exarchae pro ucrainis catholicis in ditione Canadensi (cfr. supra, nota 74) ad latus auxiliari manu adstabat, donec anno 1948 et ipse devenit Exarcha partis occidentalis eiusdem Exarchatus Canadensis tripartito exdivisi. Cfr. infra.

⁹³ Cfr. supra, nota 74, ultimo posita, in pagina 550.

Episcopum titularem Abydenum et Exarchum Apostolicum fidelium ruthenorum ritus byzantini in Ditione Canadensi, sollerti donare adiutore, de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium S. Congregationi pro Ecclesia Orientali praepositorum consilio, te ad munus istud eligere statuimus ac tenore praesentium Exarchi illius Episcopum auxiliarem Apostolica auctoritate renunciamus et constituimus, ut de eius licentia pontificalia exercere ac cetera pastoralia munera tota exarchia illa obire possis ac valeas.

Te porro ad episcopalem titularem Ecclesiam Jotanam, Metropolitanae Ecclesiae Rhodiensis, in Provincia Insularum suffraganeam, certo modo in praesenti vacantem, eadem Apostolica Nostra auctoritate eligimus eiusque tibi titulum conferimus una cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus huic dignitati inhaerentibus.

Volumus vero ut, ceteris impletis de iure servandis, antequam episcopalem consecrationem recipias, in manibus ipsius Exarchi fidei catholicae professionem ac praescripta iuramenta iuxta formulas pro Orientalibus statutas emittere, harumque exemplaria, tui dictique Antistitis subscriptione ac sigillo munita ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali quantocius transmittere omnino tenearis.

Tuae insuper maiori commoditati prospicientes, tibi indulgemus, ut extra Urbem libere et licite Episcopus iuxta tuum ritum et disciplina consecrari queas a quocumque catholico Antistite, assistantibus ei duobus aliis catholicis Episcopis, dummodo gratiam ipsi habeant et communionem cum Apostolica Sede. Venerabili itaque fratri Antistiti, quem ad hoc tu elegeris, episcopalem consecrationem tibi impertiendi munus ac mandatum per easdem praesentes litteras committimus. Stricte vero praecipimus ut, nisi prius quae diximus fidei professionem et iuramenta emiseris, nec tu consecrationem recipere audeas, nec eam tibi impertiatur Antistes a te electus sub poenis, si huic Nostro praeepto contravereris, iure statutis.

Firmam autem spem fiduciamque concepimus te, ita episcopali dignitate auctum, tanto indefesso studio, Deo adiuvante, in Ecclesiae bonum adlaboraturum, ut a Nobis benedictionem et gratiam et a Domino aeternae vitae praemium valeas uberius promereri.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo tertio, die tertia Aprilis mensis, Pontificatus Nostri Anno quinto. A. L.

Aloys. Card. Maglione, a Secretis Status

Can. Alfridus Liberati, Canc. Apost. Adiutor a studiis.

Alfonsus Carinci, Prot. Ap. Franciscus Henricus Ferretti, Prot. Ap.

« Expedita » die decimaquarta Maii, Anno quinto.

Alfridus Marini, Plumbator

Reg. in Canc. Ap. Vol. LXVII, N. 24. Aloisius Trussardi

1107.

Romae, 23 . XII . 1945

Anno CCCL ab unione Ecclesiarum Ucrainae et Bielarusjæ revoluto, Pius PP. XII historiam gloriosam et dolorosam huius Ecclesiae commemorat conditionesque tristes praesentes dolet et oppressis animum addat.

Acta Apostolicae Sedis, vol. XXXVIII, nr. 2, p. 33-63.

LITTERAE ENCYCLICAE

VENERABILIBUS FRATRIBUS PATRIARCHIS, PRIMATIBUS, ARCHIEPISCOPIS, EPISCOPIS, ALIISQUE LOCORUM ORDINARIIS, PACEM ET COMMUNIONEM CUM APOSTOLICA SEDE HABENTIBUS: CCCL ELAPSI ANNI, EX QUO RUTHENORUM ECCLESIA APOSTOLICAE SEDI FELICITER COAGMENTATA EST.

PIUS PP. XII. Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Orientalis omnes Ecclesias — quod historia docet — amantissima semper voluntate Romani Pontifices persecuti sunt; atque adeo earum discessum ex unius ovilis caulis gravate ferentes, ac « nulla quidem humana re, sed caritate divina communisque salutis studio permoti »⁹⁴, eas iterum iterumque invitaverunt ut ad unitatem illam, ex qua misere discessissent, quam citissime se recipere. Eis siquidem omnino certum exploratumque est ex eiusmodi coniunctione, redintegrata feliciter, cum rei christianae universae, tum peculiari modo Orientalibus ipsis uberrimos fructus ortum iri; quandoquidem ex plena perfectaue christianorum omnium unitate mysticum Iesu Christi corpus eiusque singula membra magnum incrementum non consequi non possunt.

Quam ad rem animadvertendum est minime esse Orientalibus timendum, ne iidem, fidei ac regiminis unitate restituta, legitimos suos ritus et usus relinquere cogantur; quod quidem Decessores Nostri non semel clare luculenterque edixerunt. « Neque est cur dubitetis, quidquam propterea vel Nos, vel Successores Nostros de iure vestro, de patriarchalibus privilegiis, de rituali cuiusque Ecclesiae consuetudine detracturos »⁹⁵.

Quamquam vero felix ille dies nondum advenit, quo omnes orientis populos Nobis liceat, ad unum reversos ovile, paterno pectore amplecti, laeti tamen non paucos cernimus ex hisce regionibus filios, qui, cum Beati Petri Cathedram veluti catholicae unitatis arcem agnoverint, hac in eadem unitate tuenda confirmandaque tenacitate summa perseverant.

In quibus quidem hodie peculiari titulo Ruthenorum Ecclesiam memorare libet, non modo quod assectatorum numero praestat fideique retinendae studio, sed quod etiam quinquagesimus ac trecentesimus iam volvitur annus, ex quo eadem ad Apostolicae Sedis communionem feliciter restituta est. Quem faustitatis eventum si eos potissimum addecet, quorum res est, grato animo celebrare, at opportunum etiam ducimus in catholicorum omnium memoriam revocare, tum ut de praeclaro hoc accepto beneficio immortales Deo grates

⁹⁴ LEO XIII, *Praeclara gratulationis*, de data 20.VI.1894; cfr. *Acta Leonis XIII*, vol. XIV, p. 201.

⁹⁵ LEO XIII, *loc. cit.*

agent, tum etiam ut una Nobiscum eum supplices adprecentur, ut praesentes dilectissimi huius populi angustias anxitudinesque relevare benigne ac mitigare velit, eiusque sanctissimam religionem tutari, constantiam regere, fidem servare incolumem.

I

Putamus autem, Venerabiles Fratres, non sine utilitate fore, si eventus, de quibus agitur, per has Litteras ad historiae fidem presse breviterque attingamus. Ac principio animadvertendum est, antequam etiam Ruthenorum cum Apostolica Sede coniunctio annis MDLXXXV et MDLXXXVI laetis auspiciis Romae peracta et in Brestensi urbe confirmata esset, non semel hos populos ad Romanam Ecclesiam, utpote ad unam totius christianae communitatis matrem, respexisse, eidemque debitam habuisse, pro officii sui conscientia, obedientiam venerationemque. Ita, exempli gratia, S. Vladimirus — eximius ille Princeps, quem paene innumeri Russicae ditionis populi suae ad christianam fidem conversionis auctorem fautoremque venerantur — quamvis liturgicos ritus sacrasque caerimonias ab Orientali fuisset Ecclesia mutuatus, non solum in catholicae Ecclesiae unitate, officii memor, perstitit, sed curavit etiam diligenter ut inter Apostolicam Sedem Nationemque suam amicae mutuaeque intercederent rationes. Ex iis autem non pauci, qui ex nobili eius genere orti sunt, postquam etiam Constantinopolitana Ecclesia diro schismate seiuncta est, Romanorum Pontificum Legatos debitis honoribus excepere, fraternaeque necessitudinis vinculis cum ceteris catholicorum communitatibus devincti sunt.

Quamobrem haud absone egit ab antiquissimis memoriae traditis Ruthenae Ecclesiae monumentis Isidorus Kioviae Russiarumque Metropolita, cum anno MCDXXXIX in Oecumenico Concilio, Florentiae celebrato, decretum apposito nomine subscripsit, quo Graeca fuit Latinae Ecclesiae sollemniter coagmentata. Nihilo secius a Concilio reversus, etsi Kioviam in sui honoris sedem magno cum gaudio receptus est, subinde tamen Mosquae in cercerem detrusus, fugam abripere atque ex territorio cedere coactus est.

Attamen felicitis huius Ruthenorum cum Apostolica Sede coniunctionis memoria decursu aetatis non omnino obsolevit, quamvis non una occurreret causa, ob tristissimas temporum condiciones, cur eadem penitus deleberetur. Ita novimus anno MCDLVIII Gregorium Mammam Constantinopolitanum Patriarcham hac in alma urbe Gregorium quemdam Ruthenorum Metropolitam consecrasse, qui tunc Lithuaniae Magno Duci subiciebantur; ac novimus etiam unum alterumve ex Metropolitae huius successoribus unitatis vinculum cum Romana Ecclesia redintegrare conatum esse, licet declaratam sollemnemque fieri unitatis huius promulgationem adversa rerum adiuncta non permetterent.

Vertente autem ad finem XVI saeculo, magis cotidie magisque manifestum patuit optatam Ruthenorum Ecclesiae, gravibus oppressae malis, renovationem reformationemque, nisi a redintegrata cum Apostolica Sede coniunctione non esse sperandam. Vel ipsi rerum gestarum scriptores, qui e dissidentibus sunt, infelicissimum huius Ecclesiae statum describunt aperteque confitentur. Ac Ruthenorum proceres anno MDLXXXV Varsaviae congregati, cum suas querelas vividis acribusque verbis Metropolitae proponerent, suam Ecclesiam talibus

vexari malis asseverarunt, qualibus maiora numquam fuissent, neque in posterum futura esse possent.

Neque iidem dubitabant Metropolitanam ipsum, Episcopos coenobiorumque moderatores in causam vocare, gravibusque incusationibus coarguere; qua quidem in re, cum ex laicorum ordine homines adversus hierarchiam exsurgere, ecclesiasticae disciplinae vincula non parum relaxari videbantur.

Nihil mirum igitur si ipsi tandem aliquando sacrorum Antistites, variis in cassum adhibitis remediis, solam Ruthenae Ecclesiae spem in conciliando ad catholicam unitatem reditu positam esse censuerunt. Eo tempore Princeps Constantinus Ostrogiensis — quo nemo inter Ruthenos erat potentior — reditui eiusmodi exsequendo favebat, si modo tamen universa Orientalis Ecclesia Occidentali adstipularetur; at postea cum idem cerneret eiusmodi consilium non ita, ut ipsi in optatis erat, initum iri, coniunctioni huic instaurandae acerrime adversatus est. Nihilo secius postridie calendas Decembris, anno MDLXXXIV, Metropolita ac sex Episcopi, collatis invicem consiliis, communem ediderunt declarationem, qua se ad concordiam optatamque unitatem promovendam paratos esse edixerunt. In quam quidem sententiam, ita scripserunt, devenimus « considerantes cum ingenti dolore nostro quanta impedimenta homines habeant ad salutem absque hac unione Ecclesiarum Dei, in qua incipiendo a Christo Salvatore nostro et sanctis illius apostolis praedecessores nostri perstiterunt, ac unum summum Pastorem primumque Antistitem in Ecclesia Dei hic in terris — prout ea de re Concilia et canones manifestos habemus — et non quempiam alium praeter Sanctissimum Papam Romanum profitebantur, illique parebant in omnibus ac quamdiu id uniformiter in suo robore permansit, semper in Ecclesia Dei ordo cultusque divini incrementum fuit »⁹⁶.

Antequam vero hoc laudabile consilium ad rem feliciter deducere possent, diuturnas intercedere difficillimasque negotiationes opus fuit. Tandem, postquam a. d. X calendas Iulias, anno MDLXXXV, sacrorum omnium Ruthenorum Antistitum nomine nova edita fuerat eiusdem generis declaratio, Septembri mense vergente res eo progressa erat, ut Cyrillus Terletskyj Episcopus Luceo-riensis ac Constantinopolitani Patriarchae Exarchus, itemque Hypatius Potiej Episcopus Vladimiriensis, utpote ceterorum omnium Episcoporum procuratores, romanum iter suscipere possent. Quo in itinere documentum ab eis allatum est, quo condiciones proponebantur, quibus sacrorum omnes Rutheni Antistites ad Ecclesiae unitatem amplectendam parati erant. Legatis magna cum benevolentia acceptis, Decessor Noster fel. rec. Clemens VIII, quod documentum attulerant, Purpuratorum Patrum Consilio diligenter excutiendum probandumque commisit. Mox initae de universa causa rationes felicem tandem optatumque habuere exitum: siquidem a. d. X calendas Ianuarias anno MDLXXXVI iidem Legati coram Summo Pontifice admissi, postquam Episcoporum omnium declarationem eidem in amplissimo conventu tradidere, sollemnem suo eorumque nomine catholicae fidei professionem ediderunt ac debitam spondere obedientiam debitumque obsequium.

Eodem die Decesor Noster Clemens VIII laeti huius eventus notitiam per Apostolicam Constitutionem *Magnus Dominus et laudabilis nimis*⁹⁷ cum

⁹⁶ BARONIUS, *Annales*, t. VII, Romae 1596, Appendix, p. 681.

⁹⁷ A. THEINER, *Vetera monumenta Poloniae et Lithuaniae*, t. III, p. 240 ss.; *Documenta Pontificum Romanorum historiam Ucrainae illustrantia*, vol. I, p. 236-243, nr. 132.

universo terrarum orbe gratulabundus communicavit. Quanto autem cum gaudio quantaque cum benevolentia Ruthenorum gentem ad ovilis unitatem receptos Romana Ecclesia amplexa fuerit, ex Apostolicis etiam Litteris patet *Benedictus sit Pastor* die VII mensis Februarii anno MDLXXXVI datis, quibus Pontifex Maximus Metropolitam ceterosque Ruthenos Episcopos de feliciter adepta totius eorum Ecclesiae cum Apostolica Sede coagmentatione coniunctioneque certiores reddit. Quibus quidem Litteris Romanus Pontifex, postquam quae Romae hac de causa gesta ac pertractata fuerant breviter enarrando explicavit, atque susceptum tandem ex divina misericordia opus grato extulit animo, Ruthenae Ecclesiae usus legitimosque ritus edixit inviolatos servari posse. « Ritus enim et caerimonias vestras, quae fidei catholicae integritatem et mutuam Nostram coniunctionem nequaquam impediunt, eadem ratione et modo, quo a Concilio Florentino permissum est, et Nos quoque vos retinere permisimus »⁹⁸. Deinde vero se ab augusto Poloniae Rege petiisse asseverat, ut non modo Episcopos et quae ad eos pertinerent, patrocinio suo tueri vellet, sed eos etiam amplissimis decorare honoribus et in Regni Senatum, prouti iisdem in votis erat, adsciscere. Ac postremo sacrorum illos Antistites fraterno adhortatur animo, ut in generale ex tota provincia Concilium quam primum conveniant, atque inibi adeptam Ruthenorum cum Catholica Ecclesia coniunctionem ratam habere ac confirmare velint.

Hoc Concilium, quod non modo omnes Rutheni Episcopi aliique multi ex ecclesiasticis viris una cum Regiis Legatis, sed Latini etiam Leopoliensis, Luceoriensis ac Chelmensis Dioecesis Antistites participarunt, qui Romani Pontificis personam agerent, in Brestensi urbe celebratum est; et quamvis Episcopi Leopoliensis et Premisliensis a dato consensu misere discessissent, attamen a. d. VIII idus Octobres, anno MDLXXXVI, Ruthenae communitatis cum Catholica Ecclesia coniunctio feliciter confirmata ac conclamata fuit. Ex qua quidem conciliatione consociationeque, quae Ruthenae gentis necessitatibus tantopere respondebat, fore sperandum profecto erat, ut uberes, consentientibus omnibus, ederentur fructus.

Verumtamen venit « inimicus homo » et « superseminavit zizania in medio tritici »⁹⁹; sive nempe ob quorundam virorum principum cupidinem, sive ob susceptas in re politica inimicitias, sive denique ob praevidiam neglegenter habitam hac de re cleri populi institutionem praeparationemque, contentiones acerrimae diuturnaeque calamitates subsecutae sunt, quibus interdum hoc optimis auspiciis initum opus, ne miserandum in modum submergeretur, pertimescendum videbatur.

Quod quidem si in ipso rei initio ob insectationes simultatesque non contigit, quibus non modo dissidentes fratres, sed catholici etiam nonnulli dabant operam, Metropolitae potissimum tribuendum est Hypatio Potiej et Iosepho Velamino Rutskyj, qui indefatigabili studio hanc causam tutari ac provehere contenderunt; idque peculiari modo effecere ut sacerdotes coenobiorumque sodales sacris disciplinis bonisque moribus conformarentur omnesque christifideles rectis instituerentur germanae fidei praeceptis.

Non multos autem post annos inceptum hoc conciliationis opus martyrii cruore consecratum est: siquidem pridie idus Novembres, anno MDCXXIII,

⁹⁸ A. THEINER, *loc. cit.*, p. 251; *Documenta Pontificum*, vol. I, p. 256-259, nr. 145.

⁹⁹ MATT., XIII, 25.

Iosaphatus Kuncevitius, Archiepiscopus Polocensis et Vitebscensis, sanctitudine vitae et apostolico ardore praeclarissimus ac catholicae unitatis adsertor invictus, a schismaticis acerbissima simultate conquisitus ad necem, telis transfossus immanique securi necatus est. Sed sacer huius quoque martyris sanguis christianorum semen quodammodo factus est; nam parricidae ipsi praeter unum omnes, acti facinoris paenitentes, antequam capitali poena plecterentur, eiurato schismate, suum scelus detestati sunt. Pari modo quod Meletius Smotrytskyj, acerrimus ad Polocensem obtinendam sedem Iosaphati competitor, anno MDCXXVII ad catholicam fidem rediit, et licet aliquandiu in utramque vacillavisset partem, mox tamen pactum Ruthenorum reditum ad Catholicam Ecclesiae gremium strenuo animo ad mortem usque tutatus est, id quoque sanctissimi huius martyris patrocinio tribuendum esse videtur.

Attamen difficultates omne genus in annos augebantur, quibus incepta feliciter eiusmodi reconciliatio praepediebatur. Gravissimum autem illud erat, quod Poloniae Reges, qui sub initium rem patrocinio suo promovere videbantur, externorum deinceps hostium vi, domesticarumque factionum dissidiis coacti, catholicae unitatis osoribus, qui non deerant, maiora usque concessere. Quamobrem brevi tempore haec sanctissima causa eo devenit, quemadmodum ipsi Rutheni Episcopi confessi sunt, ut nullius iam niteretur praesidio, nisi Romanorum Pontificum, qui, amantissimis datis litteris impertitisque pro facultate auxiliis, ac praesertim per Apostolicum in Polonia Nuntium, Ruthenam Ecclesiam forti paternoque pectore tuiti sunt.

Quo autem tristioraolvebantur tempora, eo vel magis enituit sacrorum Ruthenorum Antistitum sollertia; qui quidem et rudem plebem ad christiana praecepta instruere, et sacerdotes haud satis excultos ad altiorem provehere sacrae doctrinae gradum, et monachos denique, si remissi eorum mores iacerent, renovato disciplinae ardore sanctitudinisque afflatu imbuere enisi sunt. Neque iidem cecidere animo, cum anno MDCXXXII ecclesiastica bona dissidentium fratrum hierarchiae, paulo ante constitutae, magna fuere ex parte attributa, cumque in pactis inter Cosacos Polonorumque Regem initis instauratam Ruthenorum cum Apostolica Sede coniunctionem esse delendam decretum est; quin immo creditos sibi greges constanter tenaciterque defendere perrexerunt.

Deus autem, qui populum suum nimis afflictationibus exercuari non sinit, anno tandem MDCLXVII pace Andrussoviae composita, Ruthenae Ecclesiae, post tot aerumnas atque iacturas, tranquilliora tempora affulgere iussit; ex qua quidem parta tranquillitate, maiora in dies incrementa religio sancta suscepit. Etenim christiani mores christianaque fides ita in exemplum florere, ut in illis etiam duabus Eparchiis, quae anno MDLXXXVI ab unitate seiunctae misere permanserant, de reditu ad catholicum ovile auctiore cotidie cum omnium consensione ageretur. Itaque feliciter evenit, ut anno MDCLXXXI Premisliensis Eparchia, Leopoliensis autem anno MDCC Apostolicae Sedi coagmentarentur; atque adeo universa fere Ruthenorum gens, quae eo tempore intra Poloniae fines commorabatur, catholica tandem frueretur unitate. Rebus igitur cotidie magis florentibus, magno cum christiana rei emolumento, anno MDCCXX Metropolita ceterique Ruthenae Ecclesiae Episcopi Zamosciam in Concilium convenerunt ut, collatis inter se consiliis, succrescentibus christifidelium necessitatibus aptius pro facultate prospicerent, cuius ex Concilii decretis — quae Decessor Noster ven. mem. Benedictus XIII per Apostolicam Constitutionem *Apostolatus officium* d. d. XIX mensis Iulii, a. MDCCXXIV con-

firmata habuit — haud mediocres obvenerunt Ruthenorum communitati utilitates.

Attamen imperscrutabili Dei consilio factum est ut, XVIII saeculo iam vergente, haec eadem communitas insectationibus vexationibusque non paucis afficeretur; quae quidem, postquam Poloniae res publica discerpta est, eis in partibus, quae Russorum Imperio coniunctae erant, acriores interdum acerbioresque fuerunt. Atque, Alexandro I Imperatore vita functo, consilium de industria ac temerario ausu susceptum est Ruthenorum cum Romana Ecclesia unitatem penitus infringendi. Iam antea, huius gentis Eparchiae ab omni fere cum Apostolica Sede commercio interclusae erant. Sed mox Episcopi electi sunt, qui, schismatis studio imbuti atque permoti, pedisequi civilis auctoritatis fautores evadere possent; in Vilnensi Seminario, ab Imperatore Alexandro I excitato, utriusque ritus clericis doctrina impertiebatur Romanis Pontificibus infesta; Basilianus Ordo, cuius sodales Catholicae Ecclesiae orientalibus ritibus fruenti maximo semper adiumento fuerant, proprio regimine propriaque administratione privatus, eius monachi ac coenobia Eparchialibus Consistoriis penitus subiecta; ac denique latini ritus sacerdotes ne sacramenta aliave religionis munimina Ruthenis subministrarent, gravibus poenis prohibiti. Ac tandem, proh dolor, anno MDCCCXXXIX Ruthenae Ecclesiae cum dissidente Russorum Ecclesia copulatio sollemniter conclamata est.

Quisnam enarraverit, Venerabiles Fratres, dolores, iacturas rerumque angustias, quibus nobilissima Ruthenorum gens eo tempore affecta est, idcirco solummodo in crimen in culpamque vocata, quod, per vim, per fraudem cum esset ad schisma compulsa, illatae sibi iniuriae reclamavit, ac fidem suam retinere pro facultate enisa est?

Iure igitur meritoque huius rei indignitatem Decessor Noster p. r. Gregorius XVI, in Allocutione a. d. X calendas Decembres anno MDCCCXXXIX habita, universo catholico orbi, conquerendo deplorandoque, denunciavit; at neque sollemnes eius expostulationes reprobationesque exaudita fuere; atque adeo Catholica Ecclesia suos hos filios materno ex gremio iniqua violentia abstractos deffere debuit.

Quin immo haud multos post annos Chelmenensis etiam Eparchia, ad Poloniae Regnum cum Russorum Imperio unitum pertinens, miseram eandem sortem perpressa est; et qui chistifideles a recta fide desciscere noluerunt, atque impositae anno MDCCCLXXV cum dissidente Ecclesia coniunctioni, pro officii conscientia, invicto pectore obstiterunt, iidem qua pecuniariis poenis, qua verberibus, qua exsilio indigne mulctati sunt.

At contra, hoc eodem tempore in Leopoliensi ac Premisliensi Eparchiis, quae quidem, cum Poloniae res publica discissa est, Austriae Imperio coagmentatae fuere, Ruthenorum causa tranquille placideque agebatur. Anno MDCCCXVII titulus metropolitanus Halicensis inibi restitutus est, perpetuoque cum Leopoliensi Archidioecesi coniunctus. Atque in hac provincia res tantopere floruerunt, ut duo subinde Metropolitanae, Michaël Levykyj (a. MDCCCXVI-MDCCCLVIII) ac Silvester Sembratovyč (MDCCCLXXII-MDCCCLXXXVIII) qui egregia prudentia incensoque studio dicioni quisque suae praefuerunt, ob insignes animi dotes ac singularia promerita Romana Purpura honestati, in supremum Ecclesiae Senatum cooptati sunt. Cumque catholicorum numerus magis in dies magisque augetur, Decessor Noster fel. rec. Leo XIII anno MDCCCLXXXV novam Eparchiam, Stanislaoopolitanam nempe, legitime con-

stituit; ac sex post annos felix Galicianae Ecclesiae status peculiari modo confirmatus est, cum sacrorum omnes Antistites una cum Summi Pontificis Ablegato aliisque e clero pluribus, Leopolum convenerunt, ut ibi ex universa Provincia Concilium celebrarent et opportunas de re liturgica ac de sacra disciplina normas ederent.

Cum autem, saeculo XIX ad exitum vertente atque ineunte XX, Rutheni bene multi ob rerum oeconomicarum angustias ex Galiciana terra in Foederatas septentrionalis Americae Civitates, in Canadensem regionem et apud australis Americae Nationes transmigravissent, Decessor Noster fel. mem. Pius X, sollicito timens animo, ne hi dilectissimi filii sui, loci linguae ignari latinisque ritibus non experti, schismaticorum haeticorumque fallaciis irretirentur, vel dubitationibus erroribusque illaquetati religionem omnem misere abicerent, anno MDCCCXVII Episcopum certis facultatibus instructum proiisdem constituit. Postea vero, cum horum catholicorum numerus necessitatesque auferentur, peculiaris Episcopus Ordinarius pro Ruthenis, ex Galicia ortis, in Foederatis Americae Civitatibus, atque alter in Canadensi Regione nominati sunt, praeter Episcopum Ordinarium, christifidelibus huius ritus destinatum, qui vel ex Subcarpatia Russa, vel ex Hungaria, vel ex Jugoslavia suas sedes transtulissent. Ac deinceps cum Sacrum Consilium christiano nomini propagando, tum Sacrum etiam Consilium Orientali Ecclesiae praepositum Ecclesiasticas Ruthenorum res in iis dicionibus, quas supra memoravimus et in australis etiam Americae terris, consentaneis atque opportunis decretis normis, ordinaverunt.

Haud mirum igitur est, Venerabiles Fratres, si ob tam magna accepta beneficia Catholicorum Ruthenorum communitas non semel, occasione data, gratum animum suum suamque addictissimam voluntatem Romanis Pontificibus propalam significare voluit. Quod quidem peculiari modo anno MDCCCLXXXV evenit, cum tertium revolutum est saeculum, postquam felix maiorum suorum cum Apostolica Sede coniunctio Romae est habita et in Brestensi urbe confirmata. Etenim, praeterquam quod in singulis Galicianae provinciae locis faustitas opportunis celebrationibus reculta est, amplissima etiam Romam missa fuit Metropolitanae et Episcoporum Legatio, quae erga Antistitem sacrorum Maximum ac Successorem B. Petri Ruthenae Ecclesiae amorem panderet, atque observantiam, venerationem, obedientiam eidem profiteretur. Quam amplissimam Legationem cum Decessor Noster p. rec. Leo XIII debitis honoribus coram admisisset, paterno eam gaudio paternaque benevolentia allocutus, Ruthenorum cum Apostolica Sede coniunctionem summis laudibus extulit, utpote quae esset iis omnibus, qui eam sincero retinerent animo, verae lucis, inconcussae pacis supernorumque fructuum fons saluberrimus.

Neque nostra hac aetate minora fuere beneficia, quae Romani Pontifices carissimae huic genti contulere. Cum praesertim primum Europae omniumque fere Nationum bellum regiones illas pervastavit, itemque per insequentes annos, nihil iidem reliqui fecerunt, quod aliquid posset auxilii ac solacii Ruthenorum communitati impertire. Ac gravibus opitulante Deo superatis difficultatibus, quibus haec catholicorum communitas premebatur, eam cernere fuit suorum Episcoporum indefatigabili studio ceterique cleri adiutrici operae actuoso volentique animo respondere. At tamen alterum, proh dolor, accessit bellum, idque ut norunt omnes, Ruthenae hierarchiae eiusque fideli gregi

multo quidem gravius multoque perniciosius. Sed antequam, Venerabiles Fratres, de praesentibus rerum asperitatibus atque angustiis breviter scribamus, quas haec Ecclesia summo cum suae ipsius vitae discrimine patitur, placet aliquid adiungere, ex quo satius illustriusque pateat quam magna, quam excelsa beneficia coniunctio illa CCCL ante annos feliciter inita, Ruthenorum genti eorumque Ecclesiae pepererit.

II

Siquidem, postquam auspiciatissimae huius coagmentationis historiam summatim presseque attigimus, eiusque laetas interdum tristissimas vicissitudines vidimus, haec Nobis occurrit quaestio: quidnam Ruthenorum genti eorumque Ecclesiae eiusmodi coniunctio profuit? quaenam emolumenta utilitatesque iisdem ex Apostolica hac Sede Romanisque Pontificibus obvenere? Cui quidem quaestioni dum Nos, uti par est, respondemus, rem videmur peropportunam perutilemque facere, cum praesertim Brestensis huius reconciliationis osores infitiatoresque acerrimi non desint.

Ac principio animadvertendum est nullo non tempore Decessores Nostros legitimis Ruthenorum ritibus tutandis adservandisque summopere studuisse. Etenim cum eorum Antistites, per Episcopos Vladimiriensem et Luceoriensem Romam hac de causa missos, a Romano Pontifice expetivissent « ut Sanctitas Sua administrationem sacramentorum ritusque et caerimonias Orientalis Ecclesiae integre, inviolabiliter atque eo modo quo tempore unionis illis utebantur... conservare confirmareque, pro Se et Successoribus suis nihil in hac parte innovaturis unquam, dignaretur »¹⁰⁰, Clemens VIII eorum precibus benigne annuens, nihil prorsus hac in re immutandum praescripsit. Ac ne novi quidem Gregoriani calendarii usus — quod, liturgico retento orientalis ritus calendario, Ruthenis quoque usurpandum esse initio videbatur — postea iisdem impositus est; quandocumque Iulianum calendarium ad nostra usque tempora apud eos vigere potest.

Praeterea idem Decessor Noster, litteris die xxiii mensis Februarii a. MDLXXXVI datis, concessit ut qui suffraganei Ruthenorum Episcopi rite nominati essent, eorum electio, quemadmodum in pacta reconciliatione propositum erat, ac secundum priscam Orientalis Ecclesiae disciplinam, a Metropolitana confirmaretur. Aliique Decessores Nostri indulserunt ut litterarum ludos ac scholas in quibusvis Russiae partibus Metropolitanae condere, easque moderatoribus ac praeceptoribus sibi gratis libere committere liciteque possent; itemque decrevere ut Rutheni, ad spiritualium favorum largitionem quod attinet, inferiore, quam ceteri catholici, loco ne haberentur; atque adeo, sicut alii christifideles, omnium indulgentiarum munerum eos voluere participes esse ac fore, si modo necessariis praescriptis condicionibus ipsi quoque obtemperarent. Paulus vero V ad eos omnes, qui litterarum disciplinarumque domicilia a Metropolitana constituta celebrarent, peculiare gratias illas pertinere voluit, quas alumni e sodalitatibus B. M. V. in sacris aedibus Societatis Iesu constitutis, Romani Pontifices dilargiti essent; eos autem, qui Spiritualibus Exercitiis apud S. Basilii monachos vacarent, Urbanus VIII iisdem donavit

¹⁰⁰ A. THEINER, *loc. cit.*, p. 237.

indulgentiarum beneficiis, quae clericis regularibus concessa erant Societatis Iesu.

Quibus ex rebus liquido patet nullo non tempore Decessores Nostros eadem prorsus paterna caritate Ruthenos persecutos esse, ac ceteros latini ritus catholicos. Sed et eorum etiam hierarchiae iura ac privilegia defendere antiquissimum habuere. Nam, cum a Latinis non pauci Ruthenum ritum inferioris gradus dignitatisque esse asseverarent, cumque ex ipsis Latinis Episcopis nonnulli dicitarent Ruthenos sacrorum Antistites non integris frui Episcopalibus iuribus atque muneribus, sed sibi esse subiectos, haec Apostolica Sedes iniustas eiusmodi opinionationes ac sententias reiciens, decretum edidit die XXVIII mensis Septembris a. MDCXXXIII, in quo haec, quae sequuntur, statuit: « Referente Eminentissimo D. Cardinali Pamphilio diversa decreta Congregationis particularis Ruthenorum unitorum, SS. probavit decretum eiusdem Congregationis particularis, diei XIV Augusti proxime praeteriti, quo decernitur Episcopos Ruthenos unitos esse Episcopos, et ut tales nominari et haberi debere. Probavit eiusdem Congregationis decretum, quo decernitur Episcopos Ruthenos posse in suis Episcopatibus erigere scholas pro instruenda in litteris humanis et scientiis eorum iuventute, et Ruthenos ecclesiasticos gaudere privilegiis canonis, fori, immunitatis, libertatis, quibus gaudent sacerdotes et Ecclesiae Latinae »¹⁰¹.

Indefessa autem ac sollicita Romanorum Pontificum cura de Ruthenis ritibus adservandis tutandisque ex diuturnae illius potissimum quaestionis decursu eruitur, quae ad eiusdem ritus mutationem pertinet. Etenim, quamvis peculiare propter rationes, ab eorum voluntate omnino alienas, per longissimum temporis spatium, districtum huius mutationis vetitum laicis imponere non potuerint, ex repetitis tamen non semel vetitum illud praescribendi tentaminibus, itemque ex adhortationibus, quas ad Episcopos sacerdotesque Latinos habuere, luculenter enitet quantopere haec res Decessoribus Nostris cordi fuerit. In decreto ipso, quo Ruthenorum cum Apostolica Sede coniunctio anno MDLXXXV feliciter statuta fuit, clara apertaue non ponitur interdictio ab Orientali ritu ad Latinum transeundi. Nihilominus quae iam tum Apostolicae Sedis mens fuerit, ex litteris manifestatur a Generali Praeposito Societatis Iesu anno MDCVIII datis, in quibus sodalibus scribit, in Polonia commorantibus, eos non posse, qui numquam Latino ritu frui fuerint, hunc eundem ritum post initam reconciliationem suscipere, « cum praeceptum sit Ecclesiae et peculiariter in litteris unionis factae sub Clemente VIII statutum, ut unusquisque permaneat in ritu suae Ecclesiae »¹⁰².

Sed cum frequentiores usque querelae haberentur de nobilibus Ruthenis iuvenibus latinum ritum adipiscentibus, Sacrum Consilium christiano nomini provehendo, per decretum die VII mensis Februarii a. MDCXXIV datum, praecepit « ne de cetero Ruthenis unitis, sive laicis, sive ecclesiasticis, tam saecularibus, quam regularibus, et praesertim monachis S. Basilii Magni ad latinum ritum quacumque de causa, etiam urgentissima, sine speciali Sedis Apostolicae licentia transire liceat »¹⁰³.

¹⁰¹ *Acta et decr. SS. Conciliorum rec.*, col. 600, nota 2; et A. G. WELYKYJ, *Acta S.C. de Propaganda Fide, Ecclesiam catholicam Ucrainae et Bielarusjae spectantia*, vol. I, Romae 1953, p. 191, nr. 334, et p. 198, nr. 343.

¹⁰² *Loc. cit.*, col. 602.

¹⁰³ *Loc. cit.*, col. 603, et *Acta S.C. de Prop. Fide*, vol. I, p. 16, nr. 9.

Verumtamen, cum ne hoc decretum ad effectum omnino deduceretur Sigismundus III, Poloniae Rex, intercessisset — qui quidem hoc vetitum ad ecclesiasticos solummodo viros pertinere volebat — Decessor Noster fel. rec. Urbanus VIII amplissimo huic catholicae unitatis fautori non annuere non potuit. Quapropter, quod peculiaribus ex causis lege iniunctum non fuit, hoc Apostolica Sedes assequi praeceptis monitionibusque enisa est; idque non uno nomine comprobatur.

Siquidem iam in decreti prooemio, die VII mensis Iulii a. MDCXXIV dati, quo haec latini ritus adeptio sacrorum tantummodo administris interdicebatur, statutum est Latinae Ecclesiae sacerdotes esse monendos, ne in sacris excipiendis confessionibus christifideles e laicorum ordine excitarent ad eandem assequendam adeptionem. Ac saepenumero id genus monita iterata sunt, quae Apostolici in Polonia Nuntii ex Summorum Pontificum mandato viribus omnibus contenderunt ut optatum haberent exitum. Quod autem ne posterioribus quidem temporibus Apostolicae Sedis mens ac sententia hac in re mutata sit, ex litteris etiam patet a Decessore Nostro Benedicto XIV ad Episcopos Leopoliensem et Premisliensem anno MDCCLI datis, in quibus inter alia haec habentur: « Vestrae ad Nos delatae sunt litterae, scriptae XVII Iulii, in quibus merito conquerimini de transitu Ruthenorum a ritu Graeco ad ritum Latinum, ubi bene nostis, Venerabiles Fratres, quod Nostri Praedecessores transitus hos abhorruerunt, et Nos ipsi abhorremus, utpote qui non destructionem, sed conservationem ritus Graeci summopere desideramus »¹⁰⁴. Ac praeterea idem Pontifex pollicitus est se repagula omnia hac in causa remoturum esse, ac tandem sollemni decreto eiusmodi transitum esse prohibiturum. Cuius tamen votis ac pollicitationibus ut iam tunc optatus responderet exitus, adversae rerum temporumque condiciones non permisere.

Sed tandem, postquam Romani Pontifices Clemens XIV et Pius VII decreverunt Rutheni ritus catholicos, qui in Russiarum regionibus degerent, ad Latinum ritum se convertere non posse, in conventionem illa, quae *Concordia* dicitur, inter Latinos Ruthenosque Episcopos anno MDCCLXIII, auspice Sacro Consilio rei christianae provehendae inita, eiusmodi vetitum ad Ruthenos omnes pertinere statutum est.

Ex iis, quae adhuc, Venerabiles Fratres, ad historiae fidem capitulatim breviterque scribendo persecuti sumus, facile eruitur quantopere Apostolica haec Sedes integrae Rutheni ritus conservationi invigilaverit, sive ad universam communitatem, sive ad singulos quod attinet; nemo tamen mirabitur si eadem — praecipuis ritibus illis, qui ad rei essentiam pertineant, sartis semper tectisque manentibus — ob peculiariora rerum temporumque adiuncta, minores quasdam immutationes permiserit, vel ad tempus probaverit. Ita, verbi gratia, in liturgicis ritibus nullas fieri mutationes concessit, ex iis etiam quae sensim inductae essent, nisi paucas eas, quae in Zamoscena Synodo a Ruthenis ipsis Episcopis decretae fuissent.

Verumtamen, cum vaferrimi nonnulli schismatis fautores, specie quidem ut germanam sui ritus integritatem tuerentur, re vera autem ut facilius indocta plebs, a catholica fide descisceret, antiquos usus, iam partim obsoletos, iterum inducere privata auctoritate conarentur, Romani Pontifices, pro officii sui conscientia, callidis eorum tectisque artibus aperte denunciatis, pravis hisce

¹⁰⁴ *Loc. cit.*, col. 606, et supra in nostra Collectione, p. 125, nr. 723.

conatibus obstitere, et « inconsulta Sede Apostolica, in sacrae liturgiae ritibus nihil esse innovandum etiam nomine instaurandi caerimonias, quae liturgiis ab eadem Sede probatis magis conformes esse viderentur, nisi ex gravissimis causis et accedente Sedis Apostolicae auctoritate » decreverunt¹⁰⁵.

Ceterum tantum abest ut Apostolicae Sedi mens fuerit huius ritus integritati conservationique officere, ut potius Ruthenae Ecclesiae auctor fuerit ad antiquitus tradita in liturgicis rebus monumenta religiosissime colenda. Praeclara studiosae huius erga Ruthenum ritum benevolentiae significatio in nova habetur sacrorum librorum editione Romana, Pontificatu Nostro inchoata, atque ex parte iam feliciter peracta, qua Apostolica Sedes, Ruthenorum Antistitum votis libentissime concedens, liturgicos eorum ritus ad avitas venerandasque eorum memorias restituere enisa est.

Iam alterum, Venerabiles Fratres, menti Nostrae occurrit beneficium, quod Ruthenorum communitati ex hac cum Apostolica Sede copulatione ortum profecto est. Per eiusmodi nempe coagmentationem nobilissima haec gens Catholicae Ecclesiae concerta est, cuius proinde vitam vivit, cuius veritate collustratur, cuius gratiae fit particeps. Hinc supernae scatebrae rivuli proficiuntur, qui ita omnia pervadunt ac permeant, ut pulcherrimi educi queant virtutum omnium flores, atque uberes gigni saluberrimique fructus.

Etenim, dum ante factum ad unitatem reditum ipsi dissidentes fratres conquesti sunt religionem sanctam in regionibus illis fuisse depopulatam, simoniae vitium in deligendis Episcopis ceterisque sacrorum administris usque quaque grassari, ecclesiastica esse bona dissipata, corruptos monachorum mores, coenobiorum disciplinam collapsam ac christifidelium etiam cum Antistitibus suis obedientiae vincula cotidie magis infirmata esse et in discrimen adducta; contra, post adeptam unitatem, aspirante iuvanteque Deo, res in melius pedetemptim commutatae sunt. Sed quanta animi firmitate ac constantia Episcopis opus fuit, primis praesertim temporibus ob omne genus perturbationes insectationesque agitativissimis, ut ecclesiasticam ubique restaurarent disciplinam! Quanta operae adsiduitate laborumque patientia iisdem utendum fuit, ut clerum optimis moribus conformatum excitarent, ut creditos sibi greges rerum acerbitatibus vexatos consolarentur, ut eos denique, quorum anceps nutabat fides, sustentarent, omnique roborarent ope! Attamen contra omnem humanam spem effectum feliciter est, ut non modo eiusmodi auspiciata unitas adversas omnes procellas eluctaretur victrix, sed ex triumphato certamine vividior etiam ac fortior emergeret. Ac non ense et verberibus, non pollicitationibus vel minis, sed eximio religiosae vitae exemplo ac quasi praeclara quadam divinae gratiae manifestatione, catholici nominis Rutheni Leopoliensem et Premisliensem dissidentes Eparchias ad unum tandem ingrediendum ovile perduxerunt.

Restituta demum tranquillitate ac pace, floridus Ruthenae Ecclesiae status, saeculo praesertim XVIII, extrinsecus etiam enituit. Cuius quidem rei testes sunt cum princeps Leopoliensis urbis templum, S. Georgio dicatum, tum sacrae

¹⁰⁵ Cfr. PIUS IX, *Omnem sollicitudinem*, d.d. XIII Maii a. MDCCCLXXIV, citans GREGORIUM XVI, *Inter gravissimos*, PII IX, *Acta*, t. VI, p. 317. Cfr. etiam supra, p. 438-441, nr. 981.

aedes ac coenobia, quae Poczaioviae, Torocanii, Zyrovicii atque alibi excitata sunt, insignia quidem huius temporis monumenta.

Haec autem operae pretium esse videtur aliquid de Basilianis monachis summatim attingere, qui, impensa studiosaque opera sua, tam praeclare, tam optime hac de re universa meriti sunt. Postquam eorum coenobia, auctore Velamino Rutskyj, ad meliorem sanctioremque formam redintegrata et in Congregationem redacta fuere, inibi sodales bene multi pietate, doctrina et apostolico studio ita in exemplum floruerunt, ut religiosae vitae duces ac magistri christiano populo evaderent. In litterarum ludis ac scholis, ab se apertis, iuvenibus, saepenumero ingenio praestantibus, non modo egregiam humanarum divinarumque disciplinarum institutionem impertierunt, sed solidam etiam virtutem suam ita cum illis communicarunt, ut ceteris iidem nullo modo cederent, qui in latinis scholis instituerentur. Quod profecto vel dissidentibus fratribus compertum manifestumque erat, quandoquidem non pauci ex eis, domo ac patria relicta, ad haec doctrinarum domicilia libentissime se contulerunt, ut tam suavium fructuum participes et ipsi fierent.

Nec minora beneficia recentioribus temporibus Ruthenorum communitas ex sua accepit cum Apostolica Sede coniunctione. Quod quidem omnibus facile patet, si modo Galicianae Ecclesiae statum considerant, prouti ante immanis huius belli ruinas vastationesque erat. In hac nempe provincia christifideles ad xxxvi fere centena milia erant, sacerdotes ad mmccclxxv, ac curiales aedes, seu paroeciae, ad mmccxxvi. Ac praeterea extra Galicianam provinciam, ex eademque orti, atque in variis orbis partibus — in America praesertim — plurimi catholici nominis Rutheni commorabantur, qui ad iv vel v centena milia censi queunt. Huic autem praestanti christifidelium numero, qui nunquam forte per temporum decursum maior fuerat, praestans item in singulis Eparchiis respondebat virtutis, pietatis, christianaeque vitae studium. In eparchialibus seminariis alumni rite diligenterque instituti ad sacra praeparabantur capessenda munia; ac christifideles, divinum cultum ad sui ritus normas summo cum amore venerationeque participantibus, laetos edebant uberesque religionis fructus.

Dum felicem hunc Ruthenae Ecclesiae statum strictim presseque attingendo memoramus, haud possumus silentio praeterire insignem illum Metropolitanam Andream Szeptycky, qui per novem fere lustra indefatigabili navitate allaborans, non uno nomine, neque ad spirituale tantummodo emolumentum quod attinet, sibi credito gregi optime se probavit. Cuius per episcopalis muneris cursum Theologica Societas condita fuit, quae clerum ad impensius sacrae doctrinae studium profectumque instimularet; Ecclesiastica fuit Academia Leopoli excitata, in qua Rutheni iuvenes, ingenio praestantiores, philosophicis, theologicis, ceterisque altioribus disciplinis — ea quidem ratione, qua studiorum Universitates hisce in rebus uti solent — opportune vacare possent; scriptiones omne genus sive per libros, sive per ephemeridas et commentarios typis editos, magnum susceperunt incrementum, et apud exterarum gentium florere laude; ac praeterea sacrae fuerunt artes secundum avitas huius gentis memorias eiusque peculiare ingenium excultae; museum aliaque bonarum artium domicilia praeclaris antiquitatis monumentis fuere instructa; et instituta denique non pauca inita sunt ac provecta, quibus tenuiorum civium ordinum necessitatibus ac pauperum inopiae subveniretur.

Neque singularia ea promerita silere possumus, quae Deo devotae cum virorum, tum mulierum sodalitates hac in re, haud mediocri cum salutari emolumento, consecutae sunt. Ac primum quidem Basilianorum monachorum ac sanctimonialium coenobia commemorare libet, quae, quamvis Iosephi II Austriae Imperatoris tempore, civilem potestatem in res suas non sine iniuria nec sine detrimento invadentem tolerassent, postea tamen, anno nempe MDCCCLXXXII et insequentibus, reformatione illa, quam Dobromiliensem vocant, ad suum tandem fuere restituta decus; et cum umbratilis vitae amore supernoque afflatu, qui ex S. Conditoris normis exemplisque hauritur, incensum iungunt apostolatus studium. Ad quae vetera monasticae vitae coenobia novae accessere pari cum laude religiosae virorum mulierumque sodalitates: ut Studitarum Ordo, cuius monachi caelestium rerum contemplationi imprimis vacant, ac Sanctae paenitentiae operibus; ut Religiosa Rutheni ritus Congregatio a Ss.mo Redemptore, cuius sodales summo cum fructu salutari tum in Galicia, tum in Canadensi regione laborant; ut plurimae denique religiosarum mulierum instituta, quorum est puellarum institutionem provehere aegrotorumque curam suscipere, quaeque vel Ancillae a B. V. M. Immaculata, vel Myrophorae, vel Sorores a S. Iosepho, a S. Iosaphato, a Sacra Familia, a S. Vincentio a Paulo nuncupantur.

Placet praeterea hoc loco Pontificii illius Collegii mentionem facere, S. Iosaphato dicati, quod Decessor Noster fel. rec. Pius XI in Ianiculensi colle excitavit munificenterque instruxit. Postquam per saecula non pauca selecti iuvenes nonnulli in Pontificio Graecorum Collegio ad sacerdotalia suscipienda munera instituebantur, alius Decessor Noster, imm. mem. Leo XIII. anno MDCCCLXXXVII, proprium iis adolescentibus, qui ex Ruthenorum gente ad sacerdotium divino quodam instinctu vocarentur, Collegium Romae constituit. Sed cum succrescenti alumnorum numero hoc aedificium impar iam evasisset, proximus Decessor Noster, pro peculiari sua erga Ruthenorum populum caritate, novam amplioremque sedem, ut diximus, aedificavit, in qua sacerdotii candidati, ad sacras doctrinas peculiariaeque sui ritus disciplinas instituti ac conformati, in venerationem, observatiam, amorem erga Iesu Christi Vicarium et in Ruthenae Ecclesiae spem feliciter adolescerent.

Aliud, Venerabiles Fratres, nec minoris gravitatis emolumentum ornamentumque suscepit Ruthenorum communitas ex sua cum Apostolica Sede copulatione, cum inclita confessorum martyrumque cohorte honestata est, qui ob catholicam fidem incolumem servandam et ob studiosam suam retinendam erga Romanos Pontifices fidelitatem, omne genus laborum aerumnarumque exantlare ac vel ipsam laeti oppetere mortem non dubitarunt, secundum illam Divini Redemptoris sententiam: « Beati eritis, cum vos oderint homines et cum separaverint vos et exprobraverint et eiecerint nomen vestrum tamquam malum propter Filium hominis. Gaudete in illa die et exultate; ecce enim merces vestra multa est in caelo »¹⁰⁶.

Quorum ex numero primus menti Nostrae occurrit sanctissimus ille Pontifex Iosaphatus Kuncevitius, cuius invictae fortitudinis laudes iam supra attigimus, quique a perditissimis catholici nominis osoribus conquisitus ad necem, sponte se carnificibus obtulit, ac se quasi victimam praebuit ut dissiden-

¹⁰⁶ Luc., VI, 22, 23.

tium fratrum reditus quam primum conciliaretur. Praecipuus ille quidem eo tempore fuit, sed non unus, catholicae fidei unitatisque martyr; nam cum non pauci ad eiusdem victoriae palmam secuti sunt cum ex sacro, tum ex laicorum ordine qui vel ferro necati, vel flagellis ad obitum usque atrociter contusi, vel in Danapro flumine aqua submersi, ex triumphata morte ad superos evolarunt.

Ac non multos post annos, medio nempe XVII saeculo, cum Cosaci, contra Polonorum rem publicam aperte arma cepissent, eorum, qui religiosam unitatem aversabantur, odium etiam atque etiam invaluit vehementiusque effervuit; quandoquidem iisdem persuasum erat ex invecta eiusmodi unitate, veluti ex primo fonte, omnia quae incidissent, mala calamitatesque profecta esse; atque adeo eam omni ope omnique ratione profligare ac delere sibi proposuerant. Hinc paene innumera orta sunt catholicae Ruthenorum Ecclesiae detrimenta: plures fuere sacrae aedes profanatae, expilatae, dirutae, earumque suppellectiles ac fortunae eversae: sacrorum administri non pauci plurimique christifideles diris verberibus caesi, gravibus excruciatu tormentis, crudelissimaeque sublati nece; ac vel ipsi Antistites suis bonis despoliati ex suaque deturbati honoris sede, fugam arripere coacti sunt. Attamen iidem, hac etiam saeviente tempestate, animo non cecidere, neque sibi creditum gregem, quantum in facultate fuit, incustoditum atque indefensum reliquere; quin immo, in mediis ipsis rerum angustiis, universam Russiarum Ecclesiam una cum Alexio Imperatore ad unitatem ovilis perducere precando, contendendo, allaborandoque enisi sunt.

Paucis praeterea ante annis, quam Poloniae res publica discerperetur, nova, nec minus acerba, catholici nominis insectatio inita est. Quo tempore nempe Russorum Imperatricis milites in Poloniam invaserant, plurimae Rutheni ritus sacrae aedes catholicis vi et armis ablatae sunt; ac sacerdotes, qui suam eiurare fidem recusassent, compediti, conculcati, plagis confecti et in carcerem detrusi, fame, siti, frigore atrociter vexati sunt.

Quibus quidem haud illi in constantia animique fortitudine cessere sacrorum administri, qui circa annum MDCCCXXXIX suorum bonorum ipsiusque libertatis iacturam potius fecerunt, quam suae religionis officia desererent. Horum in numero peculiari modo sacerdotem illum memorare libet Iosephum Ančevskij, qui per annos XXXII in coenobio Suzdaliensi dura in custodia detentus, anno MDCCCLXXVII eximiae suae virtutis praemium morte pientissima assecutus est. Itemque sacerdotes CLX, qui, cum catholicam fidem aperte profiterentur, a suis in miseria relictis familiis distracti et in interiores Russiarum regiones translati inque coenobia inclusi, fame aliisque vexationibus a proposito suo sanctissimo abigi non potuerunt.

Nec minore animi fortitudine praestitere non pauci e Chelmensi Eparchia, qui ex sacro, ex laicorumque ordine, catholicae fidei insectatoribus virtute invicta obstiterunt. Ita, exempli gratia, Pratinensis vici coloni, cum milites ad sacram aedem occupandam schismaticisque tradendam accederent, non vi vim reverberarunt, sed inermibus suis confertis corporibus, vivum veluti murum aggredientibus obiecerunt; atque adeo alii vulnerati sunt dirisque saevitiis affecti, alii per annos plurimos in carcere detenti, vel in gelida Siberiae loca deportati, alii denique telis confossi suum fudere sanguinem pro Christo. Ex quibus qui catholicam fidem sua morte obsignarunt, eorum causa in sua Eparchia iam instituta est; qua ex re spes affulget fore ut aliquando liceat eos in Beatorum Caelitum ordinem adsciscere. Haec autem iniqua facinora,

proh dolor, non uno in loco, sed pluribus in urbibus, in oppidibus, in pagis perpetrata fuere; ac postquam sacra omnia catholicorum templa schismatis assectatoribus permissa sunt, postquam omnes sacri ordinis administrati, e suis sedibus deiectioni, demandatum sibi gregem incustoditum relinquere coacti sunt, tum christifideles in dissidentis Ecclesiae album, nulla eorum voluntatis ratione habita, adscripti sunt. Qui tamen, quamvis suis orbatu pastoribus, suaeque religionis muneribus et auxiliis expertes essent, suam tamen fidem mordicus retinere contenderunt; atque adeo, cum postea Societatis Iesu sodales, clam ac permutata veste, non sine gravi vitae discrimine eos idcirco adivissent, ut divina praecepta, hortamenta, solacia iisdem impertirent, summa eos cum laetitia ac pietate exceperunt.

Cum vero anno MDCCCXCV fuisset cuiusvis profitendae religionis libertas aliquatenus concessa, tum in Ruthenorum regionibus mirum quoddam laetumque spectaculum cernere fuit: catholici paene innumeri ex suis latebris in solem et pulverem processere, ac conferto agmine, elato crucis vexillo, sacrisque imaginibus propalam ad venerationem propositis, cum proprii orientalis ritus sacerdotes non haberentur, ad latini ritus templa — quorum aditus antea eis erat paenis gravissimis interdictus — gratas Deo concinentes laudes se contulerunt, ibique a legitimis Ecclesiae administris efflagitarunt ut, patefactis ianuis, eos eorumque fidei professionem reciperent, itemque eorum nomina in catholicorum album relata recenserentur. Atque ita factum est, ut brevi tempore ad duo centena milia christifideles rite in Ecclesiam reciperentur.

Attamen, neque recentioribus hisce annis causa defuit, cur Episcopi, sacerdotes fidelesque greges eorum animi fortitudinem atque constantiam demonstrarent in catholica retinenda fide, tuenda Ecclesia, eiusque sacra defendenda libertate. Quorum ex numero placet heic peculiari honoris titulo recolere Metropolitam Andream Szeptyckyj, qui, primo saeviente Europae bello, cum Galicia fuisset a Russorum exercitibus occupata, e sua sede detrusus et in coenobium deportatus, ibi certo saltem tempore in custodia loco detentus est; ibique nihil magis optabat, quam ut impensissimam suam erga Apostolicam Sedem venerationem testaretur, ac pro suo grege, cuius in salutem iam diu suas vires suasque curas impenderat, martyrium etiam, si opus esset, divina suffultus gratia, libenter faceret.

III

Iam vidimus, Venerabiles Fratres, ex rerum gestis ad historiae fidem breviter per has Litteras relatis, quot quanta emolumenta ac bona Ruthenae genti obvenerint ex sua cum catholica Ecclesia coniunctione. Nec mirum sane: nam, si in Christo « complacuit omnem plenitudinem inhabitare »¹⁰⁷, hac eadem plenitudine is profecto frui nequit, qui ab Ecclesia, « quae est corpus ipsius »¹⁰⁸ seiunctus sit, quia, ut Decessor Noster ven. mem. Pelagius II asseverat: « quicumque in pace et unitate Ecclesiae non fuerit, Deum habere non poterit »¹⁰⁹. Ac vidimus etiam dilectum hunc Ruthenorum populum multas debuisse, ut

¹⁰⁷ *Col.*, I, 19.

¹⁰⁸ *Ephes.*, I, 23.

¹⁰⁹ *Epistola ad Episcopos Istriae, Acta Conc. Oecum.*, IV, II, 106.

suam pro viribus defenderet catholicam unitatem, rerum angustias, iacturas vexationesque tolerare, e quibus tamen providentissimus Deus, non semel restituta pace, eum feliciter liberavit.

In praesens autem, summo cum paterni animi angore cernimus novam acerrimamque huic Ecclesiae impendere procellam. Nuntii, qui ad aures Nostras perferuntur, etsi pauci, satis tamen habent cur sollicitudine Nos afficiant, anxitudine repleant. Anniversarius volvitur dies, quo, CCCL abhinc annis antiquissima haec christianorum communitas supremo Pastori suo Beatique Petri Successori laetis auspiciis coagmentata est; at hic idem dies factus est Nobis « dies tribulationis et angustiae, dies calamitatis et miseriae, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulae et turbinis »¹¹⁰.

Magno enim cum maerore accepimus illis in regionibus, quae nuper Russiarum dicioni attributae sunt, carissimos Nobis e Ruthenorum gente fratres ac filios propter suam erga Sedem Apostolicam fidelitatem gravibus affici angustiis; neque deesse qui omni ope allaborent, ut eos ab Ecclesiae Matris gremio abstrahant, et ad dissidentium ineundam societatem invitos ac contra sanctissimi officii conscientiam adducant. Ita Rutheni ritus clerus, ut affertur, in litteris ad rei publicae moderatores datis, conquestus est quod sua Ecclesia in Ucraina occidentali, ut hodie vocatur, in difficillimis rerum condicionibus posita sit. propterea quod omnes Episcopi atque ex suis sacerdotibus multi comprehensi sint, unaque simul prohibitum sit ne quis eiusdem Ruthenae Ecclesiae regimen suscipiat.

Haud sane ignoramus, Venerabiles Fratres, eiusmodi asperitates acerbitatesque politicis ex causis, specie quidem, probari. Quae tamen agendi ratio non nova est, neque hodie primum usurpata: pluries enim per saeculorum decursum Ecclesiae inimici, cum palam confiteri non essent ausi catholicam se religionem hostiliter habere eamque aperte divexare, callide vaferrimeque catholicos ideirco insimularunt, quasi contra rem publicam aliquid molirentur; eodem quippe modo, quo olim Iudaei Divinum ipsum Redemptorem coram Praeside Romano criminati sunt dicentes: « Hunc invenimus subvertentem gentem nostram, et prohibentem tributa dare Caesari »¹¹¹. Sed res ipsae atque eventus facile declarant in suaque luce ponunt quaenam fuerit ac sit harum saevitiarum causa. Quis enim ignorat Alexium Patriarcham, nuper a dissidentibus Russiarum Episcopis delectum, in litteris Ruthenae Ecclesiae datis — quae non parum ad eiusmodi insectationem ineundam contulere — defectionem ab Ecclesia catholica aperte efferre ac praedicare?

Hae autem acerbitates eo vel acrius Nos feriunt, Venerabiles Fratres, quod universae fere terrarum orbis Nationes cum per legatos suos in unum convenissent, dum immane adhuc saeviebat bellum, hoc in sollempni coetu inter alia edixere adversus religionem numquam fore insectationem suscipiendam. Quod quidem spem Nobis iniecerat pacem debitamque libertatem catholicae quoque Ecclesiae ubique concessum iri, eo vel magis quod eadem perpetuo docuit ac docet civili auctoritati, legitime constitutae, quae in suae dicionis ordine ac terminis praecipiat, semper esse ex officii conscientia obtemperandum. At eventus, proh dolor, quos supra scribendo attigimus, spem ac fidu-

¹¹⁰ SOPH., I, 15.

¹¹¹ LUC., XXIII, 2.

ciam hanc Nostram tam graviter, tam amare — ad Ruthenorum regiones quod attinet — infirmarunt ac paene praeciderunt.

Hisce igitur gravissimis calamitatibus cum humanae opes impares videantur, nihil aliud superest, Venerabiles Fratres, nisi ut misericordissimum Deum, qui « faciet... iudicium inopis et vindictam pauperum »¹¹², enixe imploremus, ut velit ipse benignus asperrimam eiusmodi tempestatem sedare eique tandem finem imponere. Sed vos ac creditum vobis gregem etiam atque etiam adhortamur, ut una Nobiscum, supplicibus adhibitis precibus piisque paenitentiae operibus, ab eo contendatis, cuius superna luce hominum mentes collustrantur supernoque nutu eorum flectuntur voluntates, ut parcat populo suo et ne det hereditatem suam in opprobrium¹¹³, utque quam primum Ruthenorum Ecclesia ex hoc detrimentoso discrimine libera emergat.

At peculiari modo hisce in afflictis trepidisque rebus paternus animus Noster ad eos convertitur, qui iisdem tam acriter, tam acerbe premuntur. Ad vos imprimis, Venerabiles Fratres, Ruthenae gentis Episcopi, qui, quamvis magnis asperitatibus excruciatii sitis, magis tamen ob vestrorum gregum salutem, quam ob iniurias ac mala vobis illata, gravati ac solliciti estis, secundum illud: « Bonus pastor animam suam dat pro ovibus suis »¹¹⁴. Etsi praesentia obscura sunt, ac futura incerta et anxitudinum plena, ne tamen deficiatis animo, sed « spectaculum facti... mundo et angelis et hominibus »¹¹⁵ ita eniteatis, ut patientiam virtutemque vestram christifideles omnes in exemplum intueantur. Hostilem eiusmodi insectationem fortiter constanterque ferentes ac divina in Ecclesiam caritate flagrantis, facti estis « Christi bonus odor... Deo in iis, qui salvi fiunt, et in iis, qui pereunt »¹¹⁶. Quodsi, cum in vinculis sitis a vestrisque filiis seiuncti, sanctae religionis praecepta iisdem impertiendi facultas vobis non datur, ipsa tamen vincula vestra plenius altiusque Christum nuntiant ac praedicant.

Vos dein paterne alloquimur, dilecti filii, qui sacerdotio insigniti, Christi, « qui passus est pro nobis »¹¹⁷ propius vestigia sequi, atque adeo prae ceteris certaminis impetum ferre ac sustinere debetis. Dum calamitates vestrae tam vehementer Nos afficiunt, laetamur tamen quod Nobis licet, Divini Redemptoris verba mutuantes, ita plerosque ex vobis affari: « Novi opera tua et fidem et caritatem tuam et ministerium et patientiam et opera tua novissima plura prioribus »¹¹⁸. Pergite, hortamur, luctuosis hisce temporibus firmi constantesque perstare in fide vestra; pergite sustinere debiles, vacillantesque fulcire. Monete, quatenus opus est, commissos vobis christifideles haudquaquam licere, ne extrinsecus quidem vel ore tenus, Christum suamque Ecclesiam negare vel deserere; ac callidas eorum artes detegite, qui hominibus terrena commoda auctioremque in praesenti vita felicitatem pollicentur, dum eorum animos perdunt. Exhibete vosmet ipsos « sicut Dei ministros in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in angustiis... in castitate, in scientia, in longani-

¹¹² Ps., CXXXIX, 13.

¹¹³ Cfr. *Ioel.*, II, 17.

¹¹⁴ *JOAN.*, X, 11.

¹¹⁵ *I Cor.*, IV, 9.

¹¹⁶ *I Petr.*, II, 21.

¹¹⁷ Cfr. *I Cor.*, IV, 1.

¹¹⁸ *Apoc.*, II, 19.

mitate, in suavitate, in spiritu sancto, in caritate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei, per arma iustitiae a dextris et a sinistris »¹¹⁹.

Vos denique alloquimur Ruthenae Ecclesiae catholicos universos, quorum dolores rerumque angustias paterno participamus animo. Haud ignoramus gravissimas fidei vestrae parari insidias. Quin immo timendum esse videtur, ne forte proximis temporibus aerumnae vel maiores iis superveniant, qui sacrosanctum religionis officium proderere non consentiant. Quapropter iam nunc, dilectissimi filii, vose enixe in Domino adhortamur, ut nullis comminationibus nullisque detrimentis perterriti, ac ne exsilii quidem periculo ipsiusque vitae discrimine permoti, fidem vestram vestramque erga Ecclesiam Matrem fidelitatem eiuretis numquam. Etenim, ut probe nostis, de thesauro agitur in agro abscondito, quem qui invenerit homo, « abscondit, et prae gaudio illius vadit et vendit universa, quae habet, et emit agrum illum »¹²⁰. Ac recordemini quid Divinus ipse Redemptor in Evangelio dixerit: « Qui amat patrem aut matrem plus quam me, non est me dignus; et qui amat filium aut filiam super me, non est me dignus. Et qui non accipit crucem suam et sequitur me, non est me dignus. Qui invenit animam suam, perdet illam; et qui perdidit animam suam propter me, inveniet eam »¹²¹. Cui quidem divinae sententiae illud adicere placet Apostoli gentium: « Fidelis sermo: nam si commortui sumus, et convivemus; si sustinebimus, et conregnabimus; si negaverimus, et ille negabit nos; si non credimus, ille fidelis permanet, negare se ipsum non potest »¹²².

Paternam hanc adhortationem Nostram, dilecti filii, nullo Nos aptiore modo confirmare ac concludere posse putamus, nisi hisce eiusdem Apostoli gentium admonitionibus: « Vigilate, state in fide, viriliter agite, et confortamini »¹²³. « Obedite praepositis vestris »¹²⁴ Episcopis et sacerdotibus cum ad salutem vestram ac secundum Ecclesiae praescripta vobis praecipiant; iis omnibus, qui fidei vestrae quovis modo insidiantur, strenui resistite, « solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis. Unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestrae »¹²⁵. Atque in mediis maeroribus angoribusque omne genus, mementote « quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis »¹²⁶. « Fidelis autem Deus est, qui confirmabit vos, et custodiet a malo »¹²⁷.

Futurum autem omnino confisi, ut hortationibus hisce Nostris, divina adspirante iuvanteque gratia, fortes volentesque respondeatis, meliora vobis ac tranquilliora tempora a misericordiarum Patre Deoque totius consolationis¹²⁸ ominarum, supplicesque precamur.

Caelestium interea munerum auspicem, Nostraeque benevolentiae testem, cum vobis singulis, Venerabiles Fratres, vestrisque gregibus, tum peculiaris-

¹¹⁹ *II Cor.*, VI, 4 ss.

¹²⁰ *MATTH.*, XIII, 44.

¹²¹ *MATTH.*, X, 37 ss.

¹²² *II Tim.*, II, 11 ss.

¹²³ *I Cor.*, XVI, 13.

¹²⁴ *Hebr.*, XIII, 17.

¹²⁵ *Ephes.*, IV, 34.

¹²⁶ *Rom.*, VIII, 18.

¹²⁷ *II Thess.*, III, 3.

¹²⁸ *Cfr. II Cor.*, I, 3.

simo modo Ruthenae Ecclesiae Episcopis, sacerdotibus universisque christi-
fidelibus, Apostolicam Benedictionem effuso animo impertimus.

Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die XXIII mensis Decembris, anno
MDCCCXXXV, Pontificatus Nostri septimo.

PIUS PP. XII

1108.

Romae, 30 . VIII . 1946

*Sacerdos Daniel Ivancho nominatur Episcopus tit. Europensis, et deputatur
Coadiutor cum futura successione Basilio Takach, Exarchae Pittsburgensi
pro fidelibus ruthenis in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis.*

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 172/46, vol. LXXII, nr. 21.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Danieli Ivancho, Byzanti-
thini Ruthenorum ritus Presbytero ¹²⁹, ecclesiae S. Mariae in Cleveland urbe
Parocho, electo Episcopo titulari Europensi et Coadiutori cum futura succes-
sione hodierni Exarchae Apostolici Ruthenorum Subcarpatiae in Foederatis
Americae Septentrionalis Statibus degentium, salutem et Apostolicam bene-
dictionem.

Commissum humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum Principe supremi
Apostolatus officium, quo universo christiano orbi praesidemus, onus Nobis
imponit diligentissime curandi ut ad quamlibet Ecclesiam, sive suo viduatam
Pastore, sive suo quidem Praesule provisum, qui tamen in suo pastoralis munere
obeundo prorsus indigeat auxilio, talis eligatur Antistes, qui sibi creditum
dominicum gregem salubriter pascere regere et gubernare sciat ac valeat.

Cum itaque Venerabilis frater Basilius Takach ¹³⁰, Exarcha Apostolicus
Ruthenorum Subcarpatiae, in Foederatis Americae Septentrionalis Statibus de-
gentium, pastorale sibi creditum munus ob male affectam valetudinem, ea qua
par est sollertia amplius exercere non valeat et ideo a Nobis postulaverit
Episcopum Coadiutorem sibi dari, Nos, de animarum bono quam maxime sol-
liciti, eius precibus libenter annuere, et, consilio cum Venerabili fratre Nostro
S.R.E. Cardinale S. Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis, collato,
tibi munus illud concedere statuimus.

Apostolicae igitur Nostrae potestatis plenitudine, te eidem Basilio Exar-
chae, quoad vixerit et suae Exarchiae praefuerit, Coadiutorem in ipsius Exar-
chiae regimine et administratione, in spiritualibus ac temporalibus cum futu-
rae ad illam successionis iure renunciamus et constituimus, tibi que propterea

¹²⁹ Daniel Ivancho, natus in Yasin, in Eparchia Munkacsiensi, die 30.III.1908; sacer-
dos vero ordinatus die 30.IX.1934, ad cathedram tit. Europensem electus die 30.VIII.1946,
consecratus Episcopus die 5.XI.1946, et Coadiutor designatus Basilii Takach, Exarchae
Apostolici pro fidelibus Ritus Rutheni in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis,
oriundis ex Ucraina Carpatia. Successit Coadiuto anno 1948, die 14 Maii. Cfr. supra,
nota 65.

¹³⁰ Cfr. supra, nota 65, ultimo posita, p. 543.



Ex audientia peregrinorum ucrainorum occasione Anni Sancti MCML.
Episcopus Joannes Bučko salutatur a Pium PP. XII, in Basilica S. Petri, die 20.IX.1950

omnes tribuimus facultates et potestates, una cum adnexis oneribus et obligationibus, ad huiusmodi Coadiutores de iure spectantes; statuimus igitur ut, Exarchiae praedictae quamcumque ob causam vacanti iam ex nunc de tui persona provisum sit tuque illi Exarcha praefectus sis ac Pastor.

Quo autem tu pastorale hoc munus salubrius et utilius exercere valeas, te episcopali characterē ac dignitate insignire volentes, te ad titularem Ecclesiam episcopalem Europensem, titulari Ecclesiae Metropolitanae Hieropolitanae in Syria Euphratensi Prima suffraganeam, per Venerabilis fratris Francisci Constantis Kramer Episcopi ad Cathedralem Ecclesiam Lunganensem translationem in praesenti vacantem, eadem Apostolica Nostra auctoritate eligimus eiusque tibi titulum assignamus una cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus sublimi huic dignitati inhaerentibus.

Volumus vero ut tu, antequam episcopalem consecrationem recipias et Coadiutoris tibi commissi muneris canonicam capias possessionem, in manibus alicuius, quem malueris, catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, fidei catholicae professionem ac sueta iuramenta iuxta formulas pro Orientalibus praescriptas emittere, harumque exemplaria, tui dictique Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali quantocius transmittere omnino tenearis.

Tuae insuper maiori commoditati prospicientes indulgemus ut extra Urbem libere et rite Episcopus consecrari queas a quem malueris tui ritus Antistite, gratiam et communionem cum Apostolica Sede habente, assistentibus ei duobus eius ritus Presbyteris, in ecclesiastica dignitate vel officio constitutis, dummodo vero desint duo alli ipsius ritus Episcopi, eandem gratiam et communionem cum Apostolica Sede et ipsi habentes, qui Antistiti consecranti assistere possint.

Venerabili itaque fratri Antistiti, quem ad hoc tu elegeris, episcopalem consecrationem tibi iuxta tuum ritum et disciplinam etc. per easdem praesentes litteras committimus. Stricte vero praecipimus ut, nisi prius quae supra diximus fidei professionem et iuramenta emiseris, nec tu consecrationem ipsam recipere audeas, nec eam tibi impertiatur Antistes a te electus, sub poenis, si huic Nostro praecepto contraveneritis, iure statutis.

Dilectis autem filiis Clero et populo tuae iurisdictioni subiectis in Domino mandamus ut ipsi te, futurum suum Exarcham, tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote recipientes ac debito prosequentes honore, salubribus tuis monitis et mandatis, Coadiutoris officio etiam durante, obedientiam praesentent tibi que reverentiam exhibeant, ita ut tu eos devotionis filios, et illi te patrem benevolum invenisse gaudeatis.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus fore ut, dextera Domini tibi assistente propitia, Exarchia ista, modo etiam te cum hodierno Exarcha cooperante, per tuam pastoralem sollicitudinem et indefessum studium regatur utiliter et maiora in dies in spiritualibus ac temporalibus suscipiat incrementa.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo sexto, die trigesima Augusti mensis, Pontificatus Nostri Anno octavo.

1109.

Romae, 2 . I . 1947

Provisio Ecclesiae tit. Midilensis in persona Basili Hopko, cum Coadiutoria Ecclesiae Fragopolitanae (Prjašivensis).

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 4/47, volt. 72, nr. 77.

Midilensis (Fragopolitana).

Electio Episcopi titularis, in Auxiliarem hodierni Episcopi Fragopolitani.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Basilio Hopko¹³¹, ritus Byzantini Ruthenorum Presbytero, Nostro Intimo Cubiculario, in Seminario Fragopolitano S. Theologiae Professore, in Episcopum titularem Midilensem et in hodierni Episcopi Fragopolitani Ruthenorum Auxiliarem electo, salutem etc.

Pro commisso humilitati Nostrae etc. ut Sacrorum Antistites ii potissimum, qui diocesibus praesint territorii amplitudine ac fidelium frequentia praestantibus, habeant aliquando ob iustas causas Auxiliares Episcopos, qui pastoralis suo munere obeundo validum sibi queant adiuventum praestare. Quibus Episcopis solet Apostolica Sedes aliquem ex illarum Ecclesiarum titulis conferre, quae virtutum splendore et religionis prosperitate olim floruerunt, etsi modo temporum vicissitudine et iniuria pristinam amiserint fulgentem gloriam.

Cum itaque Venerabilis frater Paulus Gojdič, Episcopus Fragopolitanus¹³², ab hac Apostolica Sede postulaverit ut, ad Ecclesiae sibi commissae regimini in hisce praesertim rerum adiunctis melius providendum, Episcopus Auxiliaris sibi datur, Nos, de animarum bono quam maxime solliciti, cum Venerabili fratre Nostro S.R.E. Cardinale S. Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis collato consilio, praefatis praecibus annuendum censuimus teque praedicti Pauli Episcopi Auxiliarem supra Nostra auctoritate renunciamus et constituimus, ut de ipsius licentia pontificalia exercere ceteraque pastoralia munera in urbe ac tota diocesi Fragopolitana obire possis ac valeas.

Te insuper ad titularem Ecclesiam episcopalem Midilensem in Numidia provincia, per Venerabilis fratris Joannis O'Shea ad cathedralem Ecclesiam Canceuvensem translationem in praesenti vacantem, eadem apostolica Nostra auctoritate eligimus eiusque tibi titulum assignamus una cum omnibus iuribus etc. inhaerentibus.

Volumus vero, ut ceteris quoque impletis de iure servandis antequam episcopalem consecrationem etc. (*ut sub data 25.XI.1939*) omnino tenearis.

Tuae insuper maiori commoditati etc. (*ut sub data 3.III.1948, Andreae Roboreckyj*) dummodo ipsi habeant gratiam et communionem Sedis Apostoli-

¹³¹ Basilius Hopko, natus in Hrabske, in Eparchia Prjašivensi, die 21.IV.1904, sacerdos ordinatus die 3.II.1929, electus ad Sedem tit. Midilensem die 9.XI.1946, praeconisatus 2.I.1947, consecratus Episcopus die 11.V.1947. Onno 1951 in carcerem detrusus in odium nominis catholici, vitamque Confessoris degit loco ignoto.

¹³² Cfr. supra, nota 72, ultimo posita in pagina 548.

cae. Venerabili itaque fratri Antistiti etc. committimus. Stricte vero praecipimus etc. iure statutis.

Firmam autem spem fiduciamque etc. incrementa.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo septimo, die secunda Januarii mensis, Pontificatus Nostri Anno octavo.

G. Stara Tedde, Ad. a St. confecit 9-10 Jan. 147.

Revisa die 11 Jan. 147 A. Liberati, Ad. a Stud.

Adnotatio Cancellariae:

Bullas contulerunt: G. Stara Tedde - Al Trussardi.

Bullas subscripserunt: Pro S.R.E. Cancellario Emin. Card. Decanus
L. Kaas - F. H. Ferretti - A. Liberati.

Expedita die 17 Januarii, Anno octavo.

Plumbator: A. Marini.

Reg. in Canc. Ap. vol. 72, nr. 77. - Al. Trussardi.

1110.

Romae, 3 . III . 1948

Litterae Apostolicae Pii PP. XII, quo Exarchatus Canadensis pro fidelibus Ritus Orientalis hucusque unicus in tres distinctos subdividitur.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 64/48, vol. 75, nr. 45.

Litterae Apostolicae, quibus unicus hucusque Exarchatus Apostolicus pro Ruthenis in Ditione Canadensi tripartito dividitur et tres exinde distincti Exarchatus: Centralis, Orientalis et Occidentalis pro Ruthenis constituuntur.

RUTHENORUM EXARCHATUS IN DITIONE CANADENSI.

Unicus hucusque Ruthenorum Exarchatus
in Ditione Canadensi tripartito dividitur.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

Omnium cuiusvis ritus christifidelium in quacumque orbis parte degentium suprema cura, Romanis Pontificibus divinitus commissa, exigit ut quae ad animarum salutem necessaria vel opportuna videantur, ea sedulo studio procurantur. Quo motus consilio Dei Servus Pius Papa Decimus, Praedecessor Noster, percrenentibus in dies Ruthenis byzantini ritus fidelibus e patriis regionibus in Canadensem Ditionem immigrantibus, libenter excipiens illius regionis Antistitum preces, qui expostulaverant ut spiritali Ruthenorum illorum regimini iuxta eorum ritum et disciplinam adaequate prospiceretur, per Apostolicas litteras, die quinta decima Julii mensis, anno milesimo nongentesimo duodecimo datas, pro Ruthenis in Canadensi ditione commorantibus episcopalem Ordinariatum, seu Exarchatum constituit¹³³; cui postea ab Apos-

¹³³ Cfr. supra, 1042, p. 508.

tolica Sede opportuna normae per Decretum *Fidelibus Ruthenis* diei decimae octavae Augusti mensis, insequentis anni, atque per Decretum alterum *Graeci-Rutheni ritus*, diei vigesima quartae Maii mensis, anno millesimo nongentesimo trigesimo, traditae sunt.

Quum vero nunc etiam Rutheni in Canadensi ditione et numero et merito aucti sint, Nos, non minus quam Praedecessores Nostri de eorum spirituali salute solliciti, praehabito favorabili voto Venerabilis fratris Ildebrandi Antoniutti¹³⁴, Archiepiscopi titularis Synnadenensis, in Canadensi ditione Delegati Apostolici, de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium S. Congregationi pro Ecclesia Orientali praepositorum consilio, suppleto, quatenus opus sit, quorum intersit vel eorum qui sua interesse praesumant consensu, re mature perpensa ac certa scientia, de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine, unicum hucusque episcopalem Ordinariatum seu Exarchatum pro Ruthenis in Canadensi ditione degentibus in tres dividimus partes, quarum una Exarchatum Apostolicum Ruthenorum *Ditionis Canadensis Centralis* efformabit, cuius sedes in *Winnipeg* urbe, ubi hucusque erat praefati unici Exarchatus sedes, etiam in posterum manebit; eiusque Exarchatus super Ruthenos, in civilibus provinciis vulgo *Manitoba* et *Saskatchewan* et in finitimis septentrionalibus regionibus commorantes, iurisdictionem habebit; illius vero cathedram in ecclesia SS. Wladimiri et Olga, in eadem *Winnipeg* urbe extante figimus.

Alter pars Exarchatum Apostolicum *Ditionis Canadensis Orientalis* efformabit; cuius sedes erit in *Toronto* urbe; eiusque Antistes super Ruthenos, in civilibus provinciis vulgo *Ontario*, *Quebec*, *New Brunswick*, *Nova Scotia*, *Prince Edward Island*, *New Foundland* et *Labrador* extantes iurisdictionem exercebit; illiusque cathedram in ecclesia S. Josaphat, in *Toronto* urbe sita, statuimus.

Tertia vero complectetur Exarchatum Apostolicum *Ditionis Canadensis Occidentalis*, cuius sedes erit in *Edmonton* urbe; eiusque Exarcha subiecti erunt Rutheni degentes in civilibus provinciis vulgo *Alberta*, *British Columbia*, nec non in regionibus vulgo *Yukon* et in aliis regionibus, quae septentrionem versus Oceanum Arcticum attingunt; atque illius cathedram in Ecclesia S. Josaphat in praefata *Edmonton* urbe extante figimus.

Tres istos Exarchatus Nobis et Sedi Apostolicae immediate subiectos volumus; eorumque pro tempore Praesulibus curam, regimen et administrationem tum in spiritualibus tum in temporalibus suorum cuique Exarchatum plenarie committimus una cum omnibus iuribus, insignibus, privilegiis, nec non oneribus et obligationibus, ad normam sacrorum canonum et peculiaris Ruthenae Ecclesiae iuris, pastoralis eorum officio inhaerentibus.

Ut vero Exarchae intra fines sui exarchatus non iurisdictionis tantum sed ordinis quoque munera exercere valeant, ut Episcopi in suis dioecesibus, characterem ac titulo episcopali insigniendi erunt, eisque propterea aliqua ex titularibus Ecclesiis conferenda.

Ecclesias porro quas supra memoravimus SS. Wladimiri et Olga in *Winnipeg* urbe, S. Josaphat in *Toronto* urbe et S. Josaphat in *Edmonton* urbe ad ecclesiae cathedralis gradum et dignitatem evehimus eisque idcirco omnia

¹³⁴ Hildebrandus Antoniutti, natus in Nimis, in Eparchia Udinensi, die 3.VIII.1898, ordinatus sacerdos die 5.XII.1920, electus ad Sedem tit. Synnadenensem die 19.V.1936, et consecratus 29.VI.1936.

concedimus iura, privilegia et praerogativas, quibus ceterae per orbem cathedrales Ecclesiae de iure fruuntur, dummodo iuxta probatum ritum ac legitimas consuetudines exercentur.

Exarchi autem eligendos curabunt sex aut saltem quatuor Consultores, qui sint sacerdotes pietate, prudentia ac doctrina commendati et in Ordinarii sede vel locis vicinioribus commorantes, quique Ordinario consilio et opera in Exarchatus regimine et administratione praesto sint, eique sacra solemniter celebranti assistere valeant.

Cum autem in Canadensi Ditione nondum habeatur Seminarium pro Ruthenis iuvenibus in spem Ecclesiae instituendis, volumus ut quam primum fieri poterit Exarchorum cura illud erigatur; interim vero Ordinarii Ruthenorum Episcopos latinos rogent ut in sua Seminaria iuvenes in sortem Domini vocatos admittant.

Exarchalis mensa, donec stabiles habeantur redditus, constituetur praestationibus ad instar cathedralitici, quas, ab Ordinariis, suis auditis Consultoribus, iuxta aequitatem statutas, singulae cuiusque Paroeciae et communitates solvere debent, nec non oblationibus fidelium, in quorum bonum Exarchati erecti sunt.

De ceteris omnibus, utpote de clericorum iuribus et oneribus, de controversiis, si quae exoriantur, inter Exarchos et latinos Antistites, de byzantino ritu in sacris functionibus admissim adhibendo, servanda iubemus quae sacri canones et normae in quae supra memoravimus Decretis praescribuntur.

Decernimus insuper ut simul ac hae litterae Nostrae ad executionem demandatae fuerint, eo ipso omnes et singuli tum e clero saeculari, tum religiosi animarum curam habentes, Exarchatui illi censeantur adscripti, in cuius territorio actu legitime degunt. Volumus porro ut bona ecclesiastica, si quae sint, pertinere censeantur ad Exarchatum illum, in quo inveniuntur.

Mandamus denique ut omnia documenta et acta, quae binos nuper erectos novos Exarchatus respiciunt, ad istorum curias ex veteris unici exarchatus cancellaria quam primum fieri poterit transmittantur ut in earum archivis diligenter serventur.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta ad executionem mandanda Venerabilem quem supra diximus fratrem Delegatum Apostolicum in Canadensi Ditione deputamus eique omnes et singulas tribuimus facultates, etiam subdelegandi ad effectum de quo agitur quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus facimus authenticum peractae executionis actorum exemplar ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali quamprimum transmittendi.

Praesentes autem Litteras, singulis praefatis Exarchatibus Apostolicis expediendas, quas propterea triplici exarari exemplari iubemus, et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet, quorum intersit vel qui sua interesse praesumant, etsi specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari vel in controversiam vocari posse, sed eas tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetue validas existere et fore suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere, et, si secus super his a quoeumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter attentari contigerit, irritum prorsus et inane esse et

fore volumus ac decernimus; non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus, universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus, ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus.

Volumus denique ut harum litterarum transumptis vel excerptis, etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis et sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae hisce praesentibus tribueretur, si ipsaemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem has litteras Nostras dismembrationis, erectionis, constitutionis, subiectionis, concessionis, statuti, mandati, decreti, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei et beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, die tertia Martii mensis, Pontificatus Nostri Anno nono.

1111.

Romae, 3 . III . 1948

Episcopus tit. Jotanus, Nilus Savaryn, deputatur Exarcha pro Exarchatu Canadae Occidentalis.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 52/48, vol. LXXV, nr. 33.

PIUS EPISCOPUS Servus servorum Dei. Venerabili fratri Nilo Nicolao Savaryn, Ordinis S. Basilii Magni Congregationis Ruthenae, Episcopo titulari Jotano, in Exarchum Apostolicum pro fidelibus Ruthenis byzantini ritus in Ditione Canadensi Occidentali commorantibus electo¹³⁵, salutem et Apostolicam benedictionem.

Commissum humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum Principe supremi Apostolatus officium, quo universo christiano orbi praesidemus, onus Nobis imponit diligentissime curandi ut Ecclesiis omnibus, cuiusvis ritus, tales praeficiantur Antistites, qui sibi creditum dominicum gregem salubriter pascere, regere et gubernare sciant ac valeant.

Cum itaque Exarchatus Apostolicus pro fidelibus Ruthenis byzantini ritus in Ditione Canadensi Occidentali degentibus, Apostolicis sub plumbo litteris *Omnium cuiusvis ritus* hac ipsa die datis erectus, suo sit nunc providendus Pastore, Nos, de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium S. Congregationi pro Ecclesia Orientali praepositorum consilio, te in Exarchum Apostolicum eiusdem Exarchatus suprema Nostra auctoritate renunciamus et constituimus illiusque curam, regimen et administrationem tum in spiritualibus tum in temporalibus tibi plenarie committimus, una cum omnibus iuribus, facultatibus et potestatibus necnon omnibus obligationibus pastoralibus huic officio

¹³⁵ De hoc Exarcha cfr. notam 92, ultimo positam.

inhaerentibus, servatis normis in praefatis de huius Exarchatus erectione litteris statutis.

Volumus autem et mandamus ut, antequam Exarchatus tibi commissi canonicam possessionem capias, in manibus alicuius, quem malueris, catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, fidei catholicae professionem ac praescriptum fidelitatis iuramentum iuxta formulas pro Orientalibus statutas emittere harumque exemplaria, tui dictique Antistitis subscriptione et sigillo munita, ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali quamprimum transmittere omnino tenearis.

Dilectis autem filiis, Clero et populo Exarchatus tibi crediti, in Domino mandamus ut illi te, electum suum Ordinarium, tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote recipientes ac debito prosequentes honore, salubribus tuis monitis et mandatis obedientiam praestent, ita ut eos tu devotionis filios, illi te patrem benevolum invenisse gaudeatis.

Volumus denique ut tui ipsius cura hae litterae Nostrae publice ab ambone in Cathedrali Ecclesia perlegantur, quum primus post eas acceptas advenerit dies festus de praecepto recolendus.

Firmam autem spem fiduciamque certam concipimus te iugum Domini tuis impositum humeris prompta devotione suscipientem, pastoralis munere ita sollerter ac prudenter, Deo propitio, perfuncturum, ut Exarchatus pro Ruthenis Ditionis Canadensis Occidentalis regatur utiliter et maiora in dies in spiritualibus ac temporalibus suscipiat incrementa.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, die tertia Martii mensis, Pontificatus Nostri Anno nono.

1112.

Romae, 3 . III . 1948

Provisio Ecclesiae tit. Tanaitanae in persona Andreae Roboreckyj, cum deputatione in Auxiliarem Exarchae Canadae Centralis, Basilii Ladyka.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 54/48, vol. LXXV, nr. 35.

Tanaitana

(Exarchatus Apostolicus pro Ruthenis ditionis Canadensis Centralis).

Electio Episcopi titularis, in Episcopum Auxiliarem hodierni Exarchae Apostolici pro Ruthenis ditionis Canadensis Centralis insimul renuntiandi.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Andreae Roboreckyj¹³⁶, Sacerdoti Rutheno byzantini ritus, Ecclesiae S. Josaphat in Toronto urbe Parocho, in Episcopum titulare Tanaitanum et in Auxiliarem hodierni Exarchi Apostolici pro Ruthenis ditionis Canadensis electo, salutem et Apostolicam benedictionem.

¹³⁶ Andreas Roboreckyj, natus in Mosty Velyki, in Ucraina Occidentali, die 12.XII.1910; ordinatus sacerdos 18.VIII.1934, electus vero 14.II.1948, praeconsatus die 3.III.1948, et consecratus Episcopus die 27.V.1948. Anno vero 1951 promotus in Exarcham Apostolicum provinciae Saskatchewan. Cfr. infra, sub data 19.III.1951.

Pro commisso humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum Principe supremi Apostolatus officio, quo universo christiano orbi praesidimus curare quoque satagimus ut Sacrorum Antistitibus, iis potissimum qui dioecesibus praesint territorii amplitudine et fidelium frequentia praestantibus, Auxiliares Episcopi aliquando assignentur, qui in pastoralibus muneribus obeundis solidum sibi queant adiumentum praebere. Quibus propterea solet Apostolica Sedes aliquem ex illarum Ecclesiarum titulum conferre, quae virtutum splendore et religionis prosperitate olim floruerunt, etsi modo temporum vicissitudine et inuria pristinam amiserint fulgentem gloriam.

Nos itaque de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium S. Congregationi pro Ecclesia Orientali consilio, lubenti animo preces excipientes Venerabilis fratris Basilii Wladimiri Ladika¹³⁷, Exarchi Apostolici pro fidelibus Ruthenis in Ditione Canadensi centrali commorantibus, eum solerti donare adiutore in suo pastorali munere obeundo statuimus, teque tenore praesentium eius Auxiliarem suprema Nostra auctoritate renunciamus et constituimus, ut de ipsius consensu et licentia pontificalia exercere ceteraque pastoralia munera intra Exarchatus limites obire valeas.

Te insuper ad titularem Ecclesiam episcopalem Tanaitanam in Zechia provincia, per Venerabilis fratris Joseph Zoeisceusiün Episcopi ad Cathedralem Ecclesiam Iomnieninam translationem in praesenti vacantem, eadem Apostolica Nostra auctoritate eligimus eiusque tibi titulum assignamus una cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus sublimi huic dignitati inhaerentibus.

Volumus vero ut, antequam episcopalem consecrationem recipias, in manibus ipsius Exarchi fidei catholicae professionem ac praescripta iuramenta iuxta formulas pro Orientalibus statutas emittere, harumque exemplaria, tui dictique Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali quamprimum transmittere omnino tenearis.

Tuae insuper maiori commoditati prospicientes, tibi indulgemus ut extra Urbem libere et licite Episcopus iuxta tuum ritum et disciplinam consecrari queas, a quem malueris catholico Antistite eiusdem ritus, assistentibus ei duobus aliis catholicis Episcopis byzantini vel latini ritus, dummodo hi Episcopi gratiam omnes habeant et communionem cum Apostolica Sede. Venerabili itaque Fratri Antistiti quem ad hoc tu elegeris, episcopalem consecrationem tibi impertiendi munus ac mandatum per easdem praesentes litteras committimus. Stricto vero praecipimus ut, nisi prius quae supra diximus fidei professionem et iuramenta praestiteris, nec tu consecrationem ipsam recipere audeas, nec eam tibi impertiatur Antistes a te electus, sub poenis, si huic Nostro praecepto contraveneritis, iure statutis.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus Exarchiam pro Ruthenis ditionis Canadensis Centralis, te cum suo Antistite assidue cooperante, posse, Deo propitio, maiora in dies in spiritualibus ac temporalibus suscipere incrementa.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, die tertia Martii mensis, Pontificatus Nostri Anno nono.

G. Stara Tedde, Ad. a Studiis. Revisa: A. Liberati. Plumbator: A. Marini. Expedita 28 Maii, Anno decimo.

¹³⁷ Cfr. supra nota 74, ultimo posita, p. 550.

1113.

Romae, 3 . III . 1948

Provisio Ecclesiae tit. Amatusii in Cypro in persona Isidori Boreckyj, cum deputatione in Exarcham Canadae Orientalis pro fidelibus ucrainis ibi residentibus, et Ritus Orientalis in genere.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 53/48, vol. LXXV, nr. 34.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Isidoro Borecky¹³⁸, Ecclesiae S. Catharinae in oppido Brantford in Ontariensi provincia Parocho, in Exarchum Apostolicum pro Ruthenis Byzanthini ritus in ditione Canadensi Orientali commorantibus et in Episcopum titularem Amathusium in Cypro electo, salutem et Apostolicam benedictionem.

Commissum humilitati Nostrae ab aeterno Pastorum Principe supremi Apostolatus officium, quo universo christiano orbi praesidemus, onus Nobis imponit diligentissime curandi ut Ecclesiis omnibus, cuiusvis ritus, tales praeficiantur Antistites, qui vitae integritate, doctrinae aliarumque animi ingeniique dotum praestantia spem efferant indubiam fore, ut sibi creditum dominicum gregem salubriter pascere, regere et gubernare illumque in catholicae religionis puritate statuque pacifico servare sciant ac valeant.

Cum itaque Exarchatus Apostolicus pro fidelibus Ruthenis Byzanthini ritus in Canadensi Orientali ditione commorantibus, a Nobis Apostolicis sub plumbo litteris *Omnium cuiusvis ritus*, hac ipsa die datis, erectus, suo sit providendus Pastore, Nos de Venerabilium fratrum Nostrorum S.R.E. Cardinalium S. Congregationi pro Ecclesia Orientali praepositorum consilio, te ad Exarchatum illum suprema Nostra auctoritate eligimus eiusdemque Exarchum renunciamus et constituimus, illiusque curam, regimen et administrationem tum in spiritualibus tum in temporalibus tibi plenarie committimus, una cum omnibus iuribus, facultatibus et potestatibus, oneribus et obligationibus pastoralibus huic officio inhaerentibus, servatis normis, in praefatis Apostolicis litteris de huius Exarchatus erectione statutis.

Cum autem in iisdem litteris statutum sit ut Exarchus semper sit character ac titulo episcopali insigniendus, Nos te ad titularem Ecclesiam episcopalem Amathusiam in Cypro, titulari Ecclesiae Metropolitanae Salaminensi suffraganeam, per Venerabilis fratris Patritii Cleary Episcopi ad Cathedralem Ecclesiam Nancemensis translationem in praesenti vacantem, eadem Apostolica auctoritate eligimus eiusque tibi titulum assignamus, una cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus sublimi huic dignitati adnexis.

Volumus vero ut tu, antequam episcopalem consecrationem recipias et Exarchatus tibi crediti canonicam capias possessionem, in manibus alicuius, quem malueris, catholici Antistitis, gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentis, fidei catholicae professionem ac sueta iuramenta iuxta formulas pro Orientalibus praescriptas emittere harumque exemplaria, tui dictique

¹³⁸ Isidorus Boreckyj, natus in Ostrivei in Ucraina Occidentali, die 1.X.1911; ordinatus vero sacerdos die 17.VII.1938, electus in Episcopum tit. die 3.III.1948, et Exarcham Exarchatus Apostolici ucrainorum in Canada Orientali. Consecratus in Episcopum die 27.V.1948.

Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali quamprimum transmittere omnino tenearis.

Tuae insuper maiori commoditati prospicientes, tibi indulgemus ut extra Urbem libere et licite Episcopus iuxta tuum ritum et disciplinam consecrari queas, a, quem malueris, catholico Antistite eiusdem ritus assistentibus ei duobus aliis catholicis Episcopis byzanthini vel latini ritus, dummodo gratiam omnes isti habeant et communionem Sedis Apostolicae. Venerabili itaque fratri Antistiti, quem ad hoc tu elegeris, episcopalem consecrationem tibi impertiendi munus ac mandatum per easdem praesentes litteras committimus. Stricte vero praecipimus ut, nisi prius, quae supra diximus, fidei professionem et iuramenta emiseric, nec tu consecrationem ipsam recipere audeas, nec eam tibi impertiat Antistes a te electus, sub poenis, si huic Nostro praecepto contraveneris, iure statutis.

Dilectis autem filiis, Clero et populo tui Exarchatus, in Domino mandamus ut ipsi te, electum suum Exarcham, tamquam patrem et pastorem animarum suarum devote recipientes ac debito prosequentes honore, salubribus tuis monitis et mandatis obedientiam praestent, ita ut tu eos devotionis filios et illi te patrem benevolam invenisse gaudeatis.

Volumus vero ut tui ipsius cura haec litterae Nostrae publice ab ambone in cathedrali ecclesia perlegantur, quum primus post eas acceptas advenerit dies festus de praecepto recolendus.

Firmam autem spem fiduciamque concipimus te, iugum Domini tuis impositum humeris, prompta devotione suscipientem, tam indefesso studio pastorale munus obiturum ut Exarchatus tibi creditus maiora in dies, Deo propitio, in spiritualibus ac temporalibus suscipiat incrementa.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo quadragesimo octavo, die tertia Martii mensis, Pontificatus Nostri Anno nono.

G. Stara Tedde, Ad. a Studiis. Revisa: A. Liberati.

1114.

Romae, 15 . V . 1949

Littera Apostolica Pii PP. XII ad Exarcham Constantinum Bohachevsky, occasione eius iubilaei suscepti episcopatus.

The Ark, an. IV (1949), nr. 6-7, p. 122-124.

Venerabili fratri Constantino Bohacewskyj, Episcopo tit. Amiseno¹³⁹,
Exarcha Apostolico pro Catholicis Ruthenis e Galaecia Ritus Byzantini
in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis.

PIUS PP. XII. Venerabilis frater salutem et Apostolicam benedictionem.

Singularem animi delectationem tibi profecto afferet faustus dies, qui proxime illucescet, quum quintum supra vicesimum a suscepto episcopatu annum feliciter explebis. Ipsa enim bene factorum in obeundo pastorali officio suavis

¹³⁹ Cfr. supra, nota 29 et 63, ultimo posita.

recordatio, ipsa tuorum fidelium pietas ac veneratio iam sollertiae tuae fructus iucundissimi exstabunt. Te enim semper pastorem industriumque exhibuisti, nequae curae aut labori pepercisti, ut tuorum vitae ratio moresque, clero quidem praesente, ad evangelicam disciplinam magis in dies se conformarent. Imprimisque autem conditum clericorum Seminarium, religiose sodalitates ad fovenda exarchatus opera abs te arcessitae opibusque exstructae, plures scholae et alia caritatis instituta apte exaedificata, tot eiusdem nationis profugi, qui patria extorres per te stabile domicilium et efficacia auxilia in coacto exsilio invenerunt, pastoralis tuae sollicitudinis atque praeclare liberalitatis splendida sunt documenta. Nos igitur, Venerabilis frater, primam tuae faustitatis opportunitatem nacti, de episcopali munere tam diu fructuoseque gesto ex animo gratulamur et saluberrima dona ac solacia a Domino constanti prece ominamur. Quo vero auspiciati diei celebrationem augeamus, tui ultro potestatem damus, ut, statuta die, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, usitatis Ecclesiae conditionibus lucranda. Caelestis interea praesidii in auspiciis inque peculiaris Nostri amoris pignus, Apostolicam benedictionem tibi, Venerabilis frater, itemque Episcopo Auxiliari tuo laborumque sociis, cunctoque clero et fidelibus tuae vigilantiae traditis amantissime in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die xv mensis Maii, Anno MDCCCXXXIX, Pontificatus Nostri undecimo.

Pius PP. XII

1115.

Romae, 19 . III . 1951

Separatio partis Exarchatus Canadensis Centralis et erectio novi Exarchatus Provinciae Saskatchewan, cum delimitatione antiqui Exarchatus Centralis in Exarchatum Manitobensem.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 79/51, vol. LXXXI, nr. 37.

A Canadensis Centralis Exarchatus territorio pars seiungitur et novus erigitur Exarchatus Apostolicus, cui nomen:

**EXARCHATUS APOSTOLICUS PRO FIDELIBUS RUTHENIS
PROVINCIAE SASKATCHEWAN.**

Canadensis Centralis Exarchatus Apostolicus pro fidelibus ruthenis Provinciae Saskatchewan.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam.

De Ruthenorum in Canadensi Ditione degentium religioso bono solliciti, Nos, pro supremo quo fungimur munere, per Apostolicas sub plumbo litteras *Omnium cuiusvis ritus*, die tertia Martii mensis, anno millesimo nongentesimo quadragesimo octavo datas, Exarchatum Apostolicum in Canada tripartito divisimus et tres Exarchatus, centralem, orientalem et occidentalem, pro Ru-

thenis christifidelibus ibidem commorantibus ereximus et constituimus. In praesentiarum vero Ruthenorum populus in dies augeri videatur, praesertim in centrali Canadensi Ditione, Sacrae Congregationi pro Ecclesia Orientali, audita prius Venerabilis fratris Hildebrandi Antoniutti, Archiepiscopi titulo Synnadensis in Phrygia et in Canadensi Ditione Delegati Apostolici, omniumque Episcoporum Ruthenorum Canadensium et aliorum virorum in re peritorum favorabili sententia, perutile visum est Apostolico Exarchatu Ditionis Canadensis Centralis territorium distrahere ad novum Exarchatum erigendum.

Nos vero, audito Venerabili fratre Nostro S.R.E. Cardinali S. Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis, omnibus mature perpensis, et maius dominicis gregis bonum prae oculis habentes, certa scientia ac de Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine ab Exarchatu Apostolico Ruthenorum in Ditione Canadensi Centrali territorium separamus, cuius fines iidem erunt ac limites Provinciae *Saskatchewan* et territoria ad septentrionem exstantia, et illud in novum erigimus et constituimus Exarchatum Apostolicum pro fidelibus Ruthenis Provinciae *Saskatchewan* nuncupandum. Novi huius Exarchatus sedes erit in urbe *Saskatoon*: ecclesiam vero in honorem S. Georgii Deo dicatam in eadem urbe exstantem ad Ecclesiae Cathedralis gradum et dignitatem extolimus et illi omnia attribuimus iura, privilegia, honores ac praerogativas, quibus ceterae Cathedrales Ecclesiae fruuntur, itemque eos omnibus adstringimus oneribus et obligationibus, quibus ceteri, ad normam sacrorum canonum et peculiaris Ruthenae Ecclesiae iuris, adstringuntur.

Ut autem Exarchi intra fines sui Exarchatus non iurisdictionis tantum sed ordinis quoque munera exercere valeant, quemadmodum Episcopi in suis dioecesibus, caractere ac titulo episcopali condecorandi erunt, eisque propterea aliqua ex titularibus Ecclesiis ab Apostolica Sede conferenda. Novum insuper Exarchatum istum Nobis et Sedi Apostolicae immediate subiectum volumus. Decernimus porro ut qui Exarchatus Apostolicus Ditionis Canadensis Centralis iam appellabatur, in posterum vocetur Exarchatus Apostolicus pro fidelibus Ruthenis Provinciae Manitobae.

Statuimus insuper ut Exarchus eligendus curet sex aut saltem quatuor Consultores, sacerdotes pietate, prudentia ac doctrina commendatos, in Ordinarium sede vel vicinioribus locis commorantes, qui sibi praesto sint consilio et opera in Exarchatus regimine et administratione, sibi que sacra solemniter celebranti adesse valeant.

Exarchatus mensa, donec stabiles habeantur redditus, constituetur tributis ad instar cathedratici, quae Ordinarius, suis auditis Consultoribus, aequae statuet, ac singulae Paroeciae et communitates solvent, atque collationibus fidelium, in quorum bonum Exarchatus erectus est. Optamus insuper ut, quoad Seminarium pro omnibus Ruthenis iuvenibus e Canadensi Ditione in spem Ecclesiae instituendis erigi poterit, Exarchi cura parvum saltem Seminarium in novo Exarchatu quamprimum fas erit constituatur.

De ceteris autem omnibus, utputa de clericorum et fidelium iuribus et oneribus, de controversiis, si quae exoriantur, inter Exarchum et Latinos Antistites, de byzantino ritu in sacris caerimoniis admissim adhibendo, servanda iubemus quae sacri canones et normae ab Apostolica Sede iam statutae praescribunt. Decernimus insuper ut simul ac hae litterae Nostrae ad executionem demandatae fuerint, eo ipso omnes et singuli tum e clero saeculari tum religiosi non exempti utriusque sexus in provincia Manitobae et Saskatchewan

commorantes, ad illum Exarchatum Apostolicum pertinere censeantur, in quo quisque actu degit; sicut etiam bona ecclesiastica.

Mandamus porro ut omnia documenta et acta, quae novum hunc Exarchatum respiciunt, ad istius Curiam a veteris Exarchatus Cancellaria quam primum fieri poterit transmittantur, ut in eius archivo diligenter serventur.

Ad quae omnia uti supra disposita et constituta exsequenda Venerabilem quem supra memoravimus fratrem in Canada Delegatum Apostolicum vel illum qui in executionis actu Delegationi praesit, delegamus eique omnes et singulas tribuimus facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, eidemque onus facimus authenticum peractae executionis actorum exemplum ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali quamprimum transmittendi.

Praesentes autem litteras et in eis contenta quaecumque, etiam ex eo quod quilibet quorum intersit, vel qui sua interesse praesumant, etiam si specifica et individua mentione digni sint, auditi non fuerint, vel praemissis non consenserint, nullo unquam tempore de subreptionis, vel obreptionis aut nullitatis vitio, seu intentionis Nostrae, vel quolibet alio, licet substantiali et inexcogitato defectu notari, impugnari, vel in controversiam vocari posse, sed eas, tamquam ex certa scientia ac potestatis plenitudine factas et emanatas, perpetuo validas existere et fore, suosque plenarios et integros effectus sortiri et obtinere, atque ab omnibus ad quos spectat inviolabiliter observari debere; et, si secus super his a quocumque, quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum prorsus et inane esse ac fore volumus et decernimus, non obstantibus, quatenus opus sit, regulis in synodalibus, provincialibus, generalibus universalibusque Conciliis editis, generalibus vel specialibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis et quibusvis aliis Romanorum Pontificum, Praedecessorum Nostrorum, dispositionibus ceterisque contrariis, etiam speciali mentione dignis, quibus omnibus per praesentes derogamus.

Volumus denique ut harum litterarum transumptis vel excerptis etiam impressis, manu tamen alicuius notarii publici subscriptis, ac sigillo viri in ecclesiastica dignitate vel officio constituti munitis, eadem prorsus tribuatur fides, quae praesentibus litteris tribueretur, si ipsemet exhibitae vel ostensae forent. Nemini autem hanc paginam dismembrationis, erectionis, constitutionis, concessionis, subiectionis, statuti, mandati, delegationis, derogationis et voluntatis Nostrae infringere vel ei contraire liceat. Si quis vero id ausu temerario attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Apostolorum Petri et Pauli se noverit incursum.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die undevicesima mensis Martii, in festo S. Joseph, Pontificatus Nostri Anno tertio decimo.

Adnotatio Cancellariae Ap.:

A. Liberati confecit dieb. 13-14 Aprilis 1951.

Recognovit: H. Tondini, 16.IV.1951.

Bullas contulerunt: A. Liberati, G. Stara Tedde, Al. Trussardi.

Bullas subscripserunt: † Eugenius Card. Tisserant, S. Collegii Decanus.

† Clemens Card. Micara, A. Carinci, A. Mazzoni, Mons. Reggente,
A. Liberati.

Expedita die 26 Aprilis, Anno tertio decimo.

Plumbator: A. Marini.

Reg. in Cancellaria Ap. vol. 81, nr. 37. - A. Trussardi.

(in duplici copia originali)

1116.

Romae, 19 . III . 1951

Provisio Ecclesiae tit. Sinnensis in persona P. Maximi Hermaniuk, ex Congregatione SS. Redemptoris, cum deputatione in Auxiliarem Exarchae Manitobensis, Basilii Ladyka.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 80/51, vol. LXXXI, nr. 38.

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Dilecto filio Maximo Hermaniuk¹⁴⁰, Congregationis SS. Redemptoris alumno, ritus byzantini Presbytero, electo Episcopo titulo Sinnensi et hodierni Exarchi fidelium Ruthenorum in Manitoba Provincia Canadensis Ditionis Auxiliari, salutem et Apostolicam benedictionem.

Pro supremo quo fungimur Apostolatus officio illud quoque curare studemus ut Sacrorum Antistites habeant, si opus sit, Auxiliares Episcopos, qui in pontificalibus ritibus exercendis ceterisque pastoralibus muneribus obeundis validum sibi queant adiumentum praebere. Volentes itaque Nos Venerabilem fratrem Basilium Ladyka, Archiepiscopum titulo Martyropolitano et fidelium Ruthenorum in Ditionis Canadensis provincia Manitoba Exarchum Apostolicum¹⁴¹, iustis de causis et de eius consensu, sollerti instruere adiutore, te, audito Venerabili fratre Nostro S.R.E. Cardinale S. Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis, eius Auxiliarem renuntiamus et constituimus simulque ad episcopalem Ecclesiam titulo Sinnensem, Metropolitanae Ecclesiae Carthaginensi, in provincia Proconsulari seu Zeugitana, suffraganeam, Apostolica Nostra auctoritate eligimus eiusque tibi titulum attribuimus una cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus sublimi huic dignitati adnexis, ita ut de illius Exarchi licentia pontificalia sacra exercere et cetera pastoralia munia in tota provincia Manitoba obire valeas.

Volumus vero ut tu, antequam Episcopus consecreris, in manibus alicuius, quem malueris, catholici Antistitis tui ritus, gratiam et communionem cum Apostolica Sede habentis, ritualement fidei catholicae professionem ac

¹⁴⁰ Maximus Hermaniuk, Congregationis SS. Redemptoris, natus in Nove Selo, die 30.X.1911, in Eparchia Peremysliensi. Ordinatus sacerdos die 4.IX.1938. Electus ad Sedem tit. Sinnensem die 13.I.1951, praeconisatus die 19.III.1951, consecratus vero die 29.VI.1951.

¹⁴¹ Agitur de Basilio Ladyka, de quo in nota 74 et 137. Promotus ad Sedem tit. Martyropolitam die 21.VI.1948. Bullam translationis invenire non potuimus neque in Cancellaria Apostolica, neque apud ipsum Archiepiscopum, in Canada. Ut videtur, non fuit confecta.

praescriptum fidelitatis iusiurandum erga Apostolicam Sedem iuxta formulas pro Orientalibus statutas dare, harumque exempla, tui illiusque Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad S. Congregationem pro Ecclesia Orientali quamprimum transmittere tenearis.

Tuae insuper maiori commoditati prospicientes, tibi indulgemus ut extra Urbem libere et licite Episcopus consecrari queas a, quem malueris, tui ipsius ritus Antistite, assistentibus ei duobus aliis catholicis eiusdem ritus Episcopis, dummodo omnes isti habeant gratiam et communionem cum Apostolica Sede. Stricte vero praecipimus ut, nisi prius quae supra diximus fidei catholicae professionem et iusiurandum dederis, nec tu Episcopus consecrari audeas, nec te Episcopus a te electus consecret, sub poenis, si hoc praecceptum Nostrum violaveritis, iure statutis.

Firmam autem spem concipimus te munus tibi creditum tam sollerter tamque prudenter obiturum, ut Exarchatus pro Ruthenis byzantini ritus in provincia Manitoba degentibus maiora in dies, Deo favente, suscipiat incrementa.

Datum Romae apud S. Petrum, Anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo primo, die undevicesima mensis Martii, in festo S. Ioseph, Pontificatus Nostri Anno tertio decimo.

A. Liberati confecit die 14-15 Aprilis 1951.

Recognovit: H. Tondini, 16.IV.1951.

Adnotatio Cancellariae Ap.:

Bullas contulerunt: A. Liberati - A. Trussardi.

Bullas subscripserunt: Pro S.R.E. Cancellario

E. mus Dom. Card. Decanus

A. Carinci, Mons. Reggente, A. Mazzoni, A. Liberati

Expedita die 26 Aprilis, Anno tertio doecimo.

Plumbator: A. Marini.

Reg. in Cam. Ap. vol. 81, n. 38. Al. Trussardi.

1117.

Romae, 16 . IV . 1951

Breve PP. Pii XII, quo Episcopo tit. Cadoëno, Joanni Bučko, honores et privilegia Episcopi ad solium adsistentis et Comititis Romani aliaque conceduntur.

Ex originali, penes Privilegiatum conservato (pergam.).

Venerabili fratri Joanni Bucko ¹⁴²,
Episcopo titulo Cadoëno.

PIUS PP. XII. Venerabilis frater, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quanta pro Ecclesia Dei animarumque salute pataveris, minime Nos latet. Ex quo enim Episcopalibus Infulis fuisti honestatus, cum in Galicia, qua Leopoliensis Ruthenorum Ordinarii Episcopus Auxiliaris, tum postea, novissimo furente bello, et in Meridiana et in Septentrionali America Ruthe-

¹⁴² Cfr. supra, nota 75, ultimo posita, p. 552. Hic postea, anno 1953, translatus est ad Sedem Archiepiscopalem Leucadensem. Cfr. infra sub data 4.V.1953.

norum ritus byzantini qua Visitator Apostolicus, pro civibus tuis, e patria misere pulsus, moderandis atque solandis navam fructuosamque operam impendisti. Quam quidem, optatissima iam arridente pace, nequaquam intermisisti, quin immo multas Occidentalis Europae regiones, Ruthenorum eiusdem ritus ibidem degentium Visitator Apostolicus denuo renuntiatus, impiger peragrasti et etiam nunc peragras. Quibus omnibus mature perpensis, ut haud communia promerita tua publice agnoscamus insimulque te peculiaris dilectionis Nostrae grato iucundoque pignore donemus, ad elatiorem honoris gradum te evehere ultro libenterque statuimus.

Hisce igitur litteris Nostrae Apostolica auctoritate, privilegiis et honoribus EPISCOPORUM PONTIFICIO SOLIO ADSTANTIUM te afficimus. Quapropter te, Venerabilis frater, inter Praelatos Nostros domesticos adnumeramus ac, NOBILEM te, eadem auctoritate Nostra, creantes, TITULUM quoque COMITIS, ad personam, tibi tribuimus.

Commoditati autem et spirituali etiam utilitati tuae prospicientes, ita privilegium Oratorii privati concedimus tibi, ut licite queas in catholicorum cuiusvis dioecesis domibus, quae Apostolica auctoritate sacelli domestici indulto fruantur, et in quibus non hospiteris (si enim ibi hospitio exceptus fueris, id ex iure communi legitime peragis), Missam cotidie celebrare, alteramque in tua praesentia iubere, praesertim in Sacrificii per te peracti gratiarum actionem, quin ullum exinde eiusmodi indultis damnus obvenire existimetur; quae utraque Missa singulis inhabitantibus domum tuisque familiaribus implendo festis quibusque diebus ecclesiastico Missam audiendi praecepto suffragetur.

Facultatem tibi praeterea facimus VESTES PRAELATITIAS EX SERICO GESTANDI; pariterque tibi ius damus in PONTIFICIIS CAPELLIS LOCUM OBTINENDI, Antistitibus Nostro Solio Adsistentibus reservatum.

Porro statuimus ut huius in te conlatae dignitatis notitia ad ACTA Collegii Episcoporum Pontificio Solio Adstantium ex officio transmittatur.

Contrariis quibuslibet non obstantibus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub Anulo Piscatoris, die XVI mensis Aprilis, Anno MCMLI, Pontificatus Nostri tertio decimo.

De speciali mandato Sanctissimi
Pro Domino Cardinali a publicis, Ecclesiae negotiis
Gildo Brugnola

(L. S.)

Officium Regens Pontificiis Diplomatibus expediendis.

1118.

Romae, 23 . II . 1952

Administrator Ecclesiae Crisiensis, Gabriel Bukatko, evehitur ad Sedem tit. Severianensem.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 103/52, vol. LXXXIII, nr. 100.

PIUS EPISCOPUS Servus servorum Dei. Dilecto filio Gabriel Bukatko¹⁴³, Administratori Apostolico dioecesis Crisiensis, Episcopo titulari Severianensi electo, salutem et Apostolicam benedictionem.

¹⁴³ Gabriel Bukatko, natus die 27.I.1913, in Andrijevci. Consecratus Episcopus tit. Severianensis die 27.IV.1952.



**Audientia Excell.mi D. Joannis Bučko, PP. Basilianorum, Pontificii Collegii S. Josaphat
et Sororum Servularum B. V. M. Immaculatae apud Pium PP. XII, die 14.XI.1952.**

Gravissimas inter curas, quas Nobis universi populi christiani inicit regimen, illud etiam est officium quo magnopere contendimus, ut Ecclesiae omnes, quae longe lateque in terrarum orbe habentur, maiora in dies pietatis et virtutis capiant incrementa.

Quam ob rem, cum tu sollerter ad hodiernum diem Apostolici Administratoris dioecesis Crisiensis munere perfunctus sis, ut exinde utilius gregi tibi commisso consulere valeas, Nos, Venerabili fratre Nostro S.R.E. Cardinale S. Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis audito, caractere et dignitate episcopali te exornare decrevimus, tibi unum ex illarum Ecclesiarum titulis conferentes, quae virtutum laudem olim meruerunt, quamquam postea miserrimis temporum rerumque vicibus a pristino sunt fulgore delapsae. Te igitur ad episcopalem Ecclesiam Severianensem, in Provincia Byzacena, quae nunc certo modo vacat, Apostolica Nostra auctoritate eligimus, cuius titulum tibi attribuimus una cum omnibus iuribus et privilegiis, oneribus et obligationibus sublimi huic officio annexis.

Maiori igitur tuae commoditati prospicientes, tibi facultatem faciamus ut extra Urbem libere et licite consecrari queas a quem malueris catholico cuiusvis ritus Antistite, assistentibus ei duobus aliis catholicis Episcopis, qui omnes gratiam habeant et communitatem cum Sede Apostolica, atque Venerabili fratri, quem ad hoc elegeris, te consecrandi munus ac mandatum per easdem has litteras committimus.

Volumus autem ut, antequam Episcopus consecreris, in manibus alicuius, quem malueris, catholici Antistitis, dummodo sit cum Apostolica Sede coniunctus, ritalem catholicae fidei professionem facias et praescripta iuranda iuxta formulas pro Orientalibus statutas, iures, quarum exempla, tui illiusque Antistitis subscriptione ac sigillo munita, ad Sacram Congregationem pro Ecclesia Orientali quamprimum transmitti iubemus. Quod praecipuum si tu aut Antistes ad consecrationem tuam electus violaveritis, poenas uterque perferetis iure statutas.

Firma autem freti fiducia te, episcopali nunc dignitate auctum, totas animi tui vires ingeniique industrias in mysticum Christi corpus esse impensurum, ab ipso summo Pastorum Principe suae gratiae dona tibi imploramus.

Datum Romae apud S. Petrum, die vicesimo tertio Februarii, Anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo secundo, Pontificatus Nostri tertio decimo.

Io. Coppa scripsit. Recognovit: H. Tondini, 13.V.1952.

Adnotatio Cancellariae Ap.:

Bullas contulerunt: Mons. Reggente
Al. Trussardi, Stara Tedde, Coppa

Bullas subscripserunt: Pro S.R.E. Cancellario
Em.mus Dom. Card. Decanus - A. Carinci - B. De Felicis

Expedita die 21 mensis Maii, Anno quartodecimo.
Reg. in Canc. Ap. vol. 83, nr. 100.

1119.

Romae, 25 . VIII . 1952

Sacerdos Nicolaus T. Elko eligitur in Praelatum Domesticum.

EX ORIGINALI (formula typis impressa).

PIUS XII Pont. Max. Dilecte fili, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Preces ad Nos admotas libenti benignoque animo excipientes, ut singularis in te benevolentiae Nostrae testimonium publicae exhibeamus, quippe cum de catholicae rei profectu atque incremento non uno sis nomine bene meritus, te NICOLAM T. ELKO, ex Apostolico Exarchatu pro fidelibus rutenis ritus bizantini Podocarpatae in Foederatis Americae Civitatibus, Antistitem Urbanum seu Praelatum Domesticum eligimus, facimus ac renuntiamus¹⁴⁴.

Tibi propterea potestatem tribuimus honoribus, privilegiis et praerogativis utendi, quae ex constitutione praesertim « *Inter multiplices* » Pii PP. X. cum hac dignitate sunt coniuncta.

Datum Romae, apud S. Petrum, die xxv mensis Augusti Anno MCMLII.

De speciali SS.mi Mandato pro Card. a Secretis Status

(L. S.)

Carolus Grano

Magister Officiorum Secretariatus Status

1120.

In Arce Gandulphi, 14 . XI . 1952

*Audientia Pontificia Collegii Pontif. S. Josaphat cum Ep. tit. Cadoëno, Apostolico Visitatore ucrainorum in Europa Occidentali, in occasione XX anniversarii erectionis novae sedis supradicti Collegii Pontificii in colle Janiculensi.**L'Osservatore Romano*, 16.XI.1952, nr. 269 (28.177), p. 1.

Con particolare affetto vi accogliamo, diletti figli, Superiori e alunni del Pontificio Collegio di San Giosafat, nella lieta ricorrenza del ventesimo anniversario della sua fondazione, opportunamente celebrata nel giorno sacro alla memoria dell'eroico assertore della Unità della Chiesa e invitto Martire della fedeltà a questa Sede Apostolica, del vostro santo Patrono, i cui fulgidi esempî debbono illuminare e guidare, ora, la vostra preparazione al Sacerdozio, e nell'avvenire la vostra opera di apostolato.

La memoria di lui, come la vostra presenza intorno a Noi, Ci conducono con lo spirito in mezzo alla diletta porzione della Chiesa di rito orientale, che voi qui rappresentate, oggi così duramente provata, desiderosi come siamo di dire a quei carissimi figli che il cuore del loro Padre comune palpita, soffre e spera con essi e per essi, quasi stretto dalle medesime loro angustie e trepidante delle loro stesse ansie.

¹⁴⁴ Utile fore duximus dare post nr. 1120 elenchum sacerdotum, qui tempore Pii PP. XI et XII (usque ad annum 1953) Protonotariorum Apostolicorum vel Praelatorum domesticorum honore condecorati sunt. Promotio haec semper per Breve Apostolicum eveniebat, quod Breve tamen ab anno 1946 iam in Secretaria Status Suae Sanctitatis exarabatur, formula typis impressa, et exceptis nominibus, identica. Alios textus (ante 1946) habere non potuimus.

Quale folla di sentimenti, dolci e tristi insieme, ridesta nell'animo Nostro il ricordo della fondazione del vostro Collegio, che, per la sollecitudine e la munificenza del Nostro glorioso Predecessore Pio XI, sorse nel suo nuovo edificio sull'alto del colle Gianicolense, come faro romano di fede cattolica, e quindi inestinguibile, per la vostra Patria lontana.

Allora furono lieti di assistere alla fausta cerimonia della inaugurazione in Roma tutti i vostri Venerabili Vescovi, né sarebbe mancata, se non fosse stata impedita dalla malattia, la presenza del venerato Metropolita, Andrea Szeptycky, la cui nobile vita fu poi stroncata, non tanto dalla sua tarda età, quanto dalle sofferenze del suo animo di Pastore, percosso insieme col suo gregge. Il suo nome pertanto resterà perennemente benedetto nella Chiesa di Dio, che ricorderà il suo ardente zelo per le anime a lui affidate e il suo virile coraggio nella tutela dei valori anche civili del suo popolo, specialmente mediante la fondazione della Biblioteca e del Museo, destinati a raccogliere e a custodire quanto riguarda la storia e i costumi dell'Ucraina.

Nel corso di questi venti anni, quanti mutamenti per quella diletta parte del gregge di Cristo, e quanti vuoti nelle file della sua sacra Gerarchia; alcuni Presuli morti nelle carceri in testimonianza della loro fede; altri, strappati dalle loro diocesi, gemono tuttora nelle angustie dell'esilio, oppure condividono con tanti altri dilette Nostri figli il pane delle lacrime nei campi di concentramento, rei soltanto della loro fedeltà all'Eterno Pastore.

Se la venuta, or sono venti anni, a Roma di tanti benemeriti Vescovi testimoniava allora il fiorire della religione cattolica e della vita cristiana nelle vostre terre, oggi pur troppo la loro forzata assenza significa tristemente la dispersione anche del gregge, come avvertì il divino Maestro: *Percutiam pastorem, et dispergentur oves* (Marc. 14, 27). Solo Ci conforta la tua presenza, Venerabile Fratello, Giovanni Buccko, in cui Ci par di vedere tutto il carissimo popolo Ucraino a Noi fedele.

Ma chi può indagare le vie della Provvidenza, che *fortiter et suaviter* ogni cosa conduce alla mèta dalla sua Sapienza prestabilita? Via soave è certamente quella che si dimostra in voi, quasi gemme di nuova stagione, intenti a prepararvi agli ordini sacri, per essere pronti a infondere la linfa di un rifiorimento religioso nell'animo del vostro popolo, allorché piacerà a Dio dissipare le tempestose nubi che gravano nel suo cielo, e a ridonargli la gaiezza di una rinnovata primavera. E via aspra, benché ricca di gloria, è quella dalla medesima Provvidenza assegnata a tanti vostri Presuli, sacerdoti e fedeli, che con le sofferenze ed il sangue preparano la risurrezione spirituale delle vostre diocesi, come già, or sono più di tre secoli, il martirio del vostro celeste Patrono fu seme di rigogliosa fioritura per le seguenti età.

E' una speranza per ora, ma non vana, soprattutto perché fondata su quella fervida devozione, che il vostro popolo ha sempre nutrita verso la misericordiosa Madre di Dio, in cui onore elevò templi ed altari in ogni angolo delle sue terre. Per la sua intercessione possano affluire dalle regioni dell'Ucraina a cotesto Pontificio Collegio numerosi ed eletti giovani aspiranti al sacerdozio, oltre a quelli provenienti dalle Americhe e dai vari Paesi dell'Europa occidentale, in cui trovansi oggi disperse le loro famiglie.

E voi, dilette figli, che la Chiesa educa quasi all'ombra della Basilica Vaticana, ove nel 1867, in occasione delle feste giubilari del martirio del Principe degli Apostoli, fu celebrata la solenne Canonizzazione di San Giosafat — pri-

ma nell'epoca moderna di un Santo della Chiesa di rito orientale —, abbiate a cuore di attingere da così insigni e venerande memorie sempre più profonda la indefettibile fedeltà a questa Cattedra di verità e vincolo di unità nella fede e nell'amore universale, luce e fiamma per il vostro popolo, alla cui salvezza siete da Dio chiamati.

Con questi sentimenti impartiamo a voi, ai vostri Superiori e Maestri, a quanti si dedicano alla vostra formazione intellettuale e spirituale, ai vostri cari, a tutti gli altri diletti figli e figlie qui presenti, alla vostra Patria da Noi tanto amata, la Nostra paterna Apostolica Benedizione.

Adnotatio Ephemeridis, in initio textus:

Ieri mattina, venerdì, l'Augusto Pontefice ha ricevuto in speciale Udiienza, nella sala del Concistoro del Palazzo Pontificio di Castel Gandolfo, i Superiori e gli alunni del Pontificio Collegio di San Giosafat, i quali celebrano il ventesimo anno di fondazione del loro Istituto.

Assistevano pure all'Udiienza, Sua Eccellenza Reverendissimo Monsignor Giovanni Bucko, Vescovo tit. di Cadi, con il Rev.mo Padre Hlib Kynach O.S.B.M., Protoconsulatore Generale, e gli altri Componenti la Curia Generalizia dell'Ordine Basiliano, nonché un Gruppo di Suore Ancelle della Immacolata Concezione.

Sua Santità, accolto da una fervida manifestazione di devoto ossequio, si degnava rivolgere all'eletta rappresentanza le seguenti venerate parole che riportiamo così come abbiamo potuto raccoglierle.

sub finem vero:

Impartita la Benedizione Apostolica, il Santo Padre si intratteneva benignamente con i singoli intervenuti i quali Gli rinnovavano la testimonianza del loro devoto omaggio e della loro filiale gratitudine.

1121.

Romae, 15 . XII . 1952

Pius PP. XII persecutionem Ecclesiae Catholicae in Europa Orientali, praesertim vero in Ucraina, coram toto orbe terrarum nuntiat.

Acta Apostolicae Sedis, vol. XXXV, nr. 1, p. 5-14.

Ad Venerabiles fratres Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos,
aliosque locorum Ordinarios Orientalium Ecclesiarum, pacem
et communionem cum Apostolica sede habentes.

PIUS PP. XII. Venerabiles fratres, salutem et Apostolicam benedictionem.

Orientalis Ecclesias, quae Ss. Patrum praeclara doctrina fulgent, et quae antiquissima recentioreque aetate ac nostra profuso martyrum purpurantur sanguine, peculiarissimo modo Nobis cordi esse nemo est qui ignoret. Etenim, vixdum fuimus, nullis Nostris meritis, arcano Dei consilio ad Apostolorum Principis Cathedram evecti, mentem animumque Nostrum ad vos convertimus, et ad eos etiam, qui « extra catholicae Ecclesiae saepa versantur »¹⁴⁵, quique

¹⁴⁵ Cfr. *Nuntius radiophonicus e sacello Sixtino datus d. III Martii an. MCMXXXIX; Acta Apostolicae Sedis*, an. XXXI, ser. II, vol. VI, p. 86.

vehementer cupimus ut ad communis Patris ovile, quasi ad avitam domum, quam primum redire velint¹⁴⁶. Alia paternae benevolentiae Nostrae testimonia per Pontificatus Nostri decursum vobis praebuimus. Nostis siquidem alterum Nos e sacris Antistitibus vestris, Armenorum nempe Ciliciae Patriarcham, Romanae purpurae dignitate decorasse; ac Iuris Canonici leges, ad vos quod attinet, in unum corpus redigendas curare; quod quidem gravissimi momenti opus iam est ex parte ad effectum deductum. Sed haud necesse est haec fusius commemorare vobis, quibus procul dubio res est apprime cognita; ac ceteroquin hac Nostra agendi ratione Decessorum Nostrorum vestigiis institimus¹⁴⁷, qui inde a christiana aetate exordio non modo singulari caritate maiores vestros persecuti sunt, sed etiam, quotiescumque eos viderunt vel haereticorum insidiis perturbatos, vel hostium insectationibus vexatos ac territos, eis pro facultate suppetias venire sollemne habuere. Itaque, Apostolica interposita auctoritate, quae a Divino Redemptore fuit Apostolorum Principi eiusque Successoribus demandata, in Conciliis Nicaeno I et II, Constantinopolitano I, II et III, Ephesino ac Chalcedonensi, catholicae doctrinae integritatem iidem tutati sunt; et cum lamentabile discidium Orientales Ecclesias magna ex parte a Romano Pontifice seiunxit, non tantum illud in Concilio Constantinopolitano IV per suos Legatos reprobarunt, sed effecerunt etiam pro viribus ut res feliciter in commune bonum componeretur; quod quidem, post tot laudabiles difficilesque nisus, in Florentino Concilio actum ratumque fuit, etsi contra bonorum omnium vota, postea non fuit ad rem deductum. Cum vero orientales regiones a novis irruentibus populis invaderentur, ac sacra etiam Palaestinae loca, quae divino Iesu Christi sanguine consecrata fuere, pervastarentur, tum etiam Romani Pontifices, christianos ad tantum defensionis religionisque opus excitarunt Principes. Neque hoc Decessorum Nostrorum erga vestras sollicitudinis benevolentiaeque studium recentiore aetate remisit, vel defuit; quin immo videtur potius in dies impensius exarsisse. Ad vos, ut probe nostis, non pauci missi sunt, qui catholicam illustrarent doctrinam, suaderentque omnibus ut ad optatissimam unitatem fidei ac regiminis redire vellent; heic vero, apud Beati Petri Sedem, Sacrum Consilium constitutum fuit, seu ut aiunt Sacra Congregatio, cuius esset Orientalium Ecclesiarum negotiis, rationibus, ritibus prospicere ac consulere; itemque Orientalium studiorum Institutum, quod, data opera diligenter, rectam vestrarum rerum cognitionem foveret ac proveheret.

Sed in praesens, proh dolor, aliud est, quod curam sollicitudinemque postulat Nostram. Etenim in regiones non paucas, in quibus Orientales Ritus potissimum vigent, nova malorum procella ingruit, quae quidem florentes Christianorum communitates subvertere, vastare ac misere restinguere conatur. Si superiorum saeculorum decursu aliquod catholicae doctrinae caput oppugnabatur, hodie, ut videtis, ultra temere progreditur; ac sacra omnia iura, instituta, leges, immo etiam quidquid divinum est et ad divina refertur, haec omnia, veluti fabulosum aliquid et infaustum e publica civium consortionem, e domestico convictu, ex athenaeis, e scholis, e populi denique vita ut reiciantur contenditur.

¹⁴⁶ Cfr. Litt. enc. *Summi Pontificatus*; *A. Ap. Sedis*, an. XXXI, ser. II, vol. VI, pp. 418-419; et Litt. enc. *Mystici Corporis*; *A. Ap. Sedis*, an. XXXV, ser. II, vol. X, pp. 242-243.

¹⁴⁷ Cfr. Litt. enc. *Rerum orientalium*; *A. Ap. Sedis*, an. XX, vol. XX, p. 277 sq.

Quemadmodum igitur gravior est calamitatum congeries, quae lectissimam christianae gentis partem offendit, ita impensior est, Venerabiles Fratres, benevolentia erga vos Nostra, incensius est caritatis studium, quo vos omnes paterno animo amplectimur.

Imprimisque cupimus vobis luculentissime patefacere Nos dolores luctusque vestros utpote Nostros habere; ac nihil magis excupere quam ut aegritudines vestras aliquo modo lenire ac mulcere possimus, Nostra praesertim interposita christianorumque omnium deprecatione pro iis omnibus ad Deum admota, qui ob catholicam religionem eiusque sacra iura, ut oportet, defensa, misere vexantur.

Novimus plurimos esse in orientalibus plagis christifideles, qui lugent hodie profusis lacrimis, cum suos cernant sacrorum Antistites vel enecatos, vel dispersos, vel ita praepeditos, ut libere nequeant suos greges alloqui, eosque, ut oportet, auctoritate sua moderari; cum non pauca e suis templis videant ad alios usus destinata, vel squalore silere; cum noscant iam ex iisdem non posse supplicantium voces, pulcherrimae liturgiae vestrae normis rationibusque concinnatas, ad Caelum extolli, ut inde supernarum gratiarum imbres demittantur ad mentes erigendas, ad solandos animos, et ad tantorum malorum cumulo medendum.

Novimus multos e vestratibus vel in carceribus, vel in publicae custodiae campis esse detentos, vel, si domi degant, sacrosanctis illis iuribus perfrui non posse, quae ad eos pertinent, ut religionem nempe non modo in suo cuiusque conscientiae sacrario profiteantur, sed in domestico etiam convictu ad subolem rite educandam, sed in scholis quoque ad discipulos recte conformandos, aperte doceant, tueantur, praedicient.

At novimus etiam Orientalium Ecclesiarum filios, quasi fraterno foedere cum Latini Ritus christifidelibus consociatos, et harum insectationum fortiter una simul perpeti luctus, et pari modo una simul participare martyrium, participare triumphos, participare gloriam. Strenuo siquidem animo suam fidem retinent; christiani nominis hostibus eadem invicta firmitate obsistent, qua olim obstitere maiores vestri; preces supplicationesque si non publice, privatim saltem ad Caelum erigunt; in arcissima cum Romano Pontifice et cum peculiaribus cuiusque suis Pastoribus coniunctione fideliter persistunt; itemque Beatam Virginem Mariam caelestium ac terrestrium omnium Reginam amantissimam ac potentissimam, cuius Immaculato Cordi eos singulos universos consecravimus, colere, deprecari atque amare impensissime. Atqui haec omnia auspiciis profecto sunt futurae tutissimaeque victoriae; illius dicimus victoriae, quae non ex hominum invicem dimicantium cruore oritur, non effreno terreni dominatus studio alitur, sed aequa legitimaque animorum libertate solidatur; sed iustitia civibus, populis, gentibus non nomine tenus, at re quoque attributa; sed pace fraternaque caritate, quae omnes amicitiae vinculis coniungat; sed religione potissimum, quae mores recto ordine componat, quae privatas cupiditates temperet easque iubeat communi bono inservire, quae mentes ad caelestia erigat, quae denique sit civilis consortionis omniumque concordiae alatrix.

Haec quidem in votis habemus; sed interea nuntii, qui ad Nos afferuntur, eiusmodi sunt ut dolorem maeroremque Nostrum exacuant atque exacerbent. Interdu noctuque ad eos mentem animumque Nostrum paterna sol-

licitudine convertimus, quos ex divino mandato pascere iubemur¹⁴⁸, quosque non ignoramus alicubi tam indigne haberi, ut ob catholicam fidem, quam mordicus retinent, calumniis afficiantur, ac legitimis priventur iuribus, iis etiam interdum, quae cum humanae naturae insita sint, si vi, si metu, si alia arte eripiantur, eiusdem humanae naturae dignitas depressa ac laesa evadat.

In quibus tristissimis perlatis nuntiis, ille recens non modo Nos, non modo christianos omnes, sed quotquot etiam sunt debitae civibus libertatis dignitatisque cultores, summo percussit dolore: in Bulgaria nempe, ubi parva sed florens vigeat catholicorum communitas, aspera procella tristes parit Ecclesiae luctus. Usitatis videlicet incusationibus adhibitis, Dei administri, veluti publici criminis rei, insimulati sunt; in quibus Venerabilis Frater Eugenius Bossilkoff, Episcopus Nicopolitanus, capitalis poenae damnatus est, unaque cum eo sacerdotes tres, apostolici eius laboris socii. Alii praeterea non pauci vel in carcerem iam detrusi sunt, vel publica praepediti custodia, quibus catholicorum virorum agmen adiungitur, qui quidem variis multantur poenis, atque adeo eadem palma, eodemque honore decorantur. Rem Nos, pro officii Nostri conscientia, cui deesse non possumus, conquerimur, dum illatam Ecclesiae iniuriam universo christiano nomini denuntiamus. Ii enim idcirco quod catholicam religionem non modo profitentur, sed aperte quoque strenueque tutari enisi sunt, utpote rei publicae infensi habiti sunt, cum contra nemini cedant in patria caritate, nemini in publica potestate observanda, nemini denique in editis legibus obtemperando, dummodo eadem aliquid non imperent, quod naturalibus, divinis, ecclesiasticisve iuribus repugnet.

Quod autem in Bulgaria recentioribus praesertim temporibus evenit, id iam diu in aliis gentibus, in quibus orientalis ritus Ecclesia vigescit, misere contingit; in Romenorum nempe, in Ukrainorum, et in aliis quoque gentibus. Ad primam gentem quod attinet, datis iam superiore mense Martio Apostolicis Litteris¹⁴⁹, tot luctus, quibus ritus vestri christifideles una cum Latinis afficiantur, vehementer conquesti sumus, ac paterno eos omnes sumus animo adhortati, ut invicta ea, qua praestant, firmitate in avita religione perstent.

In praesens autem ad alium populum Nobis sane carissimum, mentem animumque maerentes convertimus Nostrum; ad Ukrainum nempe populum, apud quem haud pauci sunt christifideles, qui Romam summo desiderio impensoque amore respiciunt, atque hanc Apostolicam Sedem veluti christianae religionis caput reverentur christianaeque veritatis magistram ex Iesu Christi mandato falli nesciam¹⁵⁰. Ii tamen, quod vehementi dolore accepimus, haud minoribus insectationibus vexantur, haud minus acerba rerum condicione iam diu utuntur, quam ceterae gentes, quarum vobis mentionem, Venerabiles Fratres, per has litteras fecimus.

Peculiari autem modo eos orientalis ritus Episcopos commemorare volumus, qui inter primos, defendendae religionis causa, aerumnas, luctus, iniurias tolerarunt; quique in Kioviensem urbem translati, ibi, instituta causa, variis poenis damnati fuere; in Kioviensem urbem dicimus, unde per

¹⁴⁸ JOAN., XX, 15-17.

¹⁴⁹ Cfr. *A. Ap. Sedis*, an. XXXIV, vol. XIX, p. 249 sq.

¹⁵⁰ Cfr. MATTH., XVI, 18-19; JOAN., XI, 15-17; LUC., XXII, 32.

illas omnes regiones christianae doctrinae lumen eluxit, christianique nominis cultus propagatus fuit. Horum nonnulli gloriosam iam mortem oppetiere; atque adeo, ut sperare licet, e supernae, qua fruuntur, beatitatis sede suos filios suosque pacifici certaminis sodales amantissime respiciunt, eisque a Deo validissimam impetrant tutelam.

Praeterea, eos latini orientalisque ritus christifideles silentio praeterire non possumus, qui e suis regionibus e domesticisque laribus pulsi et in longinquas ignotasque terras deportati, suos ibi legitimos non habent sacrorum ministros, qui eos solentur, adiuvent, moderentur, quique eis superna religionis adiumenta praebeant.

Haec omnia tam acerrimo Nos maerore afficiunt, ut lacrimas cohibere non possimus; dum clementissimum Deum ac misericordiarum Patrem adprecamur, ut benigne velit eorum mentes divina sua luce collustrare, e quibus tam misera condicio pendet; ac velit etiam quam primum tot malorum cumulo finem imponere.

Attamen, Venerabiles Fratres, in tot tantisque luctibus, ob quos Noster ec vester animus doloribus perfunditur, est cur aliquid solacii ex acceptis nuntiis hauriamus. Etenim perspectum Nobis est eos, qui in lamentabile hoc discrimen adducti sunt, in sua perstare virtute, ea quidem intrepida constantia, quae Nobis, quae bonis omnibus admirationem permoveat. Habeant igitur iidem omnes a Nobis paternae laudis praeconium, quod eorum firmitatem augeat ac magis magisque corroboret; atque etiam certissimum habeant Nos, utpote communem Patrem, quem « sollicitudo omnium Ecclesiarum »¹⁵¹ tenet ac « caritas... Christi urget »¹⁵², ad Deum incensa cotidie fundere vota, ut quam primum Iesu Christi Regnum, quod pacem animis, pacem populis, pacem gentibus afferat, apud omnes triumphet.

Ante aerumnosum eiusmodi malorum spectaculum - quibus non tantum Nostri e laicorum ordine filii sed ii potissimum, qui ad sacerdotalem fuere dignitatem evecti, ea de causa conflictati sunt, ut illud eveniat, quod in Sacris Litteris legitur: « Percutiam pastorem, et dispergentur oves gregis »¹⁵³ - facere non possumus quin in omnium mentem revocemus, per saeculorum decursum, non modo apud excultas, sed apud barbaras etiam gentes, religionis administratos utpote inter Caelum hominesque conciliatores debita observantia venerationeque habitos esse. Cum vero Divinus Redemptor, fugatis errorum tenebris, caelestem nos edocuit veritatem, suumque benignissime voluit nos aeternum participare sacerdotium, tum hoc observantiae venerationisque studium summopere increbuit; atque adeo Episcopi et sacerdotes ut patres amantissimi habiti sunt, qui nihil aliud quaerent, nisi commune mandati populi bonum.

Verumtamen Divinus ipse Redemptor dixerat: « Non est discipulus supra magistrum »¹⁵⁴; « si me persecuti sunt, et vos persequentur »; « beati estis, cum maledixerint vobis et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversus vos, mentientes, propter me; gaudete et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in caelis »¹⁵⁵.

¹⁵¹ *II Cor.*, XI, 28.

¹⁵² *IBID.*, V, 14.

¹⁵³ *MATTH.*, XXVI, 31; cfr. *MARC.*, XIV, 27; *ZACH.*, XIII, 7.

¹⁵⁴ *MATTH.*, X, 24.

¹⁵⁵ *MATTH.*, V, 11-12.

Haud miremur igitur, si nostra hac aetate, magis fortasse quam elapsis iam saeculis, Iesu Christi Ecclesia ac praesertim sacrorum administri vexationibus, mendaciis, calumniis, omneque genus miseriis ac iacturis divexantur; sed in eo potius tutissimam spem nostram reponamus, qui, si haec adventura mala iam praedixerat, hisce tamen verbis nos praemonitos voluit: « In mundo pressuram habetis; sed confidite, ego vici mundum »¹⁵⁶.

Longe igitur absit, Venerabiles Fratres, ut animo concidatis. Quemadmodum maiores vestri tot difficultates, insidias, pericula, strenua voluntate ad martyrium usque decertando, invicti superarunt, ita vos ex Orientalium Rituum Ecclesiis, una cum Latini Ritus christifidelibus arctissime coniuncti, caelestium gratiarum auxilio innixi, nihil timeatis. Ac pro eis potissimum qui in graviore rerum discrimine versantur, supernam opem, communibus ad Dominum et amantissimam eius Matrem admotis precibus, supplicii animo contendite, ut qui tam acriter hodie acerrimeque periclitantur, christiana fortitudine roborentur, utque tandem aliquando ab omnibus intellegatur, quod ceteroquin luce clarius refulget, « arma militiae nostrae non carnalia esse, sed potentia Deo »¹⁵⁷; atque adeo Catholicam Ecclesiam non terrenarum rerum potentatum, sed aeternam animorum salutem quaerere; non publicae rei moderatoribus insidiari, sed per impertita Evangelii praecepta, quae ad optimos civium conformandos mores pertinent, humanae quoque consortioni tutiora praebere fundamenta. Si igitur eadem divinitus sibi debita polleat libertate, suamque vim publice elicere possit, navitatemque suam palam in populum edere queat, multum profecto conferet ad commune provehendum bonum, ad civium ordines, auspice iustitia concordiaque altrice, mutuo inter se conciliandos, et ad gentes universas ad eam sinceri nominis pacem tranquillitatemque adducendas, quae ut in omnium votis est, ita in omnium esse debet voluntatibus.

Quam ad rem optatissimam impetrandam, cupimus, Venerabiles Fratres, ut publicas supplicationes indicatis, efficiatisque adhortationibus vestris ut greges curis vestris commissi hisce precibus paenitentiae quoque opera coniungant ad propitiandam, tot tantisque iniuriis offensisque laesam, divinam maiestatem. Haec Sacrarum Litterarum verba meminerint omnes: « Orate pro persequentibus et calumniantibus vos »¹⁵⁸; « Et si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra »¹⁵⁹. Oportet siquidem Divini Redemptoris exemplum imitari, qui acerbis affectus doloribus e cruce pendens clamavit: « Pater, dimitte illis: non enim sciunt quid faciunt »¹⁶⁰. Sed oportet etiam adimplere ea, quae desunt passionum Christi, in carne nostra, pro corpore eius, quod est Ecclesia¹⁶¹; quamobrem pro afflictis filiis ac fratribus non modo preces debemus ad Deum adhibere nostras, sed nostros etiam angores, ac nostras quoque voluntarie susceptas afflictationes atque aerumnas libenter offerre.

Si non possumus, ad innumeras eas hominum multitudines quod attinet, qui in regionibus illis infirmitates, dolores maeroresque patiuntur, vel in vincula coniecti sunt, illam Iesu Christi sententiam ad rem deducere: « Infirmus

¹⁵⁶ JOAN., XVI, 33.

¹⁵⁷ II Cor., X, 4.

¹⁵⁸ MATTH., V, 44.

¹⁵⁹ I Cor., XII, 25-26.

¹⁶⁰ LUC., XXIII, 34.

¹⁶¹ Cfr. Coloss., I, 24.

[eram], et visitastis me; in carcere eram et venistis ad me »¹⁶²; possumus tamen aliquo modo id ipsum efficere: hoc est nostris supplicationibus nostrisque paenitentiae actibus impetrare, ut benignissimus Deus ad hos maerentes fratres filiosque Nostros velit solatores suos angelos mittere, itemque uberrima eis velit caelestia sua munera concedere, quae eorum animos recreent, confirmet, roborent et ad superna erigant.

Peculiari autem modo exoptamus ut sacrorum omnes administri, qui cotidie possunt Eucharisticum offerre Sacrificium, eorum Episcoporum ac sacerdotum supplices recordentur, qui, longe a propriis templis a propriisque gregibus, facultate carent ad altare, sacrificandi causa, accedendi, divinoque illo se suosque pascendi pabulo, ex quo quidem animi nostri suavitatem hauriunt, quae omne desiderium exsuperat, eamque percipiunt fortitudinem, quae parit victoriam. Hoc ipsum christifideles fraterno foedere consociati faciant, qui eandem mensam idemque sacrificium participant; ita quidem ut undique terrarum ac ritibus omnibus, quibus Catholica decoratur Ecclesia, unanimes ad Deum ad eiusque almam Genetricem adprecantium voces admoveantur, quibus pro afflictis horum christianorum communitatibus divina impetretur misericordia.

Cum proximo Ianuario mense publicae multis locis supplicationes in octavam diem ea de causa haberi soleant, ut ii quam primum, qui ab Ecclesiae unitate seiuncti sunt, ad unum redeant ovile, opportunum Nobis videtur illis praesertim diebus impensas ab omnibus ad Deum adhiberi preces, non modo ut quam citissime divini Redemptoris votum ad effectum deducatur: « Pater sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum sicut et nos »¹⁶³; sed ut etiam carceres aperiantur ac dissolvantur vincula, quibus tam plurimi hodie, idcirco quod religionis instituta ac iura invicto animo defendere ac tueri enisi sunt, misere afficiantur; ac christiana veritas, iustitia, concordia et pax, quae singulorum universorumque suprema bona sunt, ubique gentium triumphant.

Quarum lactissimarum rerum auspex esto, paternaeque benevolentiae Nostrae pignus, Apostolica Benedictio, quam vobis, Venerabiles Fratres, ac gregibus vestrae cuiusque curae commissis, iisque peculiari modo, qui iniustus condicionibus vexantur, effusa caritate impertimus.

Datum Romae, apud S. Petrum, die XV mensis Decembris, anno MDCCCCLII, Pontificatus Nostri quarto decimo.

PIUS PP. XII

1122 - 1136.

Roma, 1923-1953

Sacerdotes Ecclesiae Ucrainae, qui sub Pontificatu Pii PP. XI et XII titulo Praelati domestici vel Protonotarii Apostolici condecorati sunt.

SECRET. BREVIUM, *Pius XI et Pius XII, Diversorum* (usque ad annum 1946).
SECRETARIA STATUS, *Pius XI et Pius XII* (ab anno 1946).

PIUS PP. XI solita forma, per Breve Apostolicum, Praelatos domesticos nominavit, mutatis mutandis:

¹⁶² MATTH., XXV, 36.

¹⁶³ JOAN., XVII, 11.

BIHARY Emanuelem, ex Eparchia Prjašivensi, die 26.VIII.1932.
 GMYTRASZEWYCZ Volodimirum, ex Ep. Peremysliensi, die 23.III.1928.
 ŠUBA Georgium, ex Ep. Munkacsiensi, die 10.III.1924.
 SZABO Simeonem, ex Ep. Munkacsiensi, die 10.III.1924.
 SZEMAU Stephanum, ex Ep. Munkacsiensi, die 8.I.1927.
 SZMANDRAY Simeonem, ex Ep. Prjašivensi, die 4.IX.1928.
 WERHUN Petrum, ex Eparchia Leopoliensi, die 2.XI.1937.

Protonotarium vero Apostolicum:

BAZIUK Alexium, ex Ep. Crisiensi, die 1.VIII.1925.
 VOJNAROVSKYJ Titum, ex Ep. Leopoliensi, die 12.III.1927.

PIUS PP. XII, solita formula, mutatis mutandis, per Breve Apostolicum, exaratum sive in Secretaria Brevium sive in Secretaria Status, nominavit Praelatos domesticos:

CHIRA Alexandrum, ex Ep. Munkacsiensi, die 22.II.1943.
 HORNİKIEWICZ Mironem, ex Archidioecesi Viennensi, die 4.IV.1945.
 KUSHNIR Basilium, ex Canada Centrali, die 10.IV.1951.

Protonotarios vero Apostolicos:

ILNICKYJ Alexandrum, ex Eparchia Munkacsiensi, die 2.VII.1940.
 LOTOWYCZ Antonium, ex Exarchatu Philadelphensi, die 16.VII.1948.
 RUSSNAK Nicolaum, ex Eparchia Prjašivensi, die 14.VI.1948.

Alii enumerantur suis tempore et loco. Cfr. *Indicem nominum*.

1137.

Romae, 4 . V . 1953

Episcopus Cadoënus Joannes Bučko, evehitur ad titulum archiepiscopalem Ecclesiae Leucadensis, in Epiro Veteri.

EX ORIGINALI in pergamina alba, penes Archiep. J. Bučko conservato.
 ARCH. CANC. APOST., *Regist. Bullarum*, vol. LXXXVI, nr. 63.

PIUS Episcopus Servus Servorum Dei. Venerabili fratri JOANNI BUCKO, hactenus Episcopo titulo Cadoëno, electo Archiepiscopo titulo Leucadensi¹⁶⁴, salutem et Apostolicam benedictionem.

Quemadmodum saeva in tempestate, excussa interdum caligine, nitidior apparens sol cuncta repente laeta collustrat luce, ita turbidis hisce temporibus pastoralium specimina virtutum, quae sacrorum Antistites christiani

¹⁶⁴ Cfr. supra, nota 75, et 142.

nominis provehendi causa summo cotidie dant labore, Nobis magno sunt solacio, qui Petri naviculam in aspero mari gubernamus. Quorum in Praesulum numero cum te, Venerabilis frater, habeamus, tibi propensam voluntatem Nostram significare cupimus, te ad archiepiscopalem dignitatem promoventes.

Tu enim episcopale officium optime exsecutus et, tum olim Archiepiscopo Leopoliensi Ruthenorum egregiam navando operam, tum recens Apostolici Visitatoris munere summa cum laude fungendo, quo fideles invisit Byzantini ritus sive ucrainos sive ruthenos, qui domo patriaque ob catholicae fidei professionem exacti in eas Europae partes migraverunt, quae ad occidentem vergunt solem.

Consilium igitur secuti Venerabilis fratris Nostri S. R. E. Cardinalis S. Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis, de Nostra summa et Apostolica potestate te vinculo solvimus Ecclesiae titulo Cadoënae, quem hucusque gessisti, et ad archiepiscopalem Ecclesiam Leucadensem, in Epiro Veteri, evehimus, cuius titulum, e vivis migrato Liberato Tosti b.m., nullus Praesulum habebat. Quae igitur iura ab hac exoriuntur dignitate tibi concedimus, quem pariter iis obstrictum oneribus volumus quibus ceteri eiusdem honoris Antistites tenentur. Eadem praeterea Nostra potestate te sive a fidelitatis iureiurando sive a rituali catholicae fidei professione ad iuris normam iterandis liberamus, contrariis quibusque non obfuturis.

Ceterum, Venerabilis frater, pro te fidelibusque tuae sollicitudini commissis enixas sumus Deo preces paterno fundimus animo, ut qui tot homines vexatione tentari arcano numine sinit, iisdem nunc suae gratiae solamen concedat et aliquando tandem animi vitaeque pacem.

Datum Romae apud S. Petrum, die quarto mensis Maii, anno Domini millesimo nongentesimo quinquagesimo tertio, Pontificatus Nostri quinto decimo. H. T.

Pro S.R.E. Cancellario

† Eugenius Card. Tisserant, Sacri Collegii Decanus
Hamletus Tondini, Apost. Cancel. Regens

Bernardus De Felicis Prot. Ap.

Silvius Sericano - Proton. Apost.

« Expedita » die V Junii, an. Pontif. XV. Al. Trussardi pro Plumbatore

Reg. in Canc. Ap., vol. LXXXVI, n. 63.

(Sigillum plumbeum Pii PP. XII)

DUM COLLECTANEA NOSTRA AD FINEM IAM FELICEM PERDUCEREMUS EVENIT, UT SEDES APOSTOLICA PRAESULES RELIGIOSOSQUE NOSTRAE ECCLESIAE APUD EXTEROS DEGENTES NOVIS TRIBUS CUMULAVIT GRATIIS, QUAS HIC ADIUNGERE PERGRATUM NOBIS EST, ETIAMSI EXTRA TEMPORA COLLECTANEIS HISCE PRAEFIXA EVENERUNT.

1138.

Romae, 2 . II . 1954

Constantinus Bohachevsky, Episcopus tit. Amisenus, et Exarcha Apostolicus ucrainorum in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis, evehitur ad Sedem Archiepiscopalem Beroënsem.

CANCELLARIA APOSTOLICA, Prot. nr. 61/54, vol. LXXXVIII, nr. 47.

CONSTANTINUS BOHACEVSKYJ, HACTENUS EPISCOPUS TITULO AMISENUS,
AD ARCHIEPISCOPALEM ECCLESIAM TITULO BEROËNSEM PROMOVETUR

PIUS EPISCOPUS Servus Servorum Dei. Venerabili Fratri Constantino Bohachevskyj, hactenus Episcopo titulo Amiseno, electo Archiepiscopo titulo Beroënsi, salutem et apostolicam benedictionem.

Pergratum Nobis est ad maioris dignitatis gradum quandoque illos provehere sacrorum Antistites, qui in suo munere naviter diligenterque ob-eundo egregia erga Christi Ecclesiam promerita sibi comparaverint.

Volentes itaque Nos Tibi, venerabilis Frater, qui officium summa cum laude exsecutus es Exarchi Apostolici pro fidelibus ruthenis byzantini ritus e Galitia oriundis et in Civitatibus Foederatis Americae Septentrionalis commo-rantibus, propensam voluntatem Nostram significare, ad archiepiscopalem dignitatem Te promovere statuimus.

Audito ergo consilio venerabilis Fratris Nostri S.R.E. Cardinalis Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali a Secretis, de apostolicae Nostrae po- testatis plenitudine, qua omnia hisce in terris et ligandi et solvendi aucto- ritatem a Christo Jesu obtinemus, Te vinculo solvimus Ecclesiae titulo Ami- senae, quem hucusque gessisti et ad archiepiscopalem Sedem titulo Beroën- sem, in Thracia, exehimus; eius enim titulum, demortuo Leonardo Navarra, bo. me., nullus habet Praesulum. Tibi pariter omnia iura et honores, officia et onera tradimus, quae ex dignissimo hoc munere proficiscuntur.

Eadem insuper suprema Nostra potestate Te sive a fidelitatis iureiurando sive a rituali catholicae fidei professione ad iuris normam iterandis liberamus, contrariis quibuslibet non obstantibus.

Ceterum, venerabilis Frater, id pro certo habentes Te etiam in posterum Ecclesiae sanctae utilitati esse adlaboraturum, in hoc Tibi a Domino opportu- num apprecamur auxilium.

Datum Romae apud S. Petrum, die secundo mensis Februarii, anno Do- mini millesimo nongentesimo quinquagesimo quarto, Pontificatus Nostri quinto decimo.

Al. TRUSSARDI scripsit.

Recognoverunt: G. Stara Tedde - Galligani - D. Coppa (m.p.)
20 Apr. 1954

Adnotatio Cancellariae Ap.:

Ap. Litteras legerunt: Mons. Reggente - Trussardi - Galligani - Stara T. - Coppa.

Ap. Litteras subscripserunt: Pro S.R.E. Cancellario

Em. Dom. Card. Decanus - H. Tondini, Reg. - A. Carinci - A. Serafini.

Die 22 mense Aprili, Anno 1954, Pontif. XVI.

Pro Plumbatore: Al Trussardi.

In acta relatae vol. 88, n. 47.

1139.

Romae, 9 . VI . 1954

Epistola Pii PP. XII gratulatoria, Archiepiscopo Martyropolitano, Basilio Ladyka, Exarchae Apostolico ucrainorum in provincia Manitobensi Canadae Centralis degentium, data, occasione XXV anno ab Episcopatu inito vertente.

EX APOGRAPHO.

VENERABILI FRATRI BASILIO VLADIMIRO LADIKA, ARCHIEPISCOPO
TIT. MARTYROPOLITANO, EXARCHO APOSTOLICO WINNIPEGENSI IN
CANADA, PRO FIDELIBUS RUTHENIS RITUS BYZANTINI.

PIUS PP. XII. Venerabilis Frater, salutem et Apostolicam Benedictionem.

Medio proximo Julio mense, uti libenter cognovimus, quinque a suscepto episcopatu lustra, superna favente gratia, fauste explebis. Nolumus itaque jucundam ejusmodi praeterire opportunitatem, quin benevolentiam erga te Nostram confirmemus. Jam profecto ante episcopalem honorem, haud levia officia exercueras, praesertim quum, Ordini Basiliani Sancti Josaphat mature adscriptus, paroecialia munera obibas et monasterii Basiliani regimen sustinebas. Auctus deinde episcopali dignitate, pastoralis officio in utilitatem fidelium Ruthenorum in amplissimam regionem Canadensem immigratorum sollertem operam contulisti. Immo post viginti moderaminis tui annos, Apostolica ista ditio et numero fidelium et catholicorum operum auctu tale suscepit incrementum, ut in vetere unico exarchatu Nostra auctoritate quattuor exerchatus constituti sint. Nos igitur, qui jam sex abhinc annis te, Venerabilis Frater, ad archiepiscopalem dignitatem evehere decrevimus, de pastoralis munere tam diu actuoseque gesto ex animo tibi gratulamur, simulque Deum instantes precamur, ut seros in annos te, uberibus donis ditatum, incolumem servet ac tueatur. Quo interea sacri eventus celebratio salutarior christiano populo contingat, tibi ultro facultatem damus, ut, die constituta, Sacro pontificali ritu peracto, adstantibus fidelibus nomine Nostro Nostraque auctoritate benedicas, plenariam indulgentiam iisdem proponens, ad Ecclesiae praescripta lucrandam. Caelestis denique auxilii in auspiciis, inque peculiaris Nostri amoris pignus, Apostolicam Benedictionem tibi, Venerabilis Frater, religiosis sodalibus tuis cunctoque clero ac fidelibus tuae vigilantiae demandatis, peramanter in Domino impertimus.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die IX mensis Junii, anno MDCCCCLIV, Pontificatus Nostri sexto decimo.

PIUS PP. XII

1140.

Romae, 14 . VI . 1954

Litterae breves Pii PP. XII, quibus Ordinis Basiliani Sancti Josaphat Constitutiones, noviter ad mentem « Motu proprio » eiusdem Pontificis recognitae, auctoritate Apostolica confirmantur.

SECRETARIA BREVIUM, Pius XII, Junius 1954.

PIUS PP. XII. Ad perpetuam rei memoriam.

Divus Basilius Magnus, monachorum vitae communitatem profitentium auctor ac legifer pater, eo praecipue mentem intendit, ut Evangelii praecepta de christiana perfectione monachorum in religiosa societate degentium conditioni accommodaret, quam, utpote Christi doctrinae magis congruentem, anachoretarum institutis anteferendam esse edixit. Quam in coenobio vivendi rationem, pro ingenii sui ubertate, luculenter exposuit in libris, quos de pietatis cultu scripsit, maxime vero Regulis, quas fusiores et breviores appellant, ac quibus, quasi fundamento nisum, laudatum hoc vitae genus in Orientis atque etiam Occidentis partes est feliciter provectum. Ex Orientalium vero consuetudine in Ecclesia quoque Ruthena, ab ipsis rerum eius initiis, haec vitae Deo devotae societas floruit viguitque, auctore praesertim Sancto Theodosio Peceriansi, eiusdem Ecclesiae Coenobiarcha, cujus typicon, quod dicitur, Sancti Basilii instituta complectens atque e « Laura » Peceriansi ceteris ejusdem Ecclesiae asceteriis in exemplum praefulgens, communem quandam praebuit sacrae huius militiae normam. Monasteria, deinde, in regione Metropolitana Kioviensi sita, postquam Ruthenorum Ecclesia est cum hac Apostolica Sede, saeculo XVI, iterum coniuncta, in unam Congregationem Sancti Basilii Magni, a Josepho Velamin Rutzkyj, Metropolita, — annitente Sancto Josaphat, Archiepiscopo Polocensi, Martyre, — anno millesimo sexcentesimo septimo decimo, constitutam, paulatim coaluerunt. Quam monasteriorum coagmentationem seu Congregationem imprimis Urbanus PP. VIII, Decessor Noster, anno millesimo sexcentesimo tricesimo primo, probavit, eandemque, cum jam omnia asceteria illa uno Sancti Basilii Ordine continerentur, Benedictus PP. XIV, item Decessor Noster, anno millesimo septingentesimo quadragesimo quarto, sua confirmavit auctoritate. Cum autem Basilianus Ordo, post florentissimas res, temporum iniquitate, scilicet saeculo vergente decimo octavo, magna cepisset detrimenta, quandoquidem potior ejus pars a summa Russorum potestate adempta fuerat atque deleta, Pius PP. VII et Pius PP. IX, Decessores Nostri, providenti consilio ejus statum sublevare conati sunt. Leo autem PP. XIII, imm. mem., Litteris Apostolicis, die duodecima mensis Maji, anno millesimo octingentesimo octogesimo secundo, sub anulo Piscatoris expeditis, decrevit, ut eadem religiosa Sodalitas novis legibus atque institutis ordinaretur; quo ex praescripto novae conditae fuere Constitutiones, quas denique, anno millesimo nongentesimo nono, Sanctus Pius PP. X, uti certas atque absolutas, approbavit. Quae quidem Constitutiones ad canones Litterarum, quas die nona mensis Februarii, anno millesimo nongentesimo quinquagesimo secundo, motu proprio dedimus ad Orientales Ecclesias, a Sacro Consilio hisce ipsis praeposito sunt accommodatae. Preces igitur ad Nos admotae sunt, ut eas

Nostra auctoritate approbaremus; quibus, ut Nostram in hanc religiosam Sancti Basilii familiam significarem voluntatem, libenti animo statuimus obsecundare. Quapropter, e Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali consulto, omnibus attente perpensis, certa scientia ac matura deliberatione Nostra deque Apostolicae potestatis plenitudine, harum Litterarum vi perpetuumque in modum *Constitutiones Ordinis Basiliani Sancti Josaphat*, a memorato Sacro Consilio rite recognitas, approbamus et confirmamus iisque Apostolicae sanctionis robur adicimus, dummodo convenient cum exemplo, quod in Tabulario Sacrae ejusdem Congregationis pro Ecclesia Orientali asservatur, et cujus prima verba sunt: « Ordo noster "Ordo Basilianus Sancti Josaphat" nuncepatur », extrema autem: « Huic disciplinae de peccatis reservatis cum censura subiciuntur omnes professi ». Hisce simul Litteris et auctoritate Nostra abrogamus et abrogata esse declaramus ea omnia, quae hisce Constitutionibus, per Nos approbatis, non continentur. Contrariis quibusvis nihil obstantibus. Haec edicimus, statuimus decernentes praesentes Litteras firmas, validas atque efficaciter exstare ac permanere; suosque plenos atque integros effectus sortiri et obtinere; illisque, ad quos spectat seu spectare poterunt nunc et in posterum plenissime suffragari; sicque rite judicandum esse ac definiendum; irritumque ex nunc et inane fieri, si quidquam secus, super his, a quovis, auctoritate qualibet, scienter sive ignoranter attentari contigerit. Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XIV mensis Junii, festo Sancti Basilii Magni, Episcopi et Ecclesiae Doctoris, anno MDCCCCLIII, Pontificatus Nostri sexto decimo.

De speciali mandato Sanctissimi Pro Domino Cardinali a publicis Ecclesiae negotiis.

a Brevibus Litteris Apostolicis
GILDO BRUGNOLA



INDICES

INDEX NOMINUM

Numeri referuntur ad paginas praesentis voluminis. Numeri cum littera « n » respiciunt adnotationes textus.

- Abayvarensis comitatus, 330
 Abilensis Ecclesia, 519, 526
 Abydena Ecclesia, 551
 Adadensis Ecclesia, 553
 Adrianus PP. VI, 18
 Agnensis Ecclesia et Ep., 74
 Agriensis: Eparchia, 199, 212, 214, 216, 330; - Episcopus, 85n, 195, 198, 199, 200, 209, 211, 212, 326. v. Carolus Ep.; - Graeci, 199, 212
 Albanensis Dioecesis, 18, 157, 158
 Albanus Alexander Card. 208; - Joan. Franciscus Card., 174, 175
 Albaregalensis Dioecesis, 253
 Alberta prov. Canadae, 596
 Aldrovandi Card. Pompeus, 175
 Alessi S., 373
 Alexander IV, Papa, 159
 Alexander I, Imperator Rossiae, 316, 343, 579
 Alexandriae Sedes Patr., 482
 Alexandrowicz Joannes, 204
 Alexius, Imperat., 587; - Patriarcha Moscoviae, 589
 Alisir Stephanus, Archiep. Irenopol., 412
 Alfri Dionyssius Aug., 366
 Aloisius Ep. Portuen., 383
 Also-Bokad, paroecia, 338
 Also-Szapor, paroecia, 338
 Amacz Nagykalts, paroecia, 338
 Amat Aloysius, Vicecanc. Praenestini., 423
 Amatusii Eccl. tit., 601
 America, 580, 585; - septentrionalis, 496, 497
 Amisena Eccl. tit., 523; - Episcopus, 571, 602, 621
 Ančevskij Josephus, sac., 587
 Ancyranus Archiep., 191, 192, 229
 Andrijevci, oppidum, 608
 Andrusiv, oppidum, 24n, 578
 Anhelovyč Antonius, Metrop., 319, 320, 321
 Ankudovyč Josaphat, sac., 8n
 Antonelli Jacobus, Card., 425
 Antoninus, Archiep. Tarsensis, 394
 Antonius Gabrieli, Archiep. Petrensis, 315
 Antonucci Antonius, 424
 Antoniutti Hildebrandus, Del. Ap., 596, 604
 Aquinates Thomas S., 137
 Arad, 325
 Archetti Joannes, Nunt. Varsav., 244, 295
 Archinto Albericus, Nunt. Varsav., 108, 109, 121, 132, 133, 162
 Arius, 160
 Armeni, 34, 56, 70, 73, 274, 345, 438; - Patriarcha, 613; - Collegium, 38, 39, 44
 Armenia, 481, 482
 Augustineum, Colleg. Viennae, 392n
 Augustinus Sanctus, 136
 Augustus II, Rex Poloniae, 6, 8n, 12, 14, 15, 17, 20, 21, 22, 26, 28, 29, 30, 36, 38, 56n, 177, 275. v. Rex Poloniae
 Augustus III, Rex Poloniae, 56n, 79n, 106, 113, 116, 118, 120, 177, 178
 Augustus, Poloniae Rex., 145, 152, 153, 153, 155, 156, 157, 158, 174, 175, 176
 Austria 191, 208, 211, 214, 219, 228, 252, 315, 324, 326, 328; - Imperium, 252, 324, 356, 462; - Imperator, 323, 324, 354
 Babilonia, civitas, 158
 Bačka, regio, 254
 Bačynskij Andreas, Ep. Munkacsien., 228, 323
 Bačynskij Alexander, 484, 527
 Bagos, paroecia, 337
 Balatfalu, paroecia, 338
 Baltimoreense Concilium, 498
 Balsera, urbs, 160
 Barachty, oppidum, 232
 Baraniskij Ignatius, OSBM., 286
 Barbara S. ecclesia, 392n
 Barberinus Antonius Card., 93
 Barlafulu, paroecia, 338
 Baronius Card. C., 159
 Barnabò Alexander Card., 424
 Bartolini Domenicus, Prael. rom., 421
 Barvinskij Martinus, 406
 Basiliani, 6, 7, 7n, 8n, 16, 17, 18, 19, 20-23, 25-27, 29-32, 44-45, 51, 54, 55, 58, 62, 63, 65, 66, 74, 81, 82, 83, 84-86, 88-93, 100, 101, 106, 107, 110, 126, 130, 131, 134, 135, 144, 146, 148, 150, 152, 155, 161, 162, 165, 168, 169, 171, 172, 188, 205, 214, 222, 225, 234, 247, 248, 249, 250, 257, 258, 265, 266, 272, 277, 278, 279, 280, 281, 284, 288, 289, 291, 311,

- 318, 322, 325, 326, 335, 345, 349, 358, 441, 476, 480, 571, 572, 581, 585, 586
622, 623, 624
Basilius Sanctus, 136, 144, 416, 454, 456
623, 624
Battellus J. C., 18, 32
Battorius Stephanus, Rex Poloniae, 174, 175
Baumgartem Paulus M., 481
Bauer Antonius, 526n
Baziuk Alexius, 619
Belzensis civitas, 158; - Ecclesia, 379, 398,
399n; - Palatinus, 132
Benedicti S. Ordo, 182
Benedictus XIII, Papa, 39n, 69, 90, 135,
136, 160, 177, 314, 578
Benedictus XIV, Papa, 174, 177, 199, 210,
319, 335, 382, 394, 432, 438, 442, 443,
445, 477, 478, 583, 623
Beregh, paroecia, 333
Berestia, civitas, 169, 314
Berestensis districtus 297; - dioecesis, 224,
265, 276, 300; - Synodus 89, 187, 188;
- Unio 24n, 290
Berlina, paroecia, 338
Berlo Arsenius 61n, 89, 80
Bernardus S., 137
Beroënsis dioecesis, 542, 621
Beryti Archiep. 223, 225, 229, 253
Bianchi Card., 471
Bielanskyj Petrus, Ep. Leopoliensis, 266
Bielarusja, 177, 288, 300; - Ecclesia, 358;
- Eparchia, 577
Bieleckyj Andreas, Canon. Leopoliensis, 469
Bietkovskyj Georgius, 204
Bihalensis Vicearchidiaconatus, 338
Bihary Emanuel, 619
Bilio Aloisius Card., 425
Bilostok, oppidum, 397
Bilynskyj Hypatius, OSBM, 188
Bizarri Josephus, Card., 424
Bitynense monasterium, 247, 248
Bizanczy Georgius, Ep. Munkacs., 33
Blazovskyj Gabriel, Ep. Munkacs., 74, 85n
Bloudoff, legatus Rossiae, 383n, 385
Bochenskyj Joannes, Aux. Leopoliensis, 323,
387
Bodonensis Ecclesia, 19, 25
Bofondi Josephus, Card., 425
Bohachevsky Const., Ep. Amisenus, 534,
541, 542, 571, 602, 621
Bohemia, 129, 198, 208, 331
Bohorodczanensis decanatus, 461
Bona, Card., 123
Bonifatius VIII, Papa, 11
Boreckyj Isidorus, Ep. Amathusii, 601
Borgia Stephanus, 224, 226, 269, 271, 285
Borgosdiensis comitatus, 330
Borsodiensis districtus, 372
Borunensis ecclesia, 63, 66
Borussia, 297; meridionalis, 300; - Novo-
orientalis, 297, 300, 306, 312; - Rex 312,
313, 315
Borylensis Ecclesia, 323; - Episcopus, 323
Borysoviensis civitas, 138, 139, 141
Borysthenes, 26n
Boschi J. C., 152
Boskovicz Basilus, 144
Bossilkoff Eugenius, Ep. Nicopol., 615
Bouteneff, legatus Rossiae, 383
Boyer Joan. Petrus, Archiep., 482
Braclaviensis Palatinus, 190, 194, 195, 231
Bradacs Joannes, Ep. Rossen., 196, 218,
219, 220, 228, 333
Bradacs Michael, Ep. Borylen., 323
Brantford, 601
Brestensis, 575, 32, 577, 580, 581; - Con-
sistorium, 203, 224; - Curia ep., 203, 208;
- Eparchia, 221, 224, 265, 276, 280, 289,
290, 296, 300, 312; - Episcopus, 229, 231,
256, 289, 291; - Palatina, 171. v. Be-
restensis
Brimont A., 403, 405, 406
British Columbia, 594
Brolnickyj Gedeon, Aep. Polocen., 415, 417
Brugnola Gildo, Prael., 624
Bruner C., 172
Brunsbergense Collegium, 93n
Brusyliv, pagus, 227
Bučać, oppidum, 222; - monasterium, 222
Bučko Joannes, Ep. Cadoënsis, 552, 611;
- Archiep. Leucaden., 607, 619
Buchowiecki Ignatius, 186
Buczaczensis decanatus, 461, v. Bučać
Budapestina Universitas, 444n
Budka Nicetas, Ep. Pataren., 509, 510, 551
Bug, 300
Buh, flumen, 227
Bukatko Gabriel, Ep. tit. Severianen., 608
Bukovinaensis decanatus, 461
Bulgaria, 615
Bulhak Georgius, Ep. Pinscen., 83, 203,
261, 265, 280
Buzzi Joannes Corboli, 383
Byzacena provincia, 609
Byzantinus, 565, 567. v. Ritus
Cadoëna Ecclesia, 552
Caerularius Michael, 89, 370, 535
Caesarius Sanctus, 136
Cagiano Octavius, 542
Calcedonensis Archiep., 294
Cameneccensis Ecclesia, 61, 181, 384, 565;
- Episcopus, 60, 69n, 69, 70, 223, 245,
272, 367, 438
Campori Aulius, 542
Canada, 508, 509, 510, 511, 550n, 572, 573,
580, 586, 595, 596, 597, 598, 599, 600,
601, 603, 606, 622
Canadensis Exarchatus, 572, 595, 596, 598,
603, 604, 619; - Delegatus, 604, 605
Canana Aloisius, Ep. tit. Pataren., 509
Canathensis Ecclesia, 401, 402, 405
Canisius Petrus, 537
Canceuvensis Eccl., 594
Cappucinatorum Ordo, 93n

- Carafa de Traetto Dominicus, Card., 424
 Carafa Aloisius, Card., 100
 Carinci Alfonsus, 551, 555, 557, 573
 Carolus, Ep. Egriens., 195, 209, 211
 Carolus IV, Imp., Austriae, 521, 522, 523
 Carolus VI, Imper. S.R.L., 199
 Carolus XII, Rex Suetiae, 8n, 43n, 153n
 Carpatii montes, 461, v. *Ucraina Carpatica*
 Carthaginensis Eccl., 287
 Casanas y Pages Salv., Ep. Urgellen., 482
 Cascajares y Azara Anton., Car., 482
 Cassovia, 323, 326; - Vicarius, 333
 Castellani Brancaleoni, Prael. Ro., 393, 394
 Castelli Hector, 555
 Catanensis Ecclesia, 392, 394
 Caterini Prosper, Card., 425
 Catharina II, Imper. Moscoviae, 267, 289, 293, 294
 Cernyhivensis Eccl. et Ep., 274, 293
 Chalcedonensis Archiep., 244; - Concilium, 362, 613, v. *Calcedonensis*
 Chelmensis Eparchia, 90, 151, 152, 180, 181, 227, 235, 243, 259, 273, 284, 343, 349, 359, 375, 399, 426, 438, 439, 440, 443, 577, 579, 587; - Episcopus, 28, 29, 30, 179, 180, 181, 225, 258, 272, 285, 311, 343, 349, 350, 360, 375, 385, 399, 409, 426; - Capitulum, 343; - Civitas, 350; - Seminarium, 258
 Chelminski Josephus, 185
 Chersonesus Eccl., 384, 385
 Chira Alexander, 619
 Chodeska Joannes, 419
 Chodkiewicz Alexander, 297
 Chomyšin Gregorius, Ep. Stanislaopol., 487, 553, 554
 Chrysostomus Joannes S., 136
 Ciechanovskij Ferdinandus, Ep. Chelmensis, 343, 349
 Gioja A., 373
 Ciasca Aug. Archiep. Larissen., 471
 Cialente Americus, Prael., 495
 Clarelli Paracciani, Card., 402, 409
 Claszari Gebe, paroecia, 338
 Cleary Patritius, 601
 Clemens VII, Papa, 18, 159
 Clemens VIII, Papa, 89, 90, 99, 123, 124, 313, 317, 335, 438, 455, 576, 581, 582
 Clemens XI, Papa, 275, 314
 Clemens XIV, Papa, 241, 326, 382, 583
 Cleveland, oppidum, 592
 Cobrynense monasterium, 207, 221, 224
 Coccino Joan. Bapt., 419
 Concilium Florentinum, 535; - Lateranense, 466; - Lugdunense, 535; - Tridentinum, 384.
 Consolini Dominicus, Card., 425
 Constantinopolitana civitas, 159; - concilium, 613; - Ecclesia, 368, 575; - Patriarcha, 10n, 315; - Symbolum, 368
 Constantinus Ep. Perem., v. *Czechovyč*, 490
 Copti, 482
 Corinthiensis Eccl., 571
 Corsi Cosmas, Card., 423
 Cosaci, 578, 587
 Cracoviensis Episcopus, 53, 449; - Palatinus, 53
 Crisiensis Eparchia, 254, 255, 519, 520, 525, 526, 527, 569, 570, 608, 609, 619; - Episcopus, 525, 526
 Cristaldi Bellisarius, 322
 Croatia, 254, 255
 Csamawkoz, paroecia, 338
 Csenger, paroecia, 337
 Csurgovics Joannes, 454
 Cugnoni J., 425, 502
 Cuiaviensis Episcopus, 272
 Cullen Paulus, Card., 425
 Culmensis Episcopus, 192, 223, 245, 272
 Cyprianus Sanctus, 136
 Cyzicenus Eccl. et Ep., 544, 551
 Czar Moscoviae, 7n, 20, 106n, v. *Moscoviae Czar*
 Czarneckyj Nicolaus., 555
 Czartoryski Federicus Michael, 146
 Czechovyč Const., Ep. Peremyslien., 488, 521, v. *Constantinus*
 Czereja ,oppidum, 264
 Czetvertynskij Svjatopolk, Ep. Mohilov., 57n, 58, 61n
 Cziko, paroecia, 338
 Czortkoviensis, decanatus, 461
 Damascenus Archiep. 519
 Danapro, flumen, (Dnipro), 587
 Daniel, Rex, 159, 535
 Daoniensis Ecclesia, 546, 547
 Daulinensis Ecclesia, 495
 De Albertis Joan. Bapt., 411
 De Alteriis Ludovicus, Card., 423
 De Angelis Philippus, Card., 423
 De Arbus Petrus, 422
 De Bonnechose Henricus, Card., 424
 De Hohenlohe Gustavus, Card., 425
 De Luca Antonius, Card., 424
 Dembowski Sebastianus, Ep. Plocensis, 118
 Dengelek, paroecia, 338
 De Petro Camillus, Card., 424
 De Plano Joannes Carpino, 535
 De Reizach Carolus, Card., 424
 De Ruggiero, Card., 483, 484
 Dermanense monasterium, 16, 17
 Ders, paroecia, 338
 Desznica, pagus, 453
 Deucherius Petrus, 420
 Diocaesareae Episcopus, 141
 Diomedes Archiep. Larissenus, 501
 Dioscorus, 160
 Dmochowski Casimirus, Metrop. Mohilovien., 381
 Dnipro, flumen, 24n, 250, v. *Danapro*, *Borysthene*
 Dob, paroecia, 337
 Dobromilensis reformatio, 586; monasterium, 226, 456, 357

- Doctor Angelicus, 464, v. S. Thomas Aquinates
 Dolnyckyj Isidorus, Praelatus, 483, 484
 Dolyaa, oppidum, 223
 Domahida, paroecia, 338
 Donnet Franciscus, Card., 424
 Dorogiensis ecclesia, 333
 Doumer Antonius, Ep., 453
 Drohicensis residentia, 300
 Drogea, civitas, 300
 Drohobeckyj Julius, Ep. Crisien., 525
 Drohomirczanensis ecclesia, 237
 Dualiensis Ep. tit., 543
 Dubnense monasterium, 17; - Capitulum, 162
 Duchnovskij Nicolaus, Ep. Supraslien., 312, 313
 Durini Angelus Maria, Nunt. Varsav., 191, 192, 229
 Dzikovskij Josephus, 172
 Dzunzoviensis ecclesia, 184
- Edessenus Archiep., 33, 36, 38, 40, 49, 90, 314
 Edmonton, civitas, 596
 Elephantutius Caietanus, Card., 175, 176
 Eleuteropolitanus Ep., 364
 Elisabeth, Czarina Moscoviae, 104, 105
 Elko Nicolaus, Praelatus, 610
 Endred, paroecia, 338
 Eperiessensis Eparchia, 327, 328, 330, 333, 337, 354, 371, 372, 373, 512, 513, 514, 548, 549; - Episcopus, 326, 329, 330, 331, 332, 444, 446; - Capitulum, 373, v. Prešovensis, Prjašivensis, Fragopolitana
 Ephesinus Archiep., 183, 187, 188, 189, 190, 191, 209, 211, 213
 Epiphanius Sanctus, 136
 Epirus Vetus, 619, 620
 Erdő-Srada, paroecia, 338
 Erdődiensis vicearchidiaconatus, 338
 Erdoszadiensis vicearchidiaconatus, 338
 Esztrő, paroecia, 338
 Eugenius IV, Papa, 89n
 Europa, 588; - Occidentalis, 608; - Orientalis, 564, 612
 Europensis Episcopus, 592, 593
 Euthyches, 160
 Exarchatus Ap., in Civit. Foederatis Americae, 496; - in Canada, 508. v. Foederatae Civ. Americae, Canada
 Fabianhaza, paroecia, 338
 Fabius Maria, 423
 Falkovskij Athanasius, OSBM, 291
 Farhas-Aszod, paroecia, 338
 Fejer Emanuel, 511
 Felicis de Bernardus, 620
 Feliciangeli Hieronymus, Prael., 391
 Felicianus Metropolita Kiovien. v. Wolodkovycz
 Felső-Bokad, paroecia, 338
 Ferdinandus I, Imper. Austriae etc., 354, 355, 371, 372, 386
- Ferretti Franciscus, 573
 Firezak Julius, Ep. Munkacsien., 473, 503, 504, 505, 506, 507
 Fizikievycz Bonifacius, OSBM, 266
 Flod Vincentius, Ep. Hephaestien., 470
 Florentinum Concilium, 89, 160, 357, 575, 613
 Föelle-Terebess, paroecia, 338
 Fogarasiensis Ecclesia, 241
 Foederatae Civitates Americae, 580. v. Exarchatus
 Fragopolitana Eparchia, 327, 594. v. Eperiessien., Prjašivensis, Prešovensis
 Franciscus I, 212; - Imperat. Austriae, 315, 317, 324, 328, 333, 337, 338
 Franciscus Josephus, Imper. Austriae, 403, 404, 429, 430, 433, 434, 444, 447, 460, 461, 465, 468, 473, 485, 489, 503, 505, 506, 507, 512, 513, 514, 529n
 Francini Dominicus, 553, 557
 Francei Antonius, 393
 Fredericus Guillelmus III, Rex Borussiae, 297, 298, 299, 300, 301
 Fredro Joannes, 487; Sophia, 487n
 Fredericus Augustus II, Poloniae Rex, 8n, 43, 44, 52, 53, 56n, 57, 60, 61, 72, 79, 87, 101, 102, 133, 138, 154, 180, 181
 Frühwirth Andreas Card., 551, 553, 557
 Fulgentius Sanctus, 136
 Fylypovyč Polycarpus, OSBM, 18, 19, 25
- Gaganetz Josephus, Ep. Prjašiven., 371, 372, 373, 444, 459n
 Galano P. Cle., 56n
 Galicia (prov. Ucrainae), 315, 317, 318, 324, 585, 586, 588, 607, 621
 Gallo I, Prael., 429, 436, 437
 Galdulphi arx, 16, 18, 156, 157, 158, 170, 172
 Garampi Josephus, Nunt. Varsav., 223, 225, 229, 253
 Garcia Cuesta Michael, Card., 424
 Garnier Joannes, 136
 Gasparri Petrus, Card., 528, 534, 544, 550
 Gatto J., Prael., 445, 446, 447
 Gebe Victor, 484
 Gebey Petrus, Ep. Munkacsien., 545, 556
 Genes, paroecia, 338
 Gennadius, monachus, OSBM, 420
 Genochi Joannes, 530n
 Georgius Sanctus, 584
 Germania, 129
 Giannini Ferdiani, Archiep. Serrensis, 565
 Glowniewskij Arsenius, Ep. Volodimirien., 289, 290
 Gmytraszevycz Volod., Prael., 619
 Gnesnensis Archiep., 53, 55, 80n, 103, 104, 147, 248, 278, 279, 282
 Goar, 123
 Godebskij Theophilus, Ep. Pinscen., 53, 150
 Godurovskij Lucas, 204

- Gojdič Petrus, Ep. Prjašivensis, 548, 549, 567, 568, 594
 Gomoriensis comitatus, 333
 Gonin Joachim, 470
 Gotti, Card., 511; Hieronymus, Ep. Pe-trensis, 482
 Graeca natio, 6, 199, 288
 Graeci, 70, 196, 197, 199, 200, 209, 212, 214, 215, 216, 250, 330, 332, 337, 338, 345, 357
 Graecorum Collegium, 93n, 97, 272, 412, 448, 453, 486, 584
 Graeco-catholicus, 338
 Graeco-Melchiti, 97
 Graeco-Russi, 358, 359, 361, 367, 368
 Graeco-Rutheni, 360, 361
 Graetzense Collegium, 93n
 Grano Carolus, Prael., 610
 Grasselini Gaspar, Card., 425
 Gregorius Magnus, 269, 270
 Gregorius, Episcopus, 371, 372, 373, 374, 400; - Ep. Crisiensis, 400
 Gregorius VII, Papa, 535
 Gregorius XI, Papa, 99
 Gregorius XIII, Papa, 129, 130, 159, 332, 455
 Gregorius XVI, Papa, 374, 375, 377, 383, 390, 438, 439, 579, 584n
 Grimaldi Hieronymus, Nuntius Varsav., et Card., 33, 36, 38, 40, 49, 90, 314
 Grobelskyj Joannes, 511, 528
 Grodek, villa, 53
 Grodnensis, conventio, — residentia, 300
 Grzymultowski, pax, 23n
 Guidato Alexander, 554
 Guidi Philippus, Card., 424
 Gutkowski Joannes, Ep. Podlachien., 364
 Gongy, paroecia, 338
 Gzowski Franciscus, 264; - Onuphrius, 264
- Hadasz, paroecia, 338
 Hadzega Basilius, Prael., 558, 559
 Haliciensis Archiepiscopus, 31, 69, 112, 115, 180, 181, 192, 222, 243, 244, 259, 261, 262, 269, 271, 272, 317, 321, 324, 367, 438; - Metropolita, 34n, 313, 315, 320, 324, 325, 349, 354, 364, 366, 394n, 396n, 443; - Eparchia, 12, 13, 14, 17, 31, 32, 60, 61, 113, 131, 151, 152, 180, 181, 260, 261, 262, 272, 273, 315, 316, 317, 319, 320, 321, 322, 403, 407, 489, 565; - civitas, 180; - decanatus, 461
 Haller Joannes, Archiep. Salisburgen., 482
 Hephестиensis Ep., 470n, 470, 471
 Harpasena Eccl. et Ep., 568, 569, 548, 549
 Heracleensis Archiep., 547
 Herbut Joannes, 226, 456n
 Hermaniuk Maximus, Auxil. Exarch. Canadensis, 606
 Hierapolitana Eccl., 552, 593
 Hieronymus Sanctus, 362
 Hlebo-Borisoviensis Archimandrita, 113
 Hodermarskyj Josephus, Sac., 9n, 18n
 Hodobay Andreas, Prael., 511
 Holodivka, oppidum, 546n
 Hommonensis comitatus, 330
 Hopko Basilius, Ep. Midilensis, 594
 Horbackyj Gedeon, Ep. Pinscen., 203, 261, 262
 Horodencensis decanatus, 461
 Horodiszczce, villa, 182
 Horodiscense monasterium, 182
 Hornikiewicz Miron, Prael., 619
 Hoścense monasterium, 227
 Hostovicensis comitatus, 330
 Hosius Stanislaus, Ep. Camenecen., 70
 Hrabске, pagus, 594n
 Hrebnyckyj Florianus, Metrop. Kiovien., 55, 61, 79, 80, 105, 109, 112, 113, 115, 120, 128, 138, 151, 152, 170, 174, 175, 176, 179
 Hryhorovyč Theodosius, Hegumenus, 227
 Hryncevyč Victorius, 170
 Hungaria, 18, 33, 70, 71, 192, 196, 197, 199, 215, 241, 252, 254, 255, 326, 329, 330, 331, 580; - Universitas, 445
 Hungowar (Uzhorod), oppidum, 326
 Husiatynensis decanatus, 461
 Husztensis, paroecia, 433
- Iampolensis ecclesia, 266
 Iconiensis Ecclesia, 564
 Ilnicki, Hegumenus non unites, 177
 Ilynyckyj Alexander, Prael., 619
 Innocentius III, Papa, 199
 Innocentius IV, Papa, 89, 99, 159
 Innocentius XI, Papa, 334
 Innocentius XII, Papa, 334
 Innocentius XIII, Papa, 90
 Invaško, paroecia, 338
 Irenaeus Sanctus, 362, 370
 Isidorus Card., Metrop. Kiovien., 89, 357, 535, 575
 Italia, 199
 Italo-Graeci, 123, 124
 Iudaei, 87
 Ivancho Daniel, Ep. Europen., 592
 Ivankoviensis ecclesia, 185
 Iwanowski Matthias, Luccorien., 266
 Izjaslaus II, Princeps Kiovien., 89n
- Jachymovyč Gregorius, Ep. et Metrop. Leopoliens., 324, 366, 386, 387, 396, 397, 402, 403; - Joannes, 264
 Jacobini, Nuntius Viennen., 448
 Jakovich Joannes, 484
 Janoviense Consistorium, 256
 Javariensis Eparchia, 253
 Javorovskyj Leo, Ep. Supraslien., 280
 Joachimus, Ep. Pinscen., 280, 281, v. Horbackyj
 Joannes XXIII, Papa, 315
 Jomnienina Ecclesia, 600
 Joniensis Archiep., 69
 Jorio Dominicus, 553

- Josaphat Sanctus, 7n, 44, 62n, 90, 165, 198, 276, 297, 414, 415n, 455, 457, 532, 536, 537, 538, 543, 586, 610, 622, 623, 624; - Collegium, 586, 610-611; ecclesia, 596
 Josephus II, Imper. S. R. Imp., 191, 192, 212, 586
 Josephus de Camillis, Ep. Munkacsien., 9
 Jotana Ecclesia tit., 573
 Jugoslavia, 569, 580
 Juliopolitana Ecclesia tit., 453, 453n, 454, 467, 468
 Juskowski Theodorus, 185

 Kaiow (Kaniow), Abbatia, 266
 Kolbieczynskij Theophanes, OSBM., 8n
 Kalinskij Joannes, Admin. Ep. Chelmen., 398, 399, 409
 Kamencensis Ep., 471, v. Camencensis
 Kaminka, pagus, 323
 Kamocki Andreas, 186
 Kanioviensis Abbas, 266
 Kapjou, paroecia, 338
 Kelmensis Eparchia, 316, 317, 319, 386; - Episcopus, 223, 245, 272, 284, 315, 318, v. Chelmensis
 Kenge, paroecia, 338
 Kerestur, oppidum, 254, 371n
 Kilmontovik Emilianus, 79, 80
 Kiovia, 101, 293, 521n. v. Chiovia, Kyjiv
 Kioviensis Archieparchia, Eparchia, Metropolia 12, 13, 14, 17, 26n, 31, 31n, 32, 60, 61, 62, 63, 65, 66, 88n, 112, 113, 130, 131, 139, 151, 152, 179, 180, 181, 184, 185, 207, 227, 259, 260, 262, 272, 273, 296, 297, 300, 316, 318, 319, 343
 — Metropolita, Archiepiscopus, 31, 34n, 69, 70, 106, 108, 112, 115, 180, 181, 189, 192, 194, 195, 206, 221, 222, 224, 229, 236, 243, 244, 259, 260, 261, 262, 264, 265, 269, 271, 272, 280, 284, 287, 297, 301, 314, 415, 316, 317, 318, 357, 522n, 536n 623
 — Congregatio OSBM, 127; - Curia Archiep., 184, 185; - civitas, 180; - Concilium, 88; - Palatinus, 190, 194, 195, 227, 260; - Patriarcha, 27; - urbs, 615; - districtus, 297. v. Chiovia, Kyjiv
 Kiovo-Peczerensis Archimandria, 113, 260, 273
 Kiss-Majteny, paroecia, 338
 Kiška Leo, Metrop. Kiovien., 31, 32, 34, 37, 39, 49, 52, 59n, 60, 84, 297
 Kiss-Szokond, paroecia, 338
 Kizikovskij Jacobus, 8n
 Knyševyč Josaphat, OSBM., 8n
 Kobielski Franciscus, Ep. Luceoricn., 102n
 Kocyllovskij Josaphat, Ep. Premyslien., 521, 522n, 523, 524, 547
 Kookd, paroecia, 325
 Kolenda Gabriel, OSBM., 8n
 Kolomyjensis decanatus, 461
 Komjath, locus, 354
 Komorowski Adamus, Archiep. Gnesnensis, 119, 120n, 147
 Kondratowicz M., OSBM., 8n
 Konyskij Georgius, Ep. Mohilov., 157, 177
 Kousalevskij M., OSBM., 8n
 Korotnoki Joannes, Prael., 550
 Körtuelisses, paroecia, 338
 Korytinskij Zeno 353
 Korčynskij Hierotheus, OSBM, 277, 278, 279, 281, 282, 283
 Korowinczyki, locus, 185
 Kossoviensis decanatus, 461
 Kosteckij Celestinus, Prael., 528
 Kostomlicensis ecclesia 208, 221, 224
 Kovacs Meletius, Ep. Magnovaradien., 218
 Kopez Homorod, paroecia, 338
 Kramer I, Ep. Const., 593
 Krokovskij Joasaf, Metrop. Kiovien., 27n
 Krasovskij Joannes, Ep. Polocensis, 334
 Krasso, paroecia, 338
 Krechiv, monasterium, 456n, 571, 572
 Krechivei, pagus, 237
 Krolewskie Koniuszki, pagus, 470
 Krystynopil, monasterium, 227, 487n
 Kuzyczoviensis ecclesia, 138
 Kudrycze, villa, 275
 Kudryncensis decanatus, 461
 Kukizoviensis eccl., 204
 Kulivskij Julianus, Ep. Stanislaopol., 470, 473, 478, 479, 486, 487, 488, 489
 Kuncевичius Gabriel, 415
 Kuncевичius Marina, 415
 Kuncewycz Josaphat, Martyr et Sanctus, 334, 414, 578. v. S. Josaphat
 Kupiatycensis paroecia, 182
 Kushnir Basilius, 619
 Kuziemskij Michael, Ep. Chelmen., 426, 439n
 Kuznicensis residentia, 300
 Kyjiv, 232. v. Chiovia, Kiovia, Kioviensis
 Kysiel Adamus, 100, 101, 102

 Laborcensis comitatus, 330
 Labrador, 596
 Ladyka Basilius, Ep. tit. Abyden., 516n, 550, 572, 599, 600, 606, 622
 Lakota Gregorius., Ep. Auxil. Premyslien., 546, 548
 Lambruschini, Card., 383
 Lankoroski Const., 8n
 Lastra y Cuesta Ludovicus, Card., 424
 Lateranense Concilium, 198, 199, 305
 Latini, 199, 204, 241, 315, 335, 336, 362, 364, 368. v. Ritus
 Latyševskij Joannes, Ep. tit. Adaden., 553
 Lazowski Andreas, 203, 204
 Lebediensis Ecclesia, 555
 Ledochowski M. Card., 469, 472, 473
 Leo X, Papa, 18, 159
 Leo XIII, Papa, 579, 580, 586
 Leo, Metrop. Kiovien., 6. v. Kiška L.
 Leopoliensis Eparchia, Metropolia, 10n, 23,

- 26n, 35, 38, 61, 90, 131, 180, 181, 193, 204, 206, 222, 223, 237, 266, 315, 316, 317, 319, 320, 321, 322, 324, 325, 386, 387, 388, 396, 402, 403, 404, 405, 406, 408, 429, 430, 461, 462, 463, 466, 467, 467, 469, 483n, 489, 490, 484, 510, 521, 523, 564 - 567, 579, 583 - 584, 619
- *Episcopus*, *Metropolita*, 5, 13, 32, 34, 34n, 35n, 60, 69n, 70, 82n, 125, 184, 192, 194, 195, 206, 229, 231, 257, 266, 317, 318, 320, 321, 324, 325, 350, 366, 367, 386, 387n, 388, 390, 391, 392, 397, 406, 408, 411n, 412, 413, 438, 443, 449, 453n, 462, 467, 471, 478, 479, 509n, 521, 521n, 522, 523, 524, 553, 577, 620
- *Consistorium*, *Capitulum*, *Clerus*, 11, 204, 205, 266, 390, 407, 441, 442, 477, 478; - *Consulare Officium*, 11; - *Palatinus*, 193; - *professores*, 447; - *provincia*, 439; - *Seminarium*, *Collegium*, 34, 56, 72, 73, 131, 274, 412, 464, 483; - *Soc. Theologica*, 564; - *Accademia Eccl.*, 585; - *Synodus prov.*, 471, 472, 474, 475, 479, 485; - *templum princeps*, 584; - *Tribunal*, 393; - *Universitas studiorum*, 453; - *Vicar. gen.*, 527n
- Leonardus a Cruce, 422
- Leszczynski Stanislaus, Rex, 8n, 43n. v. Rex Poloniae, Stanislaus
- Leucadensis Eccl. tit. et Archiep., 607, 619, 620
- Levinskyj Antonius, Ep. Leopoliensis, 203; - Stephanus, Archidiaconus, 207, 267
- Levyckyj Basilius, Prael., 484
- Levyckyj Michael, Metrop. Leopoliensis. Card., 324, 325, 350, 354, 366, 367, 388, 390, 391, 392, 393, 394, 579
- Levyckyj Josephus, Ep. Chelmen., 29
- Liberati Alfridus, Prael., 551, 553, 554, 555, 557, 573, 595, 600
- Lincevskyj Gervasius, Ep. Perejaslaviensis, 190
- Lipiensis ecclesia, 242
- Lipo, paroecia, 338
- Lipski Joan. Alex., Card., 80, 103, 106
- Lisanskyj Heraclius, OSBM, 150, 128
- Lisky, oppidum, 243
- Lisovskij Heraclius, Aep. Poloceni., 316
- Lithuaniae Magnus Ducatus, 20, 23, 36, 37, 55, 87, 103, 104, 105, 110, 116, 134, 138, 139, 140, 146-148, 156, 162, 164, 165, 192, 207, 229, 231, 247, 249, 258, 287, 291, 297, 300, 358, 536n, 537n; - Magnus Dux, 164, 575; - Eparchia, 358; - Cancellarius, Procancellarius, Mareschallus, Thesaurarius, 155; - Provincia Basilianorum (SS. Trinitatis), 84, 90, 92, 93, 97, 99, 101, 106, 126, 127, 129, 150
- Litta Laurentius, Nunt. Varsaviensis, 292, 294, 311
- Livoniensis Ecclesia, 221, 224; - Episcopus, 223, 245
- Lohnicensis ecclesia, 246
- Lotovych Antonius, Prael., 619
- Lubienskyj A., sac., 171, 395
- Lublinense monasterium, 92
- Lubomirski Stanislaus, Princeps, 190
- Lucensis Archiep., 6
- Luceoria, 26, 27, 28, 30
- Luceoriensis Eparchia, 13, 16, 17, 23, 28, 29, 30, 90, 96, 127, 131, 131n, 169, 227, 234, 242, 256, 267, 268, 275, 280, 291; - Episcopus, 7n, 26, 27, 108, 152, 182, 223, 245, 256, 267, 272, 577, 581; - Consistorium, 186, 203
- Lugdunense Concilium, 89
- Lugos, paroecia, 338
- Luganensis Ecclesia, 593
- Lupus Christianus, 123
- Lyrbensis Ecclesia tit., 507
- Lytvynovyč Spiridion. Metrop. Leopoliensis, 324, 392, 396, 401, 402, 404, 405, 406, 408, 426n, 429
- Luzynskyj Basilius, Ep. Oršanensis, 358
- Macarius II, Metrop. Kioviensis, 297, 315
- Macchi Card., 301, 393, 394, 486, 491
- Macedonia, 565
- Macedonius, 160
- Maciejowski Bernard., Card., 174, 175
- Macrensis Ecclesia, 549
- Madarasz, paroecia, 338
- Maglione Aloisius, Card., 573
- Magnokarolyiensis vicearchidiaconatus, 337
- Magnovaradiensis canonicus, 325; - Eparchia, 252, 254, 255, 333, 337, 338, 339
- Magri, 123
- Magyoros, paroecia, 338
- Mainensis Ecclesia, 571
- Makiloviensis (Mohiloviensis), Eparchia, 177, 178, 179. v. Mohiloviensis
- Makov, 325
- Malachowski Joannes, Cancell. Polon., 154
- Mallensis Episcopus, 295
- Maloberezne, monasterium, 74n
- Mammias Gregorius, Patr. Constant., 575
- Manara Achilles, Ep. Antonitanus, 482
- Manitoba, prov. Canadae, 596, 606, 607; - Exarchatus, 556n, 603
- Marcopolitana Ecclesia, 393
- Maria S. de Pasculo, 345. v. SS. Sergii et Bacchi eccl.
- Maria Theresia, Imper. S. R. Imper., 192, 196, 198, 208, 211, 212, 213, 214, 215, 218, 219, 220, 228, 241, 252, 254
- Maria Josepha, Regina Poloniae, 157
- Mariae S. ecclesia, 592
- Marini Alfridus, Prael., 551, 553, 557, 573, 600
- Marcovecensis ecclesia, 186
- Marmarosiensis archidiaconatus, 433
- Maroniti, 345
- Martinetius L., 18, 32
- Martyropolitan. Aep., 622
- Massalski Ignatius, 170
- Mattei Marius, Card., 423, 425, 436, 437

- Maximowicz Marianus, OSBM., 389
 Meddes, paroecia, 338
 Mediolanensis Archiep., v. Laur. Litta, 311
 Megarensis Ep., 364
 Meleczo ex Smolensk, 537
 Meleniewski Michael, 264, 265
 Melitensis Ep., 270
 Melnickyj Josephus, Prael., 483
 Merlino Clemens, 419; - Camillus, Nuntius Vars., 59, 69
 Merry del Val, Card., 502, 509, 511
 Mertel Theodulphus, Card., 425, 460, 471
 Metropolia Haliciensis v. Haliciensis
 Metropolia Kioviensis v. Kioviensis
 Metropolia Russiae v. Kioviensis
 Mezo Terem, paroecia, 338
 Michael III, Metrop. Kiovien., 313 (v. Ra-
 hoza)
 Michael, vicedux, 420
 Michael, Metrop. Graecus, 89n
 Michalowski Xaverius, 266
 Micuta, 300
 Mihunevyč Polycarpus, OSBM., 107
 Michiewicz Jordanus, OSBM., 322, 325
 Midilensis Ecclesia tit., 594
 Mielnicensis ecclesia, 203
 Milezi-Pironi-Ferretti Joseph, Card., 424
 Minetti Petrus, Prom. f., 420, 421
 Minscensis Archiep. 293; - monasterium,
 63, 63n, 66, 170, 171; - districtus, 138n
 Mirzewski Franciscus, Canon. Livon., 221,
 224
 Mizerszko Josephus, Prael., 528
 Mloekyj Simeon, Ep. Volodimirien., 289,
 290
 Mlodovskij Antonius, Ep. Volodimirien.,
 207, 224, 229, 231, 256
 Mohilovia (Mohyliv) civitas, 117, 177; -
 Archiep. Latinorum, 259, 260, 295, 364,
 381, 381n, 395, 482n
 Mohiloviensis Eparchia orient., 57, 58, 61,
 79, 80, 113, 153, 154, 155, 156, 177, 189,
 260; - Episcopus, 112, 138, 139, 141,
 157n, 177, 189, 364; - populus 157
 Monachi rutheni uniti, v. Basiliani, Ruthe-
 ni etc.
 Morabito Josephus Archiep., 544
 Morhulec Josephus, OSBM., 277
 Morsilli Franciscus, 421
 Moscovia, 24n, 26, 43n, 69, 259, 266, 288,
 289; - Magnus Dux, Czar, Imperator, 21,
 24, 26, 103, 104, 105, 293, 316
 Moschi (Moscoviti), 6, 22, 23, 24, 26, 29,
 30, 87, 103, 105, 153, 190
 Moscoviensis Ecclesia, 288; - Patriarchatus,
 280
 Mosty Velyki, oppidum, 599n
 Mryc Michael, Prael., 502
 Mstislaviensis Ep., 177
 Munkacs (Mukačevo), oppidum, 214, 215,
 219, 326, 355
 Munkacsiensis Eparchia, 9, 18, 33, 195, 196,
 198, 208, 211, 212, 213, 214, 215, 216,
 218, 219, 220, 221, 228, 252, 241, 323,
 325, 326, 328, 329, 337, 339, 354, 355,
 356, 413, 432, 433, 435, 436, 503, 504,
 505, 506, 507, 512, 514, 515, 543n, 544,
 545, 545n, 546, 556, 557, 557n, 558n, 592,
 619; - Episcopus 212, 215, 220, 323, 325,
 328, 330, 333, 337, 354, 356, 413, 414,
 431, 444n, 459n, 545, 556n; - Vicarius
 Ap. 18n, 33, 70, 71, 74, 85, 86, 196,
 209, 210, 212, 213, 218; - Rector Semi-
 narii, 445; - Capitulum, 435, 504; -
 Graeci, 198
 Myhunevyč Polycarpus, OSBM., 91, 99n
 Nagy-Karol, paroecia, 338
 Nagy-Szokond, 338
 Nancemensis Ecclesia, 601
 Nancy, civitas, 564
 Nanto, paroecia, 338
 Nadvornaensis decanatus, 461
 Navarra Leonardus, Ep., 621
 Naxiensis Ecclesia, 554
 Nazianzena Ecclesia, 411
 Nazianzenus Gregorius Sanctus, 136
 Neo-Eboracensis, civitas, 541
 Nepomucenus Joannes Sanctus, 323
 Nestorius, 160
 New Brunswick, provin., 596
 New Foundland, provincia, 596
 Nicaenum Concilium, 613
 Nicolaus I, Imper. Rossiae, 343, 359, 360,
 364, 375, 377n, 383n
 Niemen, flumen, 300
 Nimis, oppidum, 596n
 Nina J. 429, 445, 446, 447
 Niskenicense monasterium, 100, 101, 102
 Njarydi Dionysius, Ep. Crisien., 569, v.
 Nyarydi
 Novak Stephanus, Ep. Prjasivensis, 512,
 513, 514, 515
 Nova Scotia, provincia, 596
 Nove Selo, pagus
 Novhorod Severiensis, oppidum, 274
 Nowosielski Augustinus, OSBM., 207, 221,
 256
 Nyaradi Dionysius., Ep. Crisien., 519, 520,
 526, 550n. v. Njaradi
 Nyierensis, paroecia, 338
 Obarov, villa, 53
 Oginski Ignatius, Nobilis, 140
 Olhah-Györös, paroecia, 338
 Olah-Kodos, paroecia, 338
 Olah-Tajfalu, paroecia, 338
 Olah-Uifalu, paroecia, 338
 Olendzki Stephanus, 170
 Oliverius C., 51, 59, 172
 Olomucense Collegium, 93n
 Olšavskij Simeon, Ep. Munkacsien., 70, 71
 Olšavskij Michael, Ep. Munkacsien., 85, 86
 Olszewski Josephus, 204
 Olycensis ecclesia, 234
 Ontario, prov. Canadae, 596

- Onuphrii S. eccl. et monast., 10, 226
 Ordo equestris Poloniae, 16
 Ordo S. Augustini, 221
 Ordo S. Basilii Magni, 188, 189, 205, 207,
 214, 221, 222, 224, 225, 226, 227, 234,
 235, 247, 248, 249, 258, 267, 273, 277,
 278, 279, 280, 281, 282, 283, 285, 289,
 290, 291, 297, 298, 300, 389, 415, 443,
 454, 457, 458, 474, 474, 485, 487, 521,
 522, 571, 572, 579. c. Basiliani
 Ordo S. Dominici (Praedicatorum), 256
 Ordo Senatorius Poloniae, 15
 Orientalis, 345, 367, 368; - Ecclesiae, 179,
 357, 358, 367, 612, 623
 Orientale Institutum Pontif., 539n
 Orientalis Congregatio, 564, 565, 566, 567,
 568, 569, 571, 602, 604, 605, 609, 621, 624
 Orosz-Falu, paroecia, 338
 Oršanensis Episcopus, 177
 Ostaszewski Simeon, 208, 221, 224
 Ostiensis Ep., 564
 Ostrogiensis Ecclesia, 267
 Ostroh, 349
 Ostromirensis ecclesia, 208, 221
 Ostrovcicensis ecclesia, 275
 Ortynia, pagus, 495n
 Ortynskyj Soter, Ep. Daulinen., 541, 543,
 405, 496
 O'Shea Joannes, Ep., 594
 Ostrivci, pagus, 601n
 Ostrogiensis Constantinus, princeps, 17n,
 576
 Ovaria, paroecia, 337
 Ovensellö, pagus, 459n
 Ovrucense monasterium, 207
 Oziemkevyč Hieronymus, 101

 Pacelli Eugen., Card., 558, 559 (Pius XII)
 Pacifici Lucas, Prael., 392
 Pacha Augustinus, Ep., 555
 Pakošivka, pagus, 521n
 Pamphilius, Card., 582
 Panebianco Antonius, Card., 424
 Pankovyč Stephanus, Ep. Munkacsien., 413,
 414, 432
 Pap-Biko, paroecia, 338
 Papp Antonius, Ep. tit. Lyrbensis et Munkacsien., 503, 504, 505, 506, 507, 544,
 545, 556
 Paprocki Paulus, 186
 Parasznia, paroecia, 338
 Parisalma, paroecia, 337
 Parisiensis Ecclesia, 366
 Paracciani Clarelli, Card., 425, 423
 Pascerelli Virgilius, 325
 Pasika, 333
 Paskiewicz Samuel, 186
 Passioneus Jo. Florius, Card., 109, 110, 144,
 145, 156, 165, 169
 Pastelyj Joannes, Ep. Munkacsien., 432, 434,
 435, 436, 437, 444n
 Patarensis Ecclesia tit., 509
 Patrizi Constant., Card., 420, 421, 423
 Paulus Archiep. Ephesinus, 338
 Paulus V, Papa, 97, 438, 581
 Pawlowski Constantinus, 184
 Pawlowski Ignatius, Ep. et Metrop. Mohilovien., 364
 Pawlowski Josephus, 184
 Pečerense monasterium (Kioviae), 101, 102,
 623
 Pedicini Carolus, Secret. Congr., 336
 Peklany, oppidum, 548n
 Pelagius II, Papa, 588
 Pelesz Julianus, Ep. Stanislaop. et Peremyslien., 371, 472, 473, 477, 479, 487
 Pellencia Ecclesia, 70, 71
 Peloponnesus, 571
 Peniszlek, paroecia, 338
 Pentini Franciscus, Card., 425
 Perejaslaviensis Eparchia, 274; - Episcopus,
 26n, 190, 274, 293, 295
 Peremysliensis Eparchia, 12, 14, 17, 23n,
 90, 133, 161, 193, 226, 284, 315, 316,
 317, 319, 353, 366, 386, 387, 407, 411,
 411n, 425, 453, 456, 463, 472, 470, 521,
 522, 523, 524, 533, 546, 550n, 566, 578,
 579, 571, 572, 606, 583, 584, 619; - Episcopus,
 125, 223, 315, 319, 320, 321, 322,
 324, 404, 409, 425, 449, 470, 521n, 547,
 548n, 577; - Capitulum, 470, 476, 490.
 v. Premisliensis
 Pericoli Paulus, Prael., 520, 525, 551
 Perraud Adolfus, Card., 482
 Pessinuntinus Archiep. tit., 526n
 Petra Vincentius, Card., 99
 Petrarum Archiep., 73
 Petroburg, 157n
 Petropolitana Aula, 58n; - Synodus, 177
 Petropolensis Synodus, 358, 359
 Petrus I, Czar Moscoviae, 8n, 20, 23, 24,
 26, 29, 30, 43, 58n, 104n, 153n, 154
 Pflugger Josephus Archiep., 549
 Philadelphia, civitas, 495n, 498
 Philadelphiensis Exarchatus et Exarcha,
 533n, 541n, 571, 619
 Photiana haeresis, 455
 Piaseckyj Alexius, Prael., 206, 528
 Pecci Joachimus, Card., 424 (Leo XIII)
 Pichius Nicolaus, 422
 Pignatelli, Card., 7n
 Pila A., Prael., 403, 405, 406, 469
 Piltensis Ep., 382n
 Pinsk, 288
 Pincensis Eparchia, 246, 261, 262, 275,
 280, 281, 282, 286, 288, 300; - Episcopus,
 152, 182, 203, 261
 Pirovanus Philippus, 419
 Piscarkos, paroecia, 338
 Pistynensis decanatus, 461
 Pitra Joan. Bapt., Card., 424
 Pittsburgensis Exarcha, 543n
 Pius V, Papa, 124
 Pius VI, Papa, 314
 Pius VII, Papa, 343, 350, 382, 384, 389,
 441, 455, 456, 478, 583, 623

- Pius IX, Papa, 458, 623
 Pius X, Papa, 580, 623
 Pius XI, Papa, 586, 612n, 618
 Plosco, civitas, 7n. v. Polocensis
 Plumeghen, baron, 210
 Pocsy Basilius, Ep. Munkacsien., 325, 328, 330, 337, 354
 Poczafalu, paroecia, 338
 Poczajiw, 585
 Poczajoviense monasterium, 127, 128, 182
 Podchovskij Serapion, Ep. Mohilovien., 57
 Podhajeckij Antonius, 266
 Podlachiensis Eparchia, 364
 Podolia, 122, 222, 293, 295
 Podolynskij Myron, Prael., 512
 Pokutia, 127
 Polanskyj Thomas, Ep. Peremyslien., 408n, 411, 425
 Polissja, provincia Ucrainae, 555n
 Polocensis Archieparchia, 57, 58, 64, 65, 105, 113, 131, 153, 154, 155, 156, 260, 298, 334, 335, 578; - Archiepiscopus, 112, 174, 177, 178, 179, 192, 222, 223, 224, 236, 243, 244, 245, 248, 259, 260, 271, 272, 297, 298, 304; - Collegium, 174, 175; - Palatinus, 249
 Polona natio, 251, 287, 289; - Nobilitas, 87; - res publica, 587
 Poloni, 100n, 106
 Polonia, 23, 24n, 26, 30, 55, 56, 58, 69, 80, 90, 99, 101, 103, 104, 105, 110, 111, 116, 119, 122, 126, 127, 129, 156, 157n, 162, 165, 170, 189, 197, 207, 225, 226, 248, 250, 251, 259, 264, 267, 275, 286, 287, 288, 293, 314, 315, 449
 Poloniae Archiep. et Episcopi, 53, 105, 119; - Cancellarius, 53; - Confessarius Regis, 156, 157, 158; - Procancelarius 155; - Marescallus, 155; - Provincia Basiliana, 91, 92, 93, 96, 97, 98, 99, 101, 106, 126; - Princeps, 56; - Regina, 157; - Regnum, 22, 49, 153, 174, 175, 182, 183, 184, 187, 188, 190, 191, 192, 197, 203, 204, 208, 221, 229, 250, 256, 260, 272, 274, 283, 288, 314, 343; - Rex, 8, 31, 87, 105, 111, 126, 164, 173, 177, 178, 183, 190, 191, 343; - Vicecancellarius, 8n; - Dux exercituum, 27, 28, 30; Cardinalis, 103, 105
 Polybotensis Ecclesia, 525
 Pompejopolitana Ecclesia tit., 366, 367, 386, 387
 Poniatowski Michael, Ep. Plocen., 248, 278, 282
 Poniatowski Stanislaus, Rex Poloniae, 190, 191, 192, 248, 266
 Popiel Marcellus, 439n, 443n
 Popova Loza, pagus, 204
 Popovyč Basilius, Ep. Munkacsiensis, 354, 356
 Portelek, paroecia, 338
 Portus Episcopus, 564
 Posilovič Gregorius Archiep., 526n
 Posnaniensis Dioecesis, 264, 272
 Potij Hypatius, Ep. Volodim., et Metrop. Kiovien., 31n, 89, 290, 357, 576, 577
 Potocki Franciscus Salesius, 227
 Potoeckij Nicolaus, 222; - Stephanus, 222
 Potomercense monasterium, 145, 146, 147, 148
 Pragense Collegium, 93n
 Fraxedis S. ecclesia, 193
 Prešovensis Ecclesia et Episcopus, 548n, 567, 568. v. Eperiessensis, Prjašivensis, Fragopolitana
 Prince Edward Island, provincia, 596
 Prjašiv, 323, 327
 Prjašivensis Eparchia et Ep., 327, 333, 337, 354, 371, 372, 373, 447, 512, 513, 514, 515, 548, 567, 594, 619; - Capitulum, 329
 Procurator Generalis OSBM in Urbe, 144, 145
 Propaganda Fide, Congregatio, 183; - Collegium, 93n
 Pratulinenis vicus, 587
 Prozor Josephus, Palat, Vitebscen., 276
 Pruski Mathias, 266
 Prussia, 191, 293, 296, 297, 300
 Pruszyński Bernardus, 185
 Prymovyč Michael, Prael., 263
 Puhynki, pagus, 235
 Pynylo Basilius, Prael., 534
 Quaglia Angelus, Card., 424
 Quebec, provincia Canadae, 596
 Radomyšl, oppidum, 232, 260
 Radziszewski Bartholom. Ep. Eleuteropol., 364
 Rahoza Michael, Metrop. Kiovien., 89, 313. v. Michiael III
 Rakos Terebess, paroecia, 338
 Ralaszut, paroecia, 338
 Rampolla, Card., 477, 478
 Redemptoris SS. Congreg. ruthena, 586
 Remette Mezö, 338
 Reszege, paroecia, 338
 Rez-Teleck, paroecia, 338
 Rhodiensis Eecl., 573
 Ritus armenus, 13
 Ritus byzantinus, 569, 570, 621, 622
 Ritus byzantino-slavicus, 555
 Ritus graecus, 196, 203, 212, 213, 215, 216, 218, 220, 221, 228, 241, 242, 254, 255, 288, 314, 318, 325, 328, 329, 331, 333, 337, 338, 354, 356, 368, 514; - graecocatholicus, 253, 329, 330, 353; - graecolatinus, 203, 204, 207, 208, 221; - graecoruthenus, 180, 181, 182, 186, 187, 194, 195, 214, 215, 216, 261, 262, 269, 272, 273, 297, 298, 299, 300, 301, 306, 312, 313, 319, 320, 321, 324, 325, 338, 402, 403, 405, 439, 441, 461, 462, 463, 465, 466, 467, 468; - graeco-unitus, 252, 266

- Ritus orientalis, 177, 184, 242, 246, 252, 254, 287, 293, 327, 368, 369, 438, 440, 472, 501
- Ritus ruthenus, 194, 195, 206, 207, 258, 263, 265, 267, 273, 276, 280, 289, 297, 300, 314, 316, 345, 349, 350, 366, 367, 438, 456, 584, 592n; - rutheno-catholicus, 434, 435, 436, 437, 446, 497, 510, 511
- Ritus latinus, 177, 203, 204, 246, 252, 265, 267, 295, 300, 328, 330, 335, 338, 353, 368
- Roberti Robertus, Card., 425
- Roboreckj Andreas, Ep. tit. Tanaitan., 594, 599
- Romeni, 615
- Romiath, locus, 354
- Rossensis Ecclesia tit., 85, 86, 196, 218, 219, 220
- Rossi M., Prael., 469
- Rossia, v. Moscovia, Russia etc.
- Rostockj Theodosius, OSBM, 272, 273, 284, 292
- Rotomiric, oppidum, 260
- Rozniatovskj C., 8n
- Rubanowicz Stephanus, 185
- Rudnyekj Theodorus, Ep. Luceorien., 83, 108
- Rufinae S. Ecclesia, 564
- Ruggiero, Card., 479
- Rusnak Nicolaus, 512, 549, 619
- Russi, 588
- Russia, 36, 37, 55, 57, 83, 110, 115, 122, 123, 162, 191, 263, 266, 290, 293, 295, 349, 583, 587, 589; - Alba, 293, 295, 358; - Magna 293; - Moscovitica, 266; - Parva, 293
- Russiae Episcopi, 295, 589; - Ecclesia, 579, 587; - gubernium, 383; - Imperium, 315, 318, 357, 360; - Imperator, 343, 384; - legatus, 104; - monasteria 43, 91; - Metropolitae, 26, 27, 34, 37, 52, 39, 49, 60, 84, 91, 96, 98, 138, 140, 141, 183, 187, 189, 190, 194, 195, 197, 229, 257, 261, 263, 269, 284, 290, 292, 357, 581; - Primas, 192, 244, 262, 271
- Ruthena communitas, 586; - Ecclesia, 39n, 40, 35, 59, 70, 73, 109, 119, 122, 123, 170, 183, 189, 197, 204, 316, 358, 360, 566, 567, 575, 576, 578, 579, 584, 586, 587, 589, 591, 604, 623; - Congregatio Basilianorum, 189, 205, 234, 247, 248, 249, 277, 279, 281, 282, 283, 285, 291, 335, 336; - gens, 358; - natio, 36, 40, 88, 89, 161, 188, 269, 314, 316, 318, 335, 358
- Rutheni (fideles), 14, 15, 16, 20, 26, 34, 45, 56, 69, 85, 87, 92, 97, 102, 103, 104, 115, 116, 118, 119, 120, 121, 124, 125, 126, 128, 169, 172, 180, 182, 183, 187, 188, 194, 195, 197, 203, 214, 216, 221, 263, 264, 266, 267, 269, 270, 272, 274, 291, 294, 314, 315, 317, 318, 329, 330, 335, 336, 338, 343, 345, 349, 350, 357, 359, 361, 362, 367, 368, 499, 572, 583, 584, 585, 586, 588, 589, 592, 603, 604, 606, 607, 608, 612, 620; - Episcopi, 5, 37, 51, 59, 82, 83, 89, 160, 183, 187, 197, 270, 343, 350, 355, 497, 498, 508, 577, 578, 580, 581, 582, 584, 590, 592, 604, 621, 622, 623
- Ruthenorum Archiepiscopus, Metropolitae, 159, 314, 349, 563, 564, 565; - Collegium, 38, 39, 44, 484, 485, 486, 528, 529, 540; - Rex, 315; - Synodus, 183, 314; - Unio, 159, 336, 480; - regiones, 588, 590
- Ruthenus ritus, v. Ritus ruthenus
- Rutskj Josephus Velaminus, Metrop. Kiouvien., 62n, 63n, 89, 97, 415, 454, 457, 536, 577, 585, 623
- Rylo Maximilianus, Ep. Chelmen. et Perymyslien., 181, 258, 284
- Sabariensis Ep., 252
- Sabelloni Fabritius, Nunt. Varsav., 73, 85, 91, 92, 101
- Sacconi Carolus, Card., 424
- Sadkovskj Victor, Ep. Perejaslav., 274, 293, 295
- Safka Michael, 185
- Salaminensis Eccl., 601
- Saluzzi Ferdinandus, Nuntius Varsav., 271, 287
- Saluatoris SS. monasterium ad montes, 133; - Confraternitas, 193
- Samboriensis Eparchia, 131
- Samogitiensis Ecclesia, 170, 182, 192, 223, 245, 272
- Samuel, Ep. Magnovaradien., 338
- Santarelli, 431
- Santini Vincentius, Nuntius Varsav., 44
- Sapieha Josephus, 141
- Sapieha Alexander, 249
- Sarosiensis comitatus, 330
- Saskatchewan, prov. et Exarchatus Canadae, 596, 603, 604
- Saskatoon, civitas, 604
- Satolli Franciscus, Archiep. Naupacten., 482
- Satoraljaulhely, oppidum, 459n
- Savaryn Nilus, Ep. Jotanus, 572, 598
- Scepusiensis comitatus, 330
- Schaefer Aloisius, 519
- Sedovicensis, vicus, 79, 80
- Seleucensis Archiep., 367
- Sembratovyč Josephus, Metrop. Leopoli., 411, 425, 429, 430, 431, 441, 442, 453, 454, 460, 468
- Sembrytovyč Sylvester, Metrop. Leopoli., 453, 459, 466, 467, 471, 478, 479, 480, 481, 482, 485, 487, 488, 579
- Senyshyn Ambrosius, Ep. Mainen., 571
- Sergii et Bacchi SS. ecclesia, 92, 344, 345, 484, 540
- Sericano Silvius, 620
- Serra Nicolaus, Nuntius Varsav., 164
- Serrensis Ecclesia, 564, 565, 567
- Severianensis Ecclesia tit., 608, 609
- Sforza Sixtus, Card., 424

- Siberia, 587
 Sichelburg, 569
 Sidensis Archiep., 503
 Siedleckyj Josaphat, OSBM, 207
 Siedleckyj, Ep. Chelmensis, 349
 Siehnievicensis ecclesia, 276
 Siemaško Josephus, Ep. Lithuaniae, 358
 Siestrzencewicz Stanislaus, Metrop. Mohilovien., 295
 Sigismundus III, Rex Poloniae, 126, 153, 357, 419, 583
 Simrak Joannes, Ep. Crisien., 569, 570
 Sinnensis Eccl. tit., 606, 607
 Sirocinensis eccl., 65
 Skalensis decanatus, 461
 Skepnophilace, 408
 Skorodinskyj Nicolaus, Ep. Leopoliensis, 320
 Skoryna Timotheus, 264
 Slipyj Josephus, Metrop. Leopoliensis, 564, 565, 566, 567
 Slonim, oppidum, 247
 Slucensis Archimandrita, 274
 Smogorzewskij Jasoh Junosza, Metrop. Kioviensis, 177, 178, 224, 232, 236, 245, 259, 260, 261, 263, 265, 269, 271, 272, 273
 Smolatyč Clemens, Metrop. Kioviensis, 89n
 Smolenscensis Ep. vel Archiep., 223, 245, 272
 Smotryckyj Meletius, Aep. Poloceni, et Hierapolitani, tit., 417, 418, 419
 Sniurskij Joannes, Ep. Peremysliensis, 353
 Sobieski Jacobus, princeps, 56
 Societas Jesu (Jesuitae), 37, 38, 61n, 174, 175, 179, 186, 190, 251, 333, 353, 456, 457, 476, 486, 582, 588
 Sokolinskyj, Palatinus, 537
 Soltan Josephus, Metrop. Kioviensis, 297
 Sopovce, vicus, 550n
 Sorores a S. Familia, 586; - a Vincentio a Paulo, 586; - a S. Josaphat, 586; - a S. Josepho, 586; - Myrophorae, 586; - Ancillae a B.M.V. Immaculata, 586
 Sosnowski Gabriel, 208, 221, 224
 Soz, flumen, 138n
 Spada Horatius Philippus, Nuntius Varsaviensis, 6, 6n, 7
 Spinellus, marchio, 52
 Spinola Nicolaus, Nuntius Varsaviensis, 11n, 24
 Spiridion Ep. v. Lytvynovyč, 394, 400
 Spolverini Dominicus, Prael., 551, 557
 Stadnickij Michael, OSBM, 267
 Stanislaopolitana Eparchia, 237, 460, 462, 463, 464, 465, 467, 472, 473, 474, 487, 553, 553n, 555n, 566, 579; - Capitulum, 477; - Archipresbiter, 470
 Stanislaus Augustus, Rex Poloniae, 222, 244, 247, 248, 250, 261, 262, 266, 269, 272, 274, 277, 278, 279, 281, 285, 286, 290, 292
 Stara Tedde Georgius, Prael., 520, 527, etc.
 Staraviesense sanctuarium, 449
 Staroduboviensis dapifer, 185
 Staryj Sambir, 571, 572
 Status Foederati Americae, 572, 592, 602, 621
 Stauropigiana Confraternitas Leopoliensis, 9, 10, 23
 Stebnovskij Caesarius, OSBM, 107
 Steckyj Cyprianus, Ep. Luceorien., 256, 267, 278
 Stepinac Aloisius, Archiep. Zagrabienensis, Card., 576
 Stojka Alexander, Ep. Munkacsien., 556
 Strigoniensis Archiep., 212, 219, 255, 325, 331, 333, 335, 356, 372, 434, 445, 459, 506, 512, 514, 546, 545, 556
 Stropkovicensis comitatus, 330
 Studitarum Ordo, 586
 Stupnickij Joannes, Ep. Peremysliensis, 470, 511
 Suba Georgius, Prael., 619
 Subcarpatia Russa, 580 (v. Ucraina Carpatica)
 Suetia, 43n; - Rex, 7n
 Svidnicensis Ecclesia, 241
 Sulatyckyj Metrophan., OSBM, 291
 Suprasliensis civitas 298, 300, 301, 302, 314; - Abbatia, 297, 300; - Eparchia, 296, 299, 301, 306, 312; - Episcopus, 280, 299, 301, 302, 303, 306, 312
 Suzdalense monasterium, 521n, 587
 Synnadensis Archiep. tit., 596
 Syria Euphratensis, 593
 Szabo Simenon, Prael., 619
 Szakalos-Biko, paroecia, 338
 Szaniszlo, paroecia, 338
 Szatmariensis archidiaconatus, 337, 338
 Szemau Stephanus, Prael., 619
 Szembek Christophorus, Archiep. Gnesnensis, 104, 116, 119, 120, 278; - Joannes, 22; - Stanislaus, 21; - Onuphrius, Ep. Poloceni, 298, 304, 305
 Szent-Mikloss, paroecia, 338
 Szeptyckyj Andreas, Metrop. Leopoliensis, 34n, 487, 488, 489, 521, 524, 523, 527, 528, 543, 563, 564, 565, 566, 567, 585, 588, 611; - Athanasius, Metrop. Kioviensis, 34, 59, 60, 61, 69, 70, 71n, 73, 74n, 82, 83, 88, 106, 108n, 112, 162, 34n; - Barlaam, Ep. Leopoliensis, 26n, 10n, 24n, 35; - Leo, Ep. et Metrop. Kioviensis, 34n, 125, 179, 194, 195, 206, 229, 231, 232, 257, 259, 260
 Szmandray Simeon, Prael., 619
 Szolnoti, comitatus, 338
 Sztankay Julius, Prael., 559
 Szumborskyj Felicianus, Ep. Chelmenensis, 349, 350, 360, 375, 399n
 Szumlanskyj Cyrillus, 26, 27, 28, 29, 30; - Josephus, Ep. Leopoliensis, 5, 10n, 26n, 35n; - Onuphrius, Ep. Peremysliensis, 125
 Szymonowicz Gregorius, Ep. Marcopolitani, 393
 Takach Basilius, Ep. Zelitenensis, 543, 592
 Tamary, paroecia, 338
 Tanaitanus, Ep. tit., 599

- Tarkovich Gregorius, Ep. Prjašiven., 372, 373
 Tartari, 204
 Tedde, v. Stara, 595, 600
 Teraškevyč Joannes, Ep. Chelmen., 375, 377, 398, 399
 Terleckyj Cyrillus, Ep. Luceorien., 89, 357, 576
 Terev, flumen, 232
 Theatinorum Congregatio Clericorum, 35, 38, 56n
 Thebarum Archiep., 292, 311
 Theodoretus S., 136
 Theodosiopolitanus Ep., 411n
 Theodosius Archiep., 162, v. Rostockyj
 Thomas S., v. Aquinates, 123
 Thracia, provincia, 621
 Timisoarensis Eccl., 555
 Tisserant Eugenius, Card., 564, 566, 567, 569, 620
 Tlumaczensis decanatus, 461
 Tondini Hamletus, 620
 Torhovicensis confoederatio, 249, 287
 Tornyensis comitatus, 330
 Torokania, 127, 128, 585
 Toronto, 596
 Tosti Liberatus, 619; - Joan. Bapt. de Dominicis, 421
 Toth Nicolaus, Ep. Prjašiven., 444, 446, 459
 Transylvania, 129, 199
 Trapezuntinus Archiep., 44
 Trevisanto Joseph, Card., 424
 Tridentinum Concilium, 37, 39, 84, 90, 95, 96, 114, 172, 251, 303, 313, 318, 353, 355, 370, 372, 384, 433, 445, 463, 464
 Trinitatis SS. Congregatio, 82, 84, 89, 90, 93, 247
 Trulevyč Benedictus, OSBM, 51
 Trussardi Aloisius, Prael., 573, 620, etc.
 Tryzna Gregorius, 247
 Tuczapskyj Macarius, Ep. Leopoliens., 315
 Tulinskyj Andreas, 256
 Turkiewicz Leo, 484
 Turjay Joannes, Prael., 511
 Turoviensis Eccl., 261, 280, 281, 300; - Episcopus, 224, 229, 261, 280
 Turczinowka, villa, 185
 Turynka, oppidum, 193, 206
 Tysmienicensis decanatus, 461
 Tyszkiewicz Stanislaus, 529n, 537
 Ucraina, 24n, 122, 158, 190, 195, 197, 231, 232, 250, 260, 263, 265, 266, 288, 293, 300, 315, 357, 612; - Carpatia, 208, 211, 214, 228, 252, 323, 326, 356, 597; - Occidentalis, 222, 226, 315, 343, 353, 564, 589; - Polona, 250, 260
 Ucrainae Ecclesia Catholica, 250, 357, 564, 574, 618
 Ucraini, 100n, 101n, 254, 571, 572, 615, 620, v. Russia, Rutheni
 Udinensis Eparchia, 596n
 Ugolini Josephus, Card., 425
 Uifalu, paroecia, 337
 Ungvar (Uzhorod), 459n, 445
 Unio Catholica, 270; - Ruthenorum, 198, 274; - Sancta, 14, 15, 16, 255, 266, 270, 278, 279, 288, 336; - Sovietica, 564
 Unita Ecclesia, 22, 33, 34, 43, 49, 51, 52, 56, 205; v. Ruthena Ecclesia
 Uniovia (Univ), 494n, 35n
 Uranopolitanus Episcopus, 298
 Urbanianum Collegium, 93n
 Urbanus VIII, Papa, 84n, 90, 93, 96, 126, 216, 219, 382, 403, 419, 433, 445, 480, 485, 489, 581, 583, 623
 Usciensis decanatus, 461
 Uszacz ecclesia, 65
 Ustryckyj Hieronymus, Ep. Peremysl., 83
 Ustryckyj Basilius, 226, 456n
 Uzhorod, civitas, 326, 333, 444n. v. Ungvar
 Valachor, paroecia, 338
 Valentianus Archiep., 83
 Valyj Joannes, Ep. Prjašiven., 459, 474, 512
 Varsavia, 300, 311
 Varsaviensis Nuntiatura, 256, 264; - Nuntius, 33, 36, 183, 187, 191, 192, 211; - Residentia, 300
 Vasvany, paroecia, 338
 Vaticana Synodus Univ., 427
 Vazynskyj Porphyrius, Ep. Chelmen., 311
 Verchovyna Bystra, ecclesia, 557, 558
 Veszend, paroecia, 338
 Veszprimensis Eparchia, 253
 Vetes, paroecia, 337
 Viatka, 398n
 Vienna, 196, 211, 216, 325, 328, 366
 Viennensis Archieparchia, 619; - Aula Imperialis, 18n; - Collegium, Seminarium, 93n, 393n, 472n; - Nuntius, 215, 219, 223, 253, 333, 504, 520
 Vilczynskyj Maximilianus, OSBM, 291
 Vilna, 89, 358
 Vilnensis civitas et Eparchia, 141, 170, 182, 264, 280; - Episcopus, 32, 124, 182, 223, 245, 272; Collegium (Seminarium), 93n, 130, 142, 143, 265, 589; - monasterium, 62, 65, 536n
 Vindobonae Nuntius, 332, v. Viennensis Nuntius
 Virili Raphael, Prael., 542
 Visconti Ant. Eugenius, Nunt. Varsav., 174, 175, 176, 183, 187, 188, 189, 190, 191, 209, 211, 213
 Vitehsensis ecclesia, 64, 334, 335; - Eparchia, 31, 300; Palatinatus, 131, 132, 276
 Viszlok, 372
 Vitošynskyj Aitalus, Prael., 407
 Vladimirus Sanctus, 575
 Vojnarovskyj Titus, Prael., 619
 Volhinia (prov. Ucrainae), 26n, 84, 207, 227, 274, 293, 294, 295, 349, 555n
 Volčanskyj Hieronymus, Ep., 138n, 153n; - Josephus, 79, 80, 106n

- Volczyn, oppidum, 190
 Volodimiriensis civitas, 170; - Collegium, 186; Episcopus, 31, 108n; - Eparchia, 32, 90, 96, 100, 152, 581
 Volodimiriensis Eparchia, 265, 289, 290, 291, 300; - Episcopus, 180, 224, 229, 231, 289, 291; Regnum, 324
 Vorosmarth, parocia, 338
 Vseslavyc Borys, 138
 Vyhovskyj Iosephus, Ep. Luceorien., 55
 Vynnyckyj Georgius, Ep. Perem. et Metrop. Kiovien., 9, 12, 14, 16, 24, 26, 60

 Wacewicz Joannes, 203
 Warmiensis Episcopus, 192, 272
 Warsavia, v. Varsavia, 121
 Washingtonensis Delegatus Ap., 497, 498, 499
 Wazinski Skarbek Porphyrius, 225, 235, 285, v. Vazynskyj
 Wilpert Iosephus, 553
 Werhun Petrus, Prael., 619
 Wilga Jerwielski Theophila, 235
 Wilna, v. Vilno, Vilnensis, 117
 Winnicki Georgius, v. Vynnyckyj G., 31
 Winnipeg, civitas Canadae, 508, 596, 622
 Wislockyj Theodosius, Archim. Supraslien., 306, 307, 312
 Witebscensis Ecclesia, v. Vitebscensis, 417
 Wladislaus IV, Rex Poloniae, 419
 Wladimiri et Olgae SS. ecclesia, 596. v. S. Vladimirus
 Wojnarowskyj Titus, v. Vojnarovskij, 528
 Wojtowycz Joannes, 484
 Wolodkowycz Felicianus Philippus, Metrop. Kiovien., 83, 106, 151, 172, 179, 180, 181, 183, 187, 192, 194, 222, 224, 229, 243, 244, 257

 Woloszynskyj Carolus, 512
 Wylazensis capella, 182

 Yasin, vicus, 592n
 Yukon, 596

 Zabokryckyj Dionysius, Ep. Luceorien., 7, 26n
 Zagrabiensis Archiep., 526, 569, 570, 252, 253; - Seminarium, 519n
 Zajezerze, villa, 182
 Zaleskyj Leo, Metrop. Kiovien., 6n, 12n
 Zaleszczycensis decanatus, 461
 Zaluski Stanislaus, Ep. Plocen., 55n
 Zaluzci Stari, pagus, 483n
 Zamoiski codex, 287
 Zamosciensis Synodus (Zamostena, Zamostiana, etc.), 39, 40, 49, 50, 56, 82n, 84, 90, 96, 109, 143, 160, 231, 314, 317, 318, 439, 449, 455, 578, 583
 Zazdrist, vicus, 564
 Zechia provincia, 600
 Zielinski Venceslaus, Metrop. Mohilovien., 396; - Joannes, 203, 204
 Zelitena Ecclesia tit., 543
 Zemplinensis comitatus, 330
 Zenopolitanus Ep., 312, 122, 162, 91, 98
 Zienkowicz Michael, Ep. Vilnens., 141n
 Znojovskij Iosephus, OSBM, 126, 127
 Zoisceusiun Ioseph., 600
 Zsadany, parocia, 338
 Zubko Antonius, Ep. Beresten., 358n
 Zuk Iosephus, Prael., 512
 Zukoviensis decanatus, 461
 Zyravskyj Patritius, OSBM, 58
 Zyrovice, 585
 Zyrovicensis monast. et eccl., 63, 66, 540n

INDEX CHRONOLOGICUS VOL. I - II.

		<i>Vol. I</i>
		<i>Pag.</i>
GREGORIUS VII (1073-1085)		
1.	17.IV.1075	— Regi Russiae. Protectio B. Petri 5
2.	20.IV.1075	— Duci Poloniae. Defensio Regis Russiae 7
INNOCENTIUS III (1198-1216)		
3.	7.X.1207	— Hierarchiae ruthenae. Unio Ecclesiae 11
HONORIUS III (1216-1227)		
4.	17.X.1227	— Regibus Russiae. Missio Legati 15
GREGORIUS IX (1227-1241)		
5.	18.VII.1231	— Regi Russiae. Unio Ecclesiae 19
6.	12.V.1232	— Priori Dominicanorum. Creatio Episcopi 20
7.	24.II.1233	— Priori Dominicanorum. Disciplina ecclesiastica 21
8.	15.III.1233	— Priori Dominicanorum. Facultas absolvendi 22
9.	15.VI.1234	— Civibus Kioviensibus. Tutela 22
10.	15.VI.1234	— Clericis Sandomiriae. Protectio Latinorum 23
INNOCENTIUS IV (1243-1254)		
11.	1245	— Universis christifidelibus. De tartaris 27
12.	3.V.1246	— Christifidelibus Russiae. Unio eccles. 28
13.	» »	— Danieli Regi Russiae. De eadem re 30
14.	» »	— Archiep. Prussiae. De eadem re. Missio Legati 31
15.	» »	— Eidem. Facultates 32
16.	» »	— Regi Russiae. Protectio B. Petri 33
17.	» »	— Eidem. Missio FF. Praedicatorum 33
18.	» »	— FF.Praedicatoribus. Missio in Russiam 34
19.	1.X.1246	— Hierarchiae Orientis. Captivi commendantur 34
20.	27.VIII.1247	— Danieli Regi Russiae. Tutela possessionum 35
21.	» »	— Eidem. Protectio possessionum 36
22.	» »	— Eidem. Permittitur ritus eccl. vicens 36
23.	28.VIII.1247	— Archiepiscopo Livoniae. Facultates 37
24.	» »	— Eidem. Aliae facultates 37
25.	12.IX.1247	— Danieli. Protectio B. Petri 38
26.	7.IX.1247	— Archiep. Prussiae. Legatio in Russiam 39

27.	7.IX.1247	— Eidem. Usus pallii in Russia	40
28.	5.XII.1247	— Vasyliconi Volodimiriensi. Convalid. matrim.	40
29.	» »	— Dubraucaae, eius uxori. Idem	41
30.	22.I.1248	— Danieli Regi. De tartaris	42
31.	» »	— Ordini Teutonico. De eadem re	42
32.	14.V.1253	— Hierarchiae et fidelibus in Russia. Cruciata	43

ALEXANDER IV (1254-1261)

33.	11.II.1257	— Ep. Lubucensi. Iurisdictio in Russia	49
34.	13.II.1257	— Danieli Regi. Hortatur ad fidelitatem	50
35.	» »	— Ep. Olomucensi etc. De eadem re	51

JOHANNES XXII (1316-1336)

36.	3.II.1317	— Ducibus Ruthenorum. Exhort. ad unionem	55
37.	15.XII.1320	— Ep. Kioviensi. Provisio Ecclesiae	56
38.	18.II.1321	— Eidem. De eadem re	57
39.	1.III.1327	— Archiep. Gnesnensi. De Ep. Lubucensi	58
40.	16.VI.1327	— Regi Poloniae. De unione ecclesiastica	60
41.	» »	— Duci Russiae. De eadem re hortatur	60

BENEDICTUS XII (1334-1342)

42.	29.IV.1341	— Ep. Cracoviensi. Relax. iuramenti	65
-----	------------	---	----

CLEMENS VI (1342-1352)

43.	14.III.1351	— Archiep. Gnesnen. De conversione Ruthenorum	69
-----	-------------	---	----

INNOCENTIUS VI (1352-1362)

44.	18.I.1353	— Ep. Peremyliensi. Provisio Ecclesiae	75
45.	16.XI.1353	— Vicario FF. Minorum. Missio in Russiam	76
46.	23.XI.1353	— Duci Mazoviae. Commendatur Ordo Teutonicus	77
47.	» »	— Reginae Hungariae. De eodem argumento	78
48.	12.VIII.1354	— Ep. Peremylien. Facultas consecrationis	78
49.	23.VIII.1354	— Eidem. Facultas redeundi ad Eparchiam	79
50.	2.V.1358	— Ep. Volodimiriensi. Provisio Ecclesiae	80

B. URBANUS V (1362-1370)

51.	4.VIII.1370	— Nicolao, OFM. Missio in terras Ucrainae	85
-----	-------------	---	----

GREGORIUS XI (1370-1378)

52.	19.XI.1371	— Archiep. Gnesnen. Pro FF. Minor.	89
53.	14.VII.1372	— Archiep. Gnesnen. Informatio de statu Eccl.	91
54.	19.VII.1372	— Ep. Cracoviensi. Amotio schismaticorum . . .	91
55.	22.VII.1373	— Vicario OFM. Facultas ministr. Sacram. . . .	92
56.	» »	— Neophytis Leopoliens. Congratulatur	93
57.	13.II.1375	— Ducui Opulien. De Eccl. Halicien. et aliis . .	93
58.	» »	— Ad perpet. rei mem. Erectio Eccles. cathedr. .	94
59.	16.II.1375	— Archiep. Gnesnen. De Eccl. Luceorien. etc. . .	97
60.	3.III.1375	— Eidem. Informatio de civit. Leopoliens. . . .	97

JOHANNES XXIII (1410-1415)

61.	28.VIII.1412	— Ad perp. rei mem. Transl. Eccl. Hal. Leopolim	101
-----	--------------	---	-----

MARTINUS V (1417-1431)

62.	5.V.1414	— Regi Poloniae. Vicariatus in Russia	107
-----	----------	---	-----

EUGENIUS IV (1431-1447)

63.	4.IV.1434	— Ad perp. rei mem. Facultas adesse Missis . . .	111
64.	20.X.1434	— Gregorio Metrop. Kioviens. Litterae passus . . .	112
65.	6.VII.1439	— Bulla unionis Graecorum	113
66.	17.VIII.1439	— Isidoro Metropolitae. Legatio committitur . . .	119
67.	» »	— Eidem. Salvus conductus	121
68.	28.XI.1439	— Imperatori Constantinop. Commend. Isidorus . .	121
69.	1442	— Doldio Baroni. De metrop. Isidoro	122
70.	11.VI.1445	— Isidoro Metrop. Hortatur ad scribendum . . .	123

NICOLAUS V (1447-1455)

71.	6.IX.1448	— Inquisitori. De transitu de ritu ad ritum . . .	127
72.	31.I.1450	— Isidoro Cardin. Commenda	127
73.	8.II.1450	— Eidem. Provisio Sabinensis	128

CALLISTUS III (1455-1458)

74.	24.III.1457	— Isidoro Cardinali. Commenda	133
75.	» »	— Ep. Carthaginen. Commendatio Isidori Card.	135
76.	24.IV.1457	— Archiep. Leopoliens. Missa coram SS.mo . . .	135
77.	3.IX.1457	— Ad futur. rei mem. Commemoratio Pontif. in Missa	136
78.	16.I.1458	— Machario Ep. Halicien. Provisio Eccl.	138
79.	» »	— Regi Poloniae. Commendat Ep. Halicien. . . .	140
80.	18.IV.1458	— Isidoro Card. Praepositura Cathanien.	140
81.	» »	— Ep. Cartaginen. Introducendi Isidorum Card.	142

PIUS II (1458-1464)

82.	3.IX.1458	— Gregorio Metrop. Kiovien. Provisio Eecl.	145
83.	» »	— Regi Poloniae. Commendat Gregorium	147
84.	» »	— Eidem de eadem re	148
85.	» »	— Capitulo Kiovien. Commendatio Metrop. Gregorii	149
86.	» »	— Suffraganeis Kiovien. Commend. Metrop.	150
87.	» »	— Isidoro Card. Litterae passus	151
88.	» »	— Isidoro Card. Provisio Eecl. Corphien.	151
89.	11.IX.1458	— Archiep. Leopoliensis. Commendat Ep. Halicien.	153
90.	9.XI.1458	— Isidoro Card. Commenda S. Agathae	154
91.	18.XII.1458	— Regi Poloniae. De Metropolia Kiovien	155
92.	10.I.1459	— Isidoro Card. Litterae passus	156
93.	17.I.1459	— Gregorio Metrop. Salvus conductus	156
94.	» »	— Nicolao Jacubi. Salvus conductus	157
95.	15.III.1459	— Isidoro Card. Resignatio Corphien.	158
96.	10.IV.1459	— Isidoro Card. Conceduntur proventus Sabinen.	159

SIXTUS IX (1471-1484)

97.	19.XI.1471	— Joanni Ivaško. Diversa privilegia	163
98.	1.VII.1472	— Universis Christifidelibus. Indulgentia Leopoli	164
99.	12.I.1475	— Paulo de Cizuwa. Usus Sacram. in ritu latino	166
100.	7.II.1484	— Regi Poloniae. Nullum ei praecidium in Russia	167

INNOCENTIUS VIII (1484-1492)

101.	19.VI.1487	— Ad futur.rei mem. Facultates pro FF. Minor.	171
------	------------	---	-----

ALEXANDER VI (1492-1503)

102.	26.IV.1501	— Ep. Vilmensi. De unione Metrop. Kiovien.	175
103.	28.IV.1501	— Ad perp.rei mem. Indulg. pro Joanne Sopiha	178
104.	7.V.1501	— Duci Lithuaniae. De unione Metrop. Kiovien.	180
105.	10.V.1501	— Gregorio de Loszko. Recip. ss. ordines	182
106.	8.VI.1501	— Duci Lithuaniae. De uxore eius ruthena	183
107.	» »	— Ep. Vilmensi. De eodem argumento	185
108.	23.VIII.1501	— Ad perp.rei mem. De non rebaptizandis Ruthenis	186
109.	22.XI.1501	— Cardinali Friderico. De Ducissa Helena	188

JULIUS II (1503-1513)

110.	12.V.1505	— Collectori Poloniae. Den. S. Petri ad reparandas arces	193
111.	22.VIII.1505	— Regi Poloniae. De uxore schismatica Helena	194

LEO X (1513-1521)

112. 24.VII.1515 — Arch. Leopoliens. Limina apost. visit. dispens. 199
 113. 15.I.1520 — Regi Poloniae. De muniendis prov. ucrainis . 200
 114. 18.V.1521 — Ad perp.rei mem. De ritibus Orientalium . . 201

CLEMENS VII (1523-1534)

115. 26.III.1526 — Ad futur. rei mem. De ritibus Graecorum . 207
 116. 19.VI.1531 — Collectori Poloniae. Defensio contra tartaros . 207
 117. 27.XI.1531 — Ad futur.rei mem. De matrim. ducis Slucensis 208
 118. 3.I.1532 — Regi Poloniae. De matrim. ducis Slucensis . . 211
 119. » » — Duci Slucensi. Confirmatio matrimonii . . . 212
 120. 10.I.1532 — Helena, uxori ducis Slucen. De eadem re . . 212

PAULUS III (1534-1549)

121. 26.I.1536 — Universis. De ritibus Graecorum. . . . 217

S. PIUS V (1566-1572)

122. 20.VIII.1566 — Ad perp.rei mem. De non permiscendis ritibus 221

GREGORIUS XIII (1572-1585)

123. 5.II.1582 — Ad perp.rei mem. Erectio Coll. Vilnensis . . 225
 124. 6.VII.1583 — Janusio Ostrožskyj. Altare portatile 228
 125. 3.IX.1583 — Duci Slucensi. Congratulationes 228
 126. » » — Duci Ostrogiensi. De Colleg. Ostrogiensi . . . 229
 127. 12.XI.1583 — Duci Ostrogiensi, iuniori. De convers. congra-
 tulatur 229
 128. 31.XII.1583 — Duci ab Ostrog. seniori. Diversa negotia . . 230

CLEMENS VIII (1592-1605)

129. 8.XI.1593 — Capitaneo Cosacorum. De repulsione Turcarum 233
 130. » » — Exercitui Cosacorum. De eadem re 234
 131. 15.XI.1595 — Nuntio Varsav. Restitutio expensarum . . . 235
 132. 23.XII.1595 — Constitutio super unione Eccl. Ruthenae . . 236
 133. 30.XII.1595 — Regi Poloniae. De unione Eccl. Ruthenae . . 243
 134. 7.II.1596 — Depositario gen. De expensis Ep. ruthen. . . 244
 135. » » — Regi Poloniae. De unione et Synodo 245
 136. » » — Card. Radziwill. Commendat unionem Ruthe-
 norum 247
 137. » » — Archiep. Gnesnen. De eadem re 248
 138. » » — Duci Olicae. De eodem argumento 249
 139. » » — Joan. Zamoyski. De eadem re 250

140.	7.II.1596	— Vicecancell. Regni. Idem argum.	251
141.	» »	— Leoni Sapieha. De eadem re	252
142.	» »	— Vicecancell. Lithuaniae. Idem	253
143.	» »	— Palatino Cracovien. Idem	254
144.	» »	— Janusio Ostrožskyj. Idem	255
145.	» »	— Hierarchiae Ruthenae. De Synodo convocanda	256
146.	» »	— Archiep. Leopoliens. De praesidenda Synodo .	260
147.	» »	— Ep. Luceoriensi. De eadem re	261
148.	» »	— Ep. Peremyliensi. De eadem re	262
149.	» »	— Ep. Chelmensi. Idem	263
150.	» »	— Ep. Cuiaviensi. Idem	265
151.	13.II.1596	— Ep. Ruthenis. Pro confectione vestium . . .	266
152.	23.II.1596	— Ad perp.rei mem. Iura Metrop. Kioviensis	266
153.	26.II.1596	— H. Potij. Privilegium vestium liturg.	269
154.	» »	— C. Terleckyj. Idem	270
155.	1.III.1596	— Ad perp.rei mem. Monasterium SS. Salvatoris	271
156.	4.III.1596	— Ad perp.rei mem. Unio monasterii Pečaren. .	273
157.	5.III.1596	— P. Arcudio. Viaticum	274
158.	7.III.1596	— Canonico Luceorien. Solutio expensarum . .	274
159.	21.VIII.1596	— Universis. Subsidium pro captivo rutheno . .	275
160.	18.I.1597	— Archiep. Leopoliens. Congratulatur de Syn. Berest.	276
161.	» »	— Eidem et aliis. De Synodo Berestensi	276
162.	5.VI.1597	— Ruthenis. Invalidatione excommunicationis . .	278
163.	29.VII.1598	— Card. Radziwill. Commendatio Eccl. unitae . .	279
164.	» »	— Archiep. Gnesnen. Idem	280
165.	» »	— Archiep. Leopoliens. Idem	281
166.	» »	— Ep. Luceorien. Idem	281
167.	» »	— Ep. Cuiaviae. Idem	282
168.	» »	— Ep. Plocensi. Idem	282
169.	» »	— Ep. Posnanien. Idem	283
170.	» »	— Joan. Zamoyski. De eadem re	283
171.	» »	— Palatino Cracovien. Idem	284
172.	» »	— Palatino Lencicien. Eiusdem argumenti . . .	285
173.	» »	— Castellano Cracovien. Eiusdem argumenti . .	285
174.	» »	— N.N. Idem	286
175.	» »	— N.N. Idem	286
176.	11.I.1599	— Metrop. Kioviens. Commendat Nuntium Ap. . .	287
177.	» »	— H. Potij. Idem	288
178.	» »	— C. Terleckyj. Eiusdem argumenti	288
179.	» »	— Janusio Ostrožskyj. Idem	289
180.	3.IV.1599	— Regi Poloniae. Protectio unionis	290
181.	10.VII.1599	— Regi Poloniae. Defensio unionis	291
182.	5.II.1600	— Eidem. Provisio Metrop. Kioviens.	292
183.	28.VII.1600	— B. Wojna. Dispensatio ab impedimentis	293
184.	9.IX.1600	— Ep. Vilmensi. Commendat Seminarium ruthen.	294
185.	15.XI.1600	— H. Potij. Provisio Metrop. Kioviens. Bulla . .	295
186.	30.I.1601	— Regi Poloniae. P. Potij commendatur	298
187.	» »	— Ep. Cracovien. Idem P. Potij commendatur . .	299

188.	20.IV.1602	— Ep.Vilnensi. Hortatur, ut vigilaret	300
189.	26.IX.1602	— Regi Poloniae. Principes Ostrozienses commendat	301
190.	5.IV.1603	— Janusio Ostrožskyj. Defensio Unionis	302
191.	» »	— Leoni Sapihae. Idem	303
192.	10.V.1603.	— Regi Poloniae. Commendatur Palat. Kiovien. .	304
193.	9.VIII.1603	— Nuntio Varsaviensi. De Archim. Pečarensi . .	304
194.	» »	— Regi Poloniae. De eadem Archimandria . .	305
195.	10.I.1604	— Janusio Ostrožskyj. Consolatur in adversis . .	306
196.	20.III.1604	— Archiep. Leopoliens. Commendantur Uniti . .	307
197.	31.III.1604	— Regi Poloniae. De negotio senatoriali . . .	308
198.	3.IV.1604	— Const. Ostrožskyj. Invitatur ad unionem . .	309
199.	» »	— Janusio Ostrožskyj. Commendat causam Unionis	310
200.	» »	— Ep. Varmiensi. Idem	310
201.	» »	— Castellano Kameneccensi. Idem	311
202.	7.VIII.1604	— Imperatori Rudolpho. De bonis Princ. Ostrožskyj	312
203.	23.X.1604	— Ep. Luceoriensi. Unio commendatur	312
204.	15.I.1605	— Constant. Ostrožskyj. De unione	313
205.	» »	— Janusio Ostrožskyj. Idem commendatur . . .	315
206.	» »	— Castellano Kameneccensi. Idem negotium . .	315

PAULUS V (1605-1621)

207.	10.XII.1605	— H. Potij. Gratias agit et favorem adpromittit	319
208.	» »	— Leoni Sopiha. Commendat Metrop. Kiovien.	320
209.	9.VI.1606	— Cancellario Lithuaniae. Gratias agit	321
210.	6.XI.1607	— Georgio Wisniovieckyj. Congratulatur . . .	321
211.	6.I.1608	— Regi Poloniae. De Episcopo Leopoliensi . .	323
212.	» »	— Cancellario Regni. De eadem re	324
213.	» »	— Metrop. Kioviensi. Consolatur in persecutione	324
214.	28.V.1608	— Castellano Cracovien. Commendat Unionem .	326
215.	10.VIII.1608	— Palatino Kiovien. Idem commendat	326
216.	» »	— Palatino Volinensi. Idem negotium	327
217.	» »	— Janusio ab Ostroh. Idem	328
218.	20.II.1609	— Palatino Kiovien. Gratias agit de auxiliis .	329
219.	» »	— Regi Poloniae. Commendat Nuntium etc.	
220.	» »	— Archiep. Gnesnen. Ut defendat Eccles. unitam	330
221.	» »	— Ep. Cracoviensi. Idem	331
222.	» »	— Tribus Episcopis. Idem	331
223.	» »	— Aliis tribus. Ut supra	332
224.	» »	— Cancellario Lithuaniae. Idem commendatur .	333
225.	» »	— Palatino Kioviensi. Idem	333
226.	» »	— Palatinis tribus. De eadem re	334
227.	19.IV.1609	— Palatino Cracoviensi. Gratias agit de auxili.	334
228.	» »	— Castellano Cracovien. Idem	335
229.	» »	— Cancellario Lithuaniae. De eadem re	335

230.	1609	— Eidem. Iterum gratias agit.	336
231.	3.X.1609	— Metrop. Kiovien. Consolatur in tribulatione	337
232.	» »	— Regi Poloniae. Gratias agit de Unit. protectione	337
233.	5.XII.1609	— Duci Wisniovieckyj. Gratias agit de dono	338
234.	19.XII.1609	— Regi Poloniae. Laudat de protect. Metrop. Kiov.	339
235.	27.VIII.1611	— Regi Poloniae. Commendat negotia religionis	340
236.	» »	— Reginae Poloniae. De eadem re	341
237.	» »	— Archiep. Leopoliens. Idem	342
238.	» »	— Alia triginta Brevia Ep. et Palat. de eadem re	342
239.	» »	— Janusio Ostrožskij. Idem negotium	343
240.	» »	— L. Sapiha. Idem	343
241.	16.XII.1611	— Metrop. Kiovien. Concedit reliquias	344
242.	7.I.1612	— Regi Poloniae. Gratias agit de protectione Unionis	345
243.	» »	— Metrop. Kioviensi. Consolatur in angustiis	346
244.	» »	— Castellano Cracovien. De eadem re	347
245.	20.XII.1612	— Regi aliisque. Unio protegenda commendatur	347
246.	» »	— Reginae et aliis Proceribus 40. De eadem re	348
247.	16.I.1614	— Regi et aliis 40. Commendatur Unio Ecel.	349
248.	5.IV.1614	— Metrop. Kioviensi. Provisio Metropoliae	350
249.	19.XII.1614	— Regi aliisque 55 Proceribus. Commendat res relig.	353
250.	29.V.1615	— Pro Natione Ruthena. Confirmat iura et privilegia	355
251.	14.XI.1615	— Joanni Herbut. Rescribit	356
252.	2.XII.1615	— Ad perp. rei mem. Alumnatus in Coll. Pontif.	356
253.	3.XII.1615	— Ad futur. rei mem. De erectione scholarum	357
254.	10.XII.1615	— Ad perp. rei mem. De consecratione Episcop.	358
255.	» »	— Ad perp. rei mem. De non mutando ritu	359
256.	12.XII.1615	— Metrop. Kiovien. Confirmatur pensio	360
257.	23.XII.1615	— Regi Poloniae. De Metrop. Kioviensi	362
258.	» »	— Ep. Luccoriensi. De eadem re et Unione	363
259.	» »	— Exercituum Duci. Idem	363
260.	» »	— Cancellario Lithuaniae. Idem	364
261.	» »	— Ducissae Ostrogiensi. Idem	365
262.	» »	— Palatino Kioviensi. Commendatio Unionis	365
263.	18.III.1616	— Regi et 33 aliis. Res religionis commendatur	366
264.	11.VI.1616	— Archiep. Gnesnensi. Commen. Metrop. Kiovien	367
265.	» »	— Ep. Vilmensi. Idem	368
266.	28.XII.1616	— Ad perp. rei mem. Gratiae et indulg. pro Ruth.	369
267.	25.XI.1617	— Regi Poloniae. Uniti protegendi in Comitibus	370
268.	» »	— Reginae Poloniae. Idem	371
269.	» »	— Archiep. Gnesnensi. Idem	372
270.	» »	— Archiep. Leopoliens. Idem	372
271.	» »	— Ep. Posnaniensi. Idem	273
272.	» »	— Ep. Vendensi. Idem	373
273.	» »	— Ep. Warmiensi. Idem	374
274.	» »	— Ep. Peremyliensi. Eadem res commendatur	375

275.	25.XI.1617	— Ep. Plocensi. Eiusdem argumenti	375
276.	» »	— Episcopo Cracoviensi. Idem	376
277.	» »	— Ep. Luceoriensi. Eiusdem argumenti	377
278.	» »	— Ep. Wladislaviensi. Idem	377
279.	» »	— Episcopis tribus. Idem	378
280.	» »	— Aliis tribus Episcopis. Idem	379
281.	» »	— Aliis tribus. De eadem re	379
282.	» »	— Cancellario Lithuaniae. Protectio Eccl. Unitae	380
283.	» »	— Palatino Cracoviensi. Idem	380
284.	» »	— Palatino Sandomiriae. Eiusdem argumenti	381
285.	» »	— Palatino Lenciciensi. Idem	382
286.	» »	— Palatino Culmensi. Idem	382
287.	» »	— Palatino Russiae. De eodem negotio	383
288.	» »	— Palatino Wladislaviensi. Idem	383
289.	» »	— Palatino Posnaniensi. Idem	384
290.	» »	— Palatino Kioviensi. De eodem negotio	385
291.	» »	— Palatino Vilmensi. De eadem materia	385
292.	» »	— Palatino Plocensi. Idem	386
293.	» »	— Palatinis quatuor. De eadem re	386
294.	» »	— Aliis quatuor. Idem	387
295.	» »	— Alia quatuor Brevia. De eadem re	387
296.	» »	— Castellano Plocensi. Idem	388
297.	» »	— Castellano Vilmensi. Idem	389
298.	» »	— Castellanis quatuor. Idem	389
299.	» »	— Castellanis aliis quatuor. Idem	390
300.	» »	— Castellano Sandomiriae. Idem	390
301.	» »	— Castellano Posnaniensi. Idem	391
302.	» »	— Castellano Cracoviensi. De eadem re	391
303.	» »	— Castellano Gnesnensi. Idem	392
304.	» »	— N.N. Senatori. Idem	392
305.	» »	— N.N. Senatori, alio. De eadem re	393
306.	» »	— Quatuor Senatoribus. De eadem re	394
307.	» »	— Aliis quatuor. Idem	394
308.	14.XII.1618.	— Palatino Mazoviae. Commendat Eccl. Unitam	395
309.	» »	— Palatino Posnaniae. Commendat negotia Unit.	396
310.	» »	— Palatino Culmensi. Idem	396
311.	» »	— Poloniae Thesaurario. Idem	397
312.	» »	— Palatino Cracoviensi. De eodem negotio	397
313.	» »	— Cancellario Poloniae. Idem	398
314.	» »	— N.N. De eadem re	399
315.	» »	— N.N. De eadem re	399
316.	» »	— Vicecancellario Lithuaniae. Idem	400
317.	» »	— Episcopo Samogitiae, et aliis quatuor. Idem	401
318.	» »	— Palatino Russiae. Eadem commendatio	401
319.	» »	— Episcopo Kioviensi. Idem.	402
320.	» »	— Episcopo Vladislaviensi. De eadem re	402
321.	» »	— Episcopo Plocensi. De eodem negotio	403
322.	» »	— Archiepiscopo Leopoliensi. Idem	404
323.	» »	— Cancellario Lithuaniae. Idem	404

324.	14.XII.1618	— Reginae Poloniae. Rutheni commendantur . . .	405
325.	» »	— Episcopo Peremyliensi. Idem	406
326.	» »	— Poloniae Marescalco. Idem	406
327.	» »	— Ep. Chelmensi. De eadem re	407
328.	» »	— Regi Poloniae. Eadem commendatio . . .	407
329.	» »	— Palatino Ravensi. Idem	408
330.	» »	— Palatino Inovladislaviensi. Idem	409
331.	» »	— Ep. Vilnensi. Eadem commendatio	409
332.	» »	— Ep. Varmiensi. Idem	410
333.	» »	— Ep. Posnaniensi. Idem	410
334.	» »	— Archiepiscopo Gnesnensi. Idem	411
335.	» »	— Ep. Cracoviensi. Idem commendatur	412
336.	» »	— Episcopo Culmensi. Eadem commendatio . . .	413
337.	» »	— Episcopo Luceoriensi. Idem	413
338.	28.XII.1618	— Vladislao, Principi Poloniae. Eadem res com- mendatur	414
339.	1.X.1620	— Episcopo Camenecensi. Commendat Ruthenos .	415
340.	» »	— Ep. Culmensi. Idem	415
341.	» »	— Ep. Kioviensi. Idem	416
342.	» »	— Ep. Plocensi. Idem	417
343.	» »	— Ep. Cracoviensi. Idem	417
344.	» »	— Ep. Posnaniensi. Idem	418
345.	» »	— Ep. Peremyliensi. Eadem res commendatur .	419
346.	» »	— Ep. Varmiensi. Idem	419
347.	» »	— Archiep. Gnesnensi. Idem	420
348.	» »	— Ep. Luceoriensi. Idem negotium commendatur	420
349.	» »	— Archiepiscopo Leopoliensi. Idem	421
350.	» »	— Ep. Vladislaviensi. Idem	422
351.	» »	— Ep. Chelmensi. Eadem res commendatur . .	422
352.	» »	— Ep. Samogitiae et aliis. Idem	423
353.	» »	— Palatino Inovladislaviensi. Idem	423
354.	» »	— Palatino Mazoviae. Idem	424
355.	» »	— Palatino Culmensi. Idem negotium	425
356.	» »	— Cancellario Lithuaniae. Idem	425
357.	» »	— Cancellario Poloniae. Idem	426
358.	» »	— Thesaurario Poloniae. De eadem re	427
359.	» »	— Palatino Cracoviensi. Idem	427
360.	» »	— Senatoribus quatuor. Idem	428
361.	» »	— Vicecancellario Poloniae. Idem	429
362.	» »	— Palatino Ravensi. Idem	429
363.	» »	— Palatino Russiae. De eadem re	430
364.	» »	— Palatino Posnaniae. Idem	431
365.	» »	— Marescalco Poloniae. Idem	431
366.	» »	— Vladislao, Principi. Eadem res commendatur .	432
367.	» »	— Reginae Poloniae. Idem	433
368.	» »	— Regi Poloniae. Rutheni protegendi in Comitibus	433

GREGORIUS XV (1621-1623)

369.	23.III.1622	— Regi Poloniae. Ecclesia unita ut protegatur .	437
370.	2.IV.1622	— Metropolitae Kioviensi. Certioratur de obed. .	438
371.	» »	— Metropolitae Kiovien. Hortatur, ut perseveret	439
372.	28.I.1623	— Regi Poloniae. Ut protegat Eccl. Unitam . .	440
373.	» »	— Archiep. Gnesnensi. Idem	441
374.	» »	— Archiep. Gnesnensi. Idem argumentum . . .	442
375.	» »	— Ep. Cracoviensi. Idem	442
376.	» »	— Ad perp. rei mem. Praecedentia Metrop. Kiov.	443

URBANUS VIII (1623-1644)

377.	10.II.1624	— Regi Poloniae. De pseudoepiscopis	447
378.	» »	— Ep. Vilmensi. Protectio Eccl. Unitae	448
379.	» »	— Ep. Luceoriensi. Eadem occasione	449
380.	» »	— Ep. Peremysliensi. Idem	450
381.	» »	— Ep. Chelmensi. Idem argumentum	451
382.	» »	— Ep. Camenecensi. Idem argumentum	451
383.	» »	— Ep. Kioviensi. Idem argumentum	452
384.	» »	— Georgio Zbaraskyj. Protectio Eccl. Unitae . . .	453
385.	» »	— Christoforo Zbaraskyj. Idem	454
386.	» »	— Regi Poloniae. Ut puniat parricidas Vitebscen.	455
387.	11.V.1624	— Eidem. Gratias agit de punitione exemplari .	456
388.	18.V.1624	— Metrop. Kioviensi. Consolatur	456
389.	31.VIII.1624	— Ad perp. rei mem. Indulgentiae pro Basilianis	457
390.	12.III.1625	— Ad futur. rei mem. De Synodis quadrienn .	458
391.	10.V.1625	— Regi Poloniae. De Coadiutore Kioviensi . . .	459
392.	7.VI.1625	— Metrop. Kioviensi. De usu carniū	460
393.	22.VIII.1626	— Metrop. Kioviensi. De erectione Seminarii .	461
394.	» »	— Episcopis unitis. Idem commendatur	462
395.	» »	— Metrop. Kioviensi. De Procuratore in Urbe .	462
396.	» »	— Regi Poloniae. De Ep. schismaticis	463
397.	» »	— Ep. Vilmensi. De proxima Synodo Ruthenorum	464
398.	7.XI.1626	— Regi Poloniae. De privilegiis Ep. unitorum . .	465
399.	7.VII.1627	— Ad futur. rei mem. Indulg. pro exerc. spir. .	466
400.	24.VII.1627	— Ep. Methonensi. De protectione Unionis . . .	466
401.	7.X.1628	— Meletio Smotryckyj. Congratulatur de unione .	467
402.	14.X.1628	— Archiep. Gnesnensi. Commendat Unitos	468
403.	14.IV.1629	— Ad futur. rei mem. Facultas dispensandi . . .	468
404.	20.VI.1629	— Metrop. Kioviensi. Facultas dispensandi . . .	469
405.	24.IX.1629	— Duci Korecensi. Commendat Unitos	470
406.	5.XII.1629	— Metrop. Kioviensi. De matrimoniis clandestin.	471
407.	6.XII.1629	— Ad perp. rei mem. Confirm. Synodi Kobrynen.	471
408.	12.XII.1629	— Ad futuram etc. De matrimoniis clandestinis .	475
409.	14.XII.1629	— Ad futur. rei mem. De matrim. clandestinis .	476
410.	9.III.1631	— Raphaëli Korsak. Coadiutoria Kiovien.	478
411.	20.VIII.1631	— Ad futur. rei mem. Confirm. unionis Basilian.	481
412.	5.VI.1631	— Meletio Smotryckyj Tit. Eccles. Hierapolitan.	482

413.	10.III.1632	— Ad futur. rei mem. Confirmatio concordiae . . .	483
414.	21.IV.1632	— Ad futur. rei mem. De clandestinitate . . .	484
415.	29.IV.1632	— Ep. Vilmensi. Commendat Unitos . . .	485
416.	31.VII.1632	— Archiep. Gnesnensi. Commendat Ruthenos . . .	486
417.	21.XII.1632	— Archiep. Gnesnensi. Causa Unionis commend.	487
418.	» »	— Cardinali Poloniae. Eiusdem argumenti . . .	487
419.	1.I.1633	— Vladislao Regi. Uniti commendantur . . .	488
420.	» »	— Metrop. Kioviensi. Hortatur ad vigilantiam . . .	489
421.	» »	— Cardinali Poloniae. Idem commendatur . . .	490
422.	» »	— Archiep. Gnesnensi. Idem	490
423.	» »	— Episcopis tribus. Idem	491
424.	» »	— Nobilibus tribus. Idem	492
425.	» »	— Duci Olicae. Laudatur et hortatur de eadem re	493
426.	29.I.1633	— Archiep. Gnesnensi. Unio defendenda . . .	493
427.	21.II.1633	— Ad perp. rei mem. De villa Torokanie . . .	494
428.	5.I.1634	— Ad futur. rei mem. De prima instantia causar. .	496
429.	VI.1634	— Nuntio Varsav. De monasterio Zyrovicen. . .	496
430.	21.XI.1634	— Nuntio Varsav. De Synodis et Comitiis . . .	497
431.	4.VIII.1635	— Ad futur. rei mem. Altaria privilegiata . . .	497
432.	20.VIII.1635	— Ad futur. rei mem. De creatione Notariorum . .	498
433.	12.IX.1635	— Ad perp. rei mem. Corfim. fund. mon. OSBM	499
434.	15.IX.1635	— Regi Poloniae. Commendat R. Korsak . . .	500
435.	» »	— Archiep. Gnesnensi. Idem	501
436.	» »	— Ep. Luceorien. Idem	501
437.	» »	— Ep. Vilmensi. De eodem Episcopo	502
438.	» »	— Ep. Posnaniensi. Idem	503
439.	» »	— Metrop. Kioviensi. De eodem negotio	503
440.	» »	— Ep. Vratislaviensi. Idem	504
441.	» »	— Ep. Samogitiae. Idem	505
442.	» »	— Casimiro, Principi Poloniae. Idem	505
443.	» »	— Thesaurario Poloniae. Idem	506
444.	» »	— Ducissae Ostrogiensi. De eadem re	507
445.	» »	— Cancellario Lithuaniae. Idem	507
446.	» »	— Cancellario Poloniae. Idem Korsak commend.	508
447.	» »	— Palatino Trocensi. Idem	509
448.	26.IX.1635	— Ep. Cracoviensi. Commendatio Korsak	509
449.	10.VII.1636	— Palatino Volhiniae. De « unione universali » .	510
450.	17.VII.1638	— Regi Poloniae. Commendatio Eccl. unitae . . .	512
451.	8.VI.1639	— Principi Zaslavskyj. Congratulationes	512
452.	» »	— Catharinae Ostrogiensi. Idem	513
453.	» »	— Annae de Ostroh. Idem argumentum	514
454.	3.XII.1639	— Regi Poloniae. Commendat Metrop. Kiovien.	515
455.	» »	— Reginae. Idem	516
456.	25.VIII.1640	— Regi Poloniae. Protectio Unionis	516
457.	8.II.1641	— Ad futur. rei mem. Concess. eccl. SS. Sergii et B.	517
458.	18.III.1641	— Antonio Sielava. Provisio Eccl. Kiovien. . . .	519
459.	16.V.1643	— Ad perpet. rei mem. Breve beatific. S. Josaphat	521
460.	3.XI.1643	— Metropol. Kiovien. Gratulatur de zelo Unionis	523
461.	» »	— Regi Poloniae. Negotia Unionis commendat . .	524

462.	3.XI.1643	— Cancellario Poloniae. Idem	525
463.	» »	— Archiep. Gnesnensi. Idem	526
464.	» »	— Ep. Peremyliensi. De eadem re	526
465.	» »	— Palatino Russiae. Idem	527
466.	» »	— Ep. Cracoviensi. Idem	527
467.	» »	— Duci Zaslavskyj. De eadem re	528
468.	» »	— Cancellario Lithuaniae. Idem	529
469.	» »	— Marescalco Poloniae. Idem negotium	529
470.	» »	— Castellano Cracoviensi. Idem	530
471.	» »	— Castellano Cernyhivensi. Invitat ad unionem	530
472.	» »	— Petro Mohyla. Invitat ad unionem	531
473.	» »	— Palatino Kioviensi. Idem	532
474.	» »	— Nicolao Ostrorog. Commendat Unionem	533
475.	» »	— Joanni Zamoycki. Idem argumentum	533
477.	» »	— Duci Koreckyj. De eadem re	534
345.	» »	— Subcamerario Vitebscensi. De eodem argum.	534
478.	» »	— Palatino Berestensi. Idem	535
479.	» »	— Thesaurario Poloniae. Idem	535
480.	» »	— Marescalco Poloniae. Idem	536
481.	» »	— Michaeli Korybut. De eodem negotio	536
482.	» »	— Academiae Cracov. Ep. Chelmensis commend.	537
483.	16.II.1644	— Ad perpet. rei mem. De erect. schol. Chelmae	538

INNOCENTIUS X (1644-1655)

484.	15.X.1649	— Regi Poloniae. De Cosacis aliisque	543
485.	» »	— Ordini Senatorio. De periculis religionis	544
486.	» »	— Reginae Poloniae. De eadem re	545
487.	» »	— Ordini Equestri. De eadem re	546
488.	» »	— Archiep. Gnesnensi. De eadem re hortatur	546
489.	» »	— Ep. Plocensi. Idem	547
490.	» »	— Ep. Culmensi. Idem argumentum	547
491.	» »	— Episcopis quatuor. De eadem re	548
492.	» »	— Aliis quatuor. De eadem re	548
493.	» »	— Nobilibus quatuor. Idem	549
494.	» »	— Aliis quatuor. De eodem negotio	549
495.	» »	— Aliis quatuor. Idem	550
496.	» »	— Aliis quatuor. Idem argumentum	550
497.	» »	— Aliis quatuor. Idem	551
498.	» »	— Aliis quatuor. De eadem re	551
499.	» »	— Aliis quatuor. De eodem negotio	552
500.	» »	— Aliis quatuor. De eadem re	552
501.	» »	— Idem. De eodem negotio	553
502.	» »	— Aliis quatuor. Eodem exemplo	553
503.	14.X.1651	— Regi Poloniae. De abrog. legum iniurios.	554
504.	3.II.1652	— Regi Poloniae. De opposit. conat. inimicorum	555

ALEXANDER VII (1655-1667)

505.	8.VI.1655	— Archiep. Strigoniensi. Confirm. Ep. Parthenii .	559
506.	29.VI.1658	— Regi Poloniae. Defensio Unionis in Comitibus .	560
507.	» »	— Reginae Poloniae. Idem	561
508.	» »	— Ep. Cracoviensi. Idem argumentum	561
509.	» »	— Ep. Warmiensi. Idem	562
510.	» »	— N.N. Senatori. Idem argumentum	563
511.	» »	— Ep. Vilenſi. De eadem re	563
512.	» »	— N.N. Defensio Unionis in Comitibus	564
513.	» »	— Palatino Vilenſi. Idem	565
514.	6.VII.1658	— Archiep. Polocensi. De defensione Unionis . .	565
515.	13.VII.1658	— Nuntio Poloniae. Idem negotium commendatur	566
516.	17.VIII.1658	— Archiepiscopo Polocensi. Iubilaeum	567
517.	10.IX.1658	— Reginae Poloniae. Eccl. unita commendatur .	569
518.	» »	— Hierarchiae pol. Commend. Archiep. Polocen.	570
519.	» »	— Ordini Senatorio et Equestri. Idem commend.	571
520.	» »	— Regi Poloniae. Idem commendatur	572
521.	» »	— Hierarchiae ruthenae. Ut resistat in adversis .	573
522.	12.VI.1660	— Ad futur. rei mem. Hospitium SS. Sergii et B.	574
523.	10.XI.1660	— Ad futur. rei mem. Dispens. A. Onysymovyč	575
524.	8.III.1664	— Regi Poloniae. Unio defendenda commendatur	576
525.	» »	— Reginae Poloniae. Idem	576
526.	1.XI.1664	— Regi Poloniae. Bona Peremysliensia	577
527.	» »	— Senatoribus. Idem	577
528.	22.IV.1665	— G. Kolenda. Provisio Eccl. Kiovien.	578
529.	25.V.1665	— Ad futur. rei mem. Sanatio iurisdic. Metrop.	581
530.	30.V.1665	— Nuntio Poloniae. De Capitulis Basilianorum .	582
531.	» »	— Nuntio Varsav. Superintendens Basilianorum .	584
532.	9.IX.1665	— Metrop. Kioviensi. Favor adpromittitur . .	585
533.	4.VI.1666	— Nuntio Varsaviensi. Nullitatis Capit. Basilian.	586
534.	» »	— Eidem. Superintendens Ordinis Basiliani . .	588
535.	» »	— Ep. Volodimiriensi. Superintend. Basilian. . .	589

CLEMENS IX (1667-1669)

536.	5.I.1669	— Archiep. Gnesnensi. Defensio Unionis comm. .	593
537.	4.V.1669	— Metrop. Kioviensi. Certioratur de negotiis . .	593
538.	24.VIII.1669	— Regi Poloniae. Defensio Unionis commendatur	594
539.	» »	— Hierarchiae polonae. Idem commendatur . .	595
540.	» »	— Archiep. Gnesnensi. Idem commendatur . .	596
541.	» »	— Ep. Cracoviensi. Idem commendatur	597
542.	» »	— Senatoribus. Idem commendatur	597
543.	» »	— Ordini Equestri. Idem argumentum	598
544.	» »	— Nobilibus quatuor. Idem	599
545.	» »	— Eidem idem commendatur	599

546.	24.VIII.1669	— Aliis quatuor. Idem commendatur	600
547.	» »	— Aliis quatuor. Idem	600
548.	» »	— Aliis quatuor. Idem	601
549.	» »	— Regi Poloniae. Dignitas senat. pro Metrop. . .	601
550.	» »	— Archiepiscopo Gnesnensi. Idem commendatur	602
551.	» »	— Metrop. Kioviensi. Certioratur de commendat.	602
552.	» »	— Ep. Cracoviensi. Idem negotium commendatur	603

CLEMENS X (1670-1676)

553.	10.V.1670	— Regi. Defensio Unionis	607
554.	» »	— N.N. Episcopo. Idem argumentum	608
555.	» »	— NN. Episcopo. Idem	609
556.	» »	— Nobili N.N. Idem argumentum	609
557.	» »	— Senatori N.N. Eadem defensio inculcatur . .	610
558.	» »	— Generali N.N. Idem	611
559.	» »	— Archiepiscopo Gnesnensi. Defensio Unionis . .	611
560.	» »	— N.N. Nobili. Idem commendatur	612
561.	30.VIII.1670	— Archiep. Gnesnensi. Commendatur Metrop. . .	613
562.	» »	— Regi Poloniae. Commendatur Metropolita . .	613
563.	» »	— Ep. Culmensi. Idem negotium	614
564.	» »	— Duobus Nobilibus. Idem commendatur . . .	614
565.	1671	— Cancellario Lithuaniae. In causa Vilnensi . .	615
566.	1671	— Ep. Culmensi. Idem Metrop. commendatur . .	615
567.	1.VII.1671	— C. Žochovskij. Coadiutoria Kioviensis . . .	616
568.	2.I.1672	— Regi Poloniae. Defensio Unionis in Comitibus .	620
569.	» »	— Hierarchiae polonae. Idem commendatur . .	621
570.	» »	— Ordini Equestri. Idem	622
571.	» »	— Ep. Culmensi. Idem	623
572.	» »	— Ordini Senatorio. Idem argumentum	623
573.	5.I.1672	— Nobilibus quatuor. Idem	624
574.	» »	— Aliis quatuor. Idem argumentum	624
575.	» »	— Aliis quatuor. Idem argumentum	625
576.	» »	— Aliis quatuor. Idem	625
577.	11.V.1672	— Metropolitae Kioviensi. De prov. Vilnen. . .	626
578.	» »	— Regi Poloniae. Unio defendenda commendatur	626

INNOCENTIUS XI (1676-1689)

579.	19.XII.1676	— Regi Poloniae. Protectio Unionis	631
580.	» »	— Reginae Poloniae. Idem	631
581.	» »	— Cancellario Lithuaniae. Idem	632
582.	» »	— Ordini Senatorio. Idem commendatur	632
583.	» »	— Ordini Equestri. Idem	633
584.	» »	— Archiepiscopo Gnesnensi. Idem commendatur	633

585.	19.XII.1676	— Ep. Cracoviensi. Idem	634
586.	» »	— Ep. Samogitiensi. Idem commendatur . . .	635
587.	» »	— Ep. Culmensi. Idem argumentum	635
588.	» »	— Episcopo Warmiensi. Defensio Eccl. Unitae .	636
589.	» »	— Epp. Chelmen. et Posnanien. Idem argument.	636
590.	» »	— Epp. Luceorien. et Camenecen. Idem . . .	637
591.	» »	— Ep. Kioviensi. De eadem re	637
592.	» »	— Epp. Plocensi et Leopoliensi. Idem	638
593.	» »	— Ep. Peremysliensi. Idem argumentum . . .	638
594.	» »	— Ep. Vendensi. Idem	639
595.	» »	— Nobilibus quatuor. Idem	639
596.	» »	— Aliis quatuor. De eadem re	640
597.	11.IX.1677	— Metrop. Kiov. De unione Leopoli. et Perem.	640
598.	» »	— Ep. Leopoliensi. Congratulatur de unione . .	641
599.	8.VI.1680	— Hierarchiae ruthenae. De conaminib. unionis	642
600.	15.VI.1680	— Regi Poloniae. Commend. neg. «unionis univ.»	643
601.	23.XI.1680	— Metrop. Kioviensi. Exauditio precum	643
602.	14.VII.1681	— Nuntio Varsaviensi. Professio fidei Leopoliens.	644
603.	» »	— Nuntio Ap. Confirmatio Ep. Peremysliens. uniti	645
604.	26.VII.1681	— Hierarch. unit. Gratias agit de opera praestita	646
605.	» »	— Ep. Leopoli. et Premisliens. Congrat. de prof. f.	647
606.	2.VIII.1681	— Regi Poloniae. Uniti commendantur protegendi	647
607.	» »	— Palatino Cracoviensi. Idem argumentum . .	648
608.	» »	— Palatino Russiae. Idem	649
609.	» »	— N.N. Nobili. De eadem re	649
610.	30.I.1683	— Regi Poloniae. De unione Epar. Leopoliens.	650
611.	20.II.1683	— Nuntio Varsaviensi. Idem	650
612.	30.X.1683	— Ad futur. rei mem. Nullitas Capituli Basilian.	651
613.	8.VII.1684	— Generali Cosacorum. De defensione christian.	654

ALEXANDER VIII (1691-1700)

614.	5.XI.1689	— Josepho de Camillis. Eccl. tit. Sebastensis . .	657
615.	» »	— Eidem. Vicariatus Ap. Munkacsiensis. . . .	658

INNOCENTIUS XII (1691-1700)

616.	20.IX.1692	— Regi Poloniae. De unione Eparchiae Peremsl.	663
617.	» »	— Metrop. Kioviensi. Abbatia Suprasliens. . . .	664
618.	» »	— Palatino Vिल्nensi. Idem negotium	665
619.	» »	— Thesaurario Lithuaniae. Idem argumentum .	665
620.	22.IX.1695	— Leoni Zalenskyj. Provisio Metrop. Kioviens.	666
621.	26.V.1696	— Metrop. Kioviensi. Laudatur eius zelus . . .	668
622.	11.XII.1698	— Theodoro Potocki. Dispens. ab impedimento	669
623.	23.V.1699	— Regi Poloniae. De Ep. Mohiloviensi	670

CLEMENS XI (1700-1721)

		<u>Vol. II</u>
		<u>pag.</u>
624.	18.VII.1701	— Ep. Leopoliensi. Congratulatur de unione . . . 5
625.	17.X.1705	— Metropolitae Kioviensi. De persecutionibus . . . 6
626.	» »	— Ep. Luceoriensi. De persec. Ecclesiae . . . 7
627.	7.IV.1707	— Ep. Peremyliensi. Administratio Munkacsien. 9
628.	5.IV.1709	— Ad perp. rei mem. Confrat. staurop. Leopol. 9
629.	7.V.1710	— G. Vynnyckyj. Provisio Metrop. Kiovien. . . 12
630.	10.V.1710	— Regi Poloniae. Unio protegenda commendatur 14
631.	» »	— Hierarchiae polonae. Idem argumentum . . . 15
632.	» »	— Ordini Senatorio. Idem argumentum . . . 15
633.	» »	— Ordini Equestri. Idem argumentum . . . 16
634.	14.VI.1710	— Metrop. Kioviensi. Retentio Archimandriarum 16
635.	11.VII.1710	— P. Fylypovyč. Vicariatus Ap. Munkacsien. . . 18
636.	21.VII.1710	— Eidem. Provisio Eccl. tit. Bodonen. 19
637.	25.X.1710	— Regi Poloniae. Persecutio Eccl. Unitae . . . 20
638.	» »	— Archiep. Gnesnen. Idem argumentum . . . 21
639.	» »	— Procancellario Poloniae. Eadem res commend. 22
640.	22.XI.1710	— Regi Poloniae. Iterum de persecutione . . . 22
641.	4.VII.1711	— Eidem. De eadem re 24
642.	12.VIII.1711	— P. Fylypovyč. Consecrationis 25
643.	15.VIII.1711	— Regi Poloniae. De apostasia C. Szumlanskyj . 26
644.	» »	— Ducu Campestri. Idem argumentum 27
645.	21.XII.1711	— Regi Poloniae. Administratio Luceorien. . . 28
646.	3.XII.1712	— Eidem. De defectione C. Szumlanskyj . . . 29
647.	» »	— Exercituum Ducu. Idem argumentum 30
648.	18.IX.1714	— Leoni Kiška. Provisio Metrop. Kiovien. . . 31
649.	5.II.1716	— G. Byzanczy. Deput. in Vic. Ap. Munkacsien. 33
650.	20.III.1716	— Nuntio Varsaviensi. Praesidentia Synodi prov. 33
651.	12.III.1720	— Ep. Leopoliensi. Seminarium commendatur . . 34
652.	22.VI.1720	— Nuntio Varsaviensi. Visitatio Eccl. unitae . . 36
653.	20.VI.1720	— Nuntio Ap. Facultas visitandi Colleg. Pontif. . 38
654.	19.VII.1720	— Hierarchiae ruthenae. In Synodo congregatae 39

INNOCENTIUS XIII (1721-1724)

655.	31.I.1722	— Regi Poloniae. De bonis Eccl. unitae recuper. 43
656.	3.VII.1722	— Nuntio Ap. Visitatio Colleg. Pontif. 44
657.	» »	— Eidem. Visitatio Eccl. unitae 44
658.	7.VIII.1723	— Universis. Indulg. plenaria in eccl. OSBM . . 44
659.	10.II.1724	— Ad futur. rei mem. Retentio bonorum pro conv. 45

BENEDICTUS XIII (1724-1730)

660.	19.VII.1724	— Ad futur. rei mem. Confirm. Synodi Zamostien. 49
661.	12.VIII.1724	— Ad futur. rei mem. Recuperandi bona eccl. . . 50
662.	5.IX.1724	— Metrop. Kiovien. Rescribit gratulanti . . . 52
663.	30.IX.1724	— Regi Poloniae. De bonis ecclesiasticis 52

664.	15.XII.1725	— Eidem. Commendatur Ep. Pincensis	53
665.	11.VII.1726	— Universis. Indulg. plen. pro eccl. OSBM	54
666.	25.X.1726	— Epp. Luceoriae. et Polocen. Institut. Clericorum	55
667.	15.IX.1727	— Universis. Indulg. plen. pro eccl. Basilian. .	55
668.	29.IV.1728	— Jacobo Sobieski. Semini Leopoliens. commend.	56
669.	1.V.1728	— Regi Poloniae. De Ep. Mohiloviensi	57
670.	16.XII.1728	— Ad fut. rei mem. De dignit. non amb. OSBM	58
671.	21.I.1729	— Nuntio Poloniae. Adm. Eccl. Metrop. Kiovien.	59
672.	17.VIII.1729	— A. Szeptyckyj. Provisio Metrop. Kiovien. . .	60
673.	10.I.1730	— Regi Poloniae. Commendat Archiep. Polocen.	61
674.	13.I.1730	— Universis. Indulg. plen. pro eccl. Vilnen. . .	62
675.	» »	— Eidem. Pro eccl. Minscensi OSBM	63
676.	» »	— Eidem. Pro eccl. Borunensi	63
677.	» »	— Eidem. Pro eccl. Zyrovicensi	63
678.	» »	— Eidem. Pro eccl. Eparch. Polocensis	64
679.	21.I.1730	— Universis. Pro Cathedr. Polocen. et Vitebscen.	64
680.	» »	— Eidem. Pro eccl. Uszacensi	65
681.	» »	— Eidem. Pro eccl. Sirocinensi	65
682.	» »	— Eidem. Pro eccl. Vilnensi	65
683.	» »	— Eidem. Pro eccl. Minscensi indulg.	66
684.	» »	— Eidem. Pro eccl. Zyrovicensi indulg.	66
685.	» »	— Eidem. Pro eccl. Borunensi idem	66

CLEMENS XII (1730-1740)

686.	5.I.1731	— Metrop. Kiovien. Rescribit gratulanti	69
687.	23.IV.1732	— Nuntio Ap. Revocatio privil. Ep. Camenec. . .	69
688.	18.V.1735	— S. Olšavskyj. Vicar. Ap. Munkacsien.	70
689.	20.V.1735	— Eidem. Eccl. tit. Pellensis conceditur	71
690.	24.V.1735	— Eidem. Facultas recipiendi consecrationem . .	71
691.	17.I.1738	— Regi Poloniae. Patrocinium Semin. Leopol. . .	72
692.	28.VII.1738	— Metrop. Kioviensi. Nuntius commendatur . .	73
693.	11.IX.1738	— Blažovskyj. Vicar. Ap. Munkacsien.	74
694.	12.IX.1738	— Eidem. Eccl. tit. Agnensis conceditur	74

BENEDICTUS XIV (1740-1758)

695.	16.IX.1740	— Regi Poloniae. Protectio Unionis in Comit. . .	79
696.	» »	— Card. Lipski. Idem argumentum	80
697.	13.III.1742	— Ad perpet. rei mem. Altare privileg. OSBM. . .	81
698.	27.V.1742	— Metrop. Kioviensi. Laudatur ob union. OSBM. .	82
699.	27.XI.1742	— Hierarchiae ruthenae. Ne se opponat OSBM.	83
700.	5.IX.1743	— M. Olšavskyj. Prov. eccl. tit. Rossen.	85
701.	6.IX.1743	— Eidem. Facultas recip. consecrationem	86
702.	» »	— Eidem. Vicar. Ap. Munkacsien.	86
703.	10.IV.1744	— Regi Poloniae. Defensio Cleri uniti	87
704.	11.V.1744	— Metrop. et OSBM. Confirmatio Cap. Dubnen.	88
705.	9.IX.1744	— Ad futur. rei mem. Pro monast. Niskinice . .	100

706.	19.IX.1744	— Regi Poloniae. Unio commendatur	102
707.	» »	— Cardinali Poloniae. Idem argumentum . . .	103
708.	» »	— Archiep. Gnesnensi. Idem	104
709.	» »	— Archiep. Polocensi. De eadem re hortatur . .	105
710.	26.IX.1744	— Metrop. Kioviensi. De concordia restabilita .	106
711.	3.XII.1744	— Protoarchimandritae OSBM. Commendat Proc.	107
612.	30.XII.1746	— Metrop. Kioviensi. De Ep. Chelmensi . . .	108
713.	21.I.1747	— Nuntio Ap. Administratio Kioviensis	109
714.	25.II.1747	— Universis. Indulgentia plen. pro eccl. OSBM. .	110
715.	4.IV.1748	— Ad futur. rei mem. De electione Metrop. . .	111
716.	16.XII.1748	— Metrop. Kioviensi. Provisio Eccl.	112
717.	14.IV.1749	— Metrop. Kioviensi. Ordinatio Episcoporum . .	115
718.	25.IV.1750	— Regi Poloniae. Commendat Unionem defend. .	116
719.	» »	— Ep. Plocensi. Idem argumentum	118
720.	» »	— Archiep. Gnesnensi. Idem	119
721.	» »	— Metropolitanæ Kioviensi. Idem argumentum . .	120
722.	29.III.1751	— Ad futur. rei mem. Missae in antimensiis . .	121
723.	18.IX.1751	— Ep. Leopoliens. et Peremysl. De transitu ad r.l.	125
724.	17.XI.1751	— Ad perp. rei mem. Protoar. OSBM. usus pontif.	126
725.	5.IV.1753	— Ad fut. rei mem. Coll. Pontif. Vilnen. renov.	129
726.	5.II.1753	— Ad futur. rei mem. Confirmatio donationis . .	133
727.	12.IV.1753	— Ordini Basiliano. De non ambiendis dignitat.	134
728.	8.VIII.1753	— Regi Poloniae. De civitate Borysov protegenda	138
729.	» »	— Metrop. Kioviensi. Idem	139
730.	» »	— Marescalco Lithuaniae. Idem argumentum . .	140
731.	» »	— Coadiutori Vilnen. Idem commendatur . . .	141
732.	14.VIII.1753	— Hierarchiae unitae. De educatione Cleri . . .	142
733.	5.II.1754	— Ad perpet. rei mem. Altaria privileg. OSBM.	144
734.	» »	— Ad perp. rei mem. Indulg. plen. pro defunctis	144
735.	20.III.1754	— Regi Poloniae. Defensio Basilianorum . . .	145
736.	» »	— Cancellario Lithuaniae. Idem argumentum . .	146
737.	» »	— Archiep. Gnesnensi. Idem	147
738.	» »	— Procancellario Lithuaniae. Idem negotium . .	148
739.	26.IV.1754	— Nuntio Ap. Confirmatio fundationis pro OSBM.	149
740.	14.I.1755	— F. Wolodkovyč. Bulla Coadiutoriae Kioviensis	151
741.	7.II.1755	— Regi Poloniae. Negotium Ep. Mohiloviens. . .	153
742.	» »	— Cancellario Poloniae. Idem commendatur . .	154
743.	15.V.1755	— Universis. Indulg. plen. OSBM.	155
744.	14.VI.1755	— Confessario Regis. De negotio Mohiloviensi .	156
745.	» »	— Reginae Poloniae. Idem argumentum	157
746.	26.VII.1755	— Excerpta ex Bulla « Allatae sunt... »	158
747.	30.III.1756	— Ad futur. rei mem. Varia negotia Basilianorum	161
748.	14.VII.1756	— Universis. Indulg. plen. in festo S. Josaphat.	165

CLEMENS XIII (1758-1769)

749.	30.VI.1759	— Universis. Indulg. plen. tempore Cap. Beresten.	169
750.	1.III.1760	— Metrop. Kioviens. Commendatur novus Nuntius	170
751.	1.VI.1760	— Clericis Vilnen. Commissio revidendi causam .	170

752.	13.III.1761	— J. Dzikovskyj. Dispensatio ad ordines recip.	172
753.	21.IV.1762	— Ep. Volodimiriensis. Hortatur	172
753*.	11.VI.1762	— Ad fut. rei mem. Confirm. concordia Polocen.	174
754.	4.XII.1762	— Regi Poloniae. De negotio Mohiloviensi	177
755.	» »	— Archiep. Polocensi. De eadem re respondit	178
756.	18.XII.1762	— L. Szeptyckyj. Coadiutoria Kioviensis	179
757.	6.VI.1763	— Ep. Vilnensi etc. Appellatio	182
758.	3.IV.1764	— Nuntio Apostolico. Praesidentia Synodi prov.	183
759.	20.VIII.1764	— Archiep. Leopoliensi. Appellationes	184
760.	22.VIII.1764	— Eidem. Alia appellatio ex Ep. Kioviensi	185
761.	» »	— Eidem. Alia appellatio	185
762.	19.XII.1764	— Canonicis Luceorien. Appellatio Volodimirien.	186
763.	15.VI.1765	— Hierarchiae unitae. Ad Synodum congregatis	187
764.	» »	— Protoarchim. et Consultoribus OSBM. Idem	188
765.	4.I.1766	— Universis. Indulg. plen. tempore miss. OSBM	188
766.	8.II.1766	— Metrop. Kiovien. De Ep. Mohiloviensi	189
767.	19.III.1766	— Palatino Braclaviensi. Ne permittat turbare	190
768.	31.XII.1766	— Regi Poloniae. Commendatur Nuntius	192
769.	» »	— Metrop. Kioviensi. Novus Nuntius commend.	192
770.	23.I.1767	— Ad perp. rei mem. Altare privileg. in Turyнка	193
771.	20.VI.1767	— Metrop. Kioviensi. Limitatio iurisdictionis	194
772.	» »	— Ep. Leopoliensi. Datur iurisdictionis in Metrop.	195
773.	14.XI.1767	— Ep. Agriensi. De erectione Ep. Munkacsien.	195
774.	27.I.1768	— J. Bradaes. Eccl. tit. Rossen. et Vicar. Ap.	196
775.	14.II.1768	— Hierarchiae unitae. Consolatur in adversis	197
775*.	23.VII.1768	— Imperatrici Austriae. De erectione Ep. Munk.	198

CLEMENS XIV (1769-1774)

776.	6.VI.1769	— G. Horbacki et aliis. Appellatio Berestensis.	203
777.	28.IX.1769	— Canonicis Leopoliens. Appellatio Leopoliens.	204
778.	17.II.1770	— Universis. Indulg. plen. pro eccl. Basilian.	205
779.	5.V.1770	— A. Piasecki. Facultas gestandi crucem	206
780.	28.VIII.1770	— J. Siedleckyj. Altare portatile	207
781.	1.IX.1770	— Ep. Volodimirien. Appellatio Berestensis	207
782.	10.X.1770	— Imperat. Austriae. De erectione Ep. Munk.	208
783.	» »	— Archiep. Agriensi. De eadem erectione	211
784.	17.XI.1770	— Imperat. Austriae. De eadem erectione	211
785.	24.XI.1770	— Eidem. De eadem erectione Munkacsien.	213
786.	1770	— Universis. Indulg. in eccl. Basilian.	214
787.	19.IX.1771	— Ad perp. rei mem. Erectio Ep. Munkacsien.	214
788.	23.IX.1771	— J. Bradaes. Provisio Munkacsienensis	218
789.)	23.IX.1771	— De provisione Munkacsien. Aliae Bullae	219
794.)			
795.	23.IX.1771	— J. Bradaes. Absolutio a censuris	220
796.	25.IX.1771	— Archiep. Kiovien. et aliis. Appellatio Berest.	221
797.	7.IV.1772	— Universis. Indulgentia Bučačensi eccl.	222
798.	15.IV.1772	— Metrop. Halciens. Commendat novum Nuntium	222
799.	5.VI.1772	— Universis. Indulgentia in Dolyna	223

800.	1.IX.1772	— A. Mlodovski aliisque. Appellatio Beresten.	224
801.	17.XI.1772	— Archiep. Polocensi. Laudatur ob zelum	224
802.	2.XII.1772	— Protoarchiman. SBM. Laudat studium	225
803.	4.XII.1772	— Universis. Indultum circa Missas	226
804.	» »	— Eisdem. Simile pro eccl. Brusyliv	227
805.	» »	— Ad perp. rei mem. Simile pro Hoščen.	227
806.	» »	— Eisdem. Pro monaster. Krystynopolitano	227
807.	8.III.1773	— A. Bačynskyj. Provisio Eccl. Munkacsien.	228
808.	20.III.1773	— Ad futur. rei mem. Concordiae confirmatio	229
809.	11.V.1773	— Universis. Indulgentia pro eccl. Basilian.	234
810.	17.IX.1773	— Ad futur. rei mem. Indulg. in eccl. Olycensi	234
811.	18.XI.1773	— Ad futur. rei mem. Fundatio monast. confirm.	235
812.	16.IV.1774	— Archiep. Polocensi. Congratulatur	236
813.	16.VII.1774	— Eidem. Aliud exemplar iusdem tenoris	236
814.	12.VII.1774	— Universis. Indulg. pro eccl. Drohomyrčany	237

PIUS VI (1775-1799)

815.	8.IV.1775	— Imperat. Austriae. De reductione festorum	241
816.	2.V.1775	— Universis. Indulg. pro eccl. Lipiensi	242
817.	1.VII.1775	— Metrop. Kioviensi. De controvers. cum Suffr.	242
818.	19.VII.1775	— Ad perp. rei mem. Indulgentiae diversae	243
819.	31.X.1775	— Archiep. Kiovien. Commendatur Nuntius	244
820.	16.III.1776	— Archiep. Polocensi. Laudatur et hortatur	245
821.	20.VI.1776	— Ad perp. rei mem. Indulg. pro eccl. Lohnicen.	246
822.	6.VIII.1776	— Regi Poloniae. Commendatur Ordo Basilian.	247
823.	» »	— Ep. Plocensi. Idem commendatur	248
824.	» »	— Cancellario Lithuaniae. Idem	249
825.	13.VII.1776	— Regi Poloniae. Negotia Ordinum commendan.	250
826.	30.X.1776	— Imperat. Austriae. De reordin. Eparchiarum	252
827.	19.IV.1777	— Eidem. De erectione Ep. Crisiensis	254
828.	28.VI.1777	— Archiep. Strigoniensi. De erectione Crisien.	255
829.	5.III.1778	— Ant. Mlodovskyj. Appellatio Luceorien.	256
830.	9.V.1778	— Metrop. Kioviensi. Commendat Basilianos	257
831.	19.I.1780	— Ad perp. rei mem. Confirm. fund. Sem. Chel.	258
832.	23.VI.1781	— J. Smogorzewskyj. Provisio Kioviensis Metrop.	259
833.	1781	— G. Horbackyj. Coadiutoria Kioviensis.	261
834.	26.II.1782	— Metrop. Kiovien. Congratulatur et Coadiutoria	262
835.	» »	— M. Prymovyč. Usus Pontificalium	263
836.	13.VI.1782	— Canonicis Vilnen. Appellatio Polocensis	264
837.	9.VII.1782	— M. Malenievskyj. Protonotariatus	264
838.	23.VII.1782	— Ad perp. rei mem. Indulgentia in Mežyriče	265
839.	14.IX.1782	— Principi Poniatowski. Commend. Ab. Kaniov.	266
840.	19.VII.1783	— Ep. Leopoliens. et aliis. Appellatio Luceorien.	266
841.	30.III.1784	— M. Stadnickyj. Coadiutoria Luceoriensis	267
842.	13.VII.1784	— Ad perp. rei mem. De aurea cruce pro benem.	268
843.	21.VIII.1784	— Metrop. Kioviensi. Nuntius commendatur	271
844.	11.IV.1785	— Th. Rostockyj. Coadiutoria Kioviensis	272
845.	23.VII.1785	— Regi Poloniae. Commendatur Unio	274

846.	26.IV.1786	— Ad perp. rei mem. Indulg. in Kudryče . . .	275
847.	26.VIII.1786	— Palatino Vitebscensi. Grat. pro eccl. Siehniev.	276
848.	» »	— Ad perp. rei mem. Indulg. pro eccl. Siehniev.	276
849.	2.IX.1786	— Regi Poloniae. Commendantur Basiliani . . .	277
850.	» »	— Archiep. Gnesnensi. Idem commendatur . . .	278
851.	9.IX.1786	— H. Korčynskyj, OSBM. De commend. Basilian.	279
852.	24.IV.1787	— Jos. Bulhak. Coadiutoria Pinscensis	280
853.	30.VIII.1788	— Regi Poloniae. Commendantur Basiliani . . .	281
854.	» »	— Archiep. Gnesnensi. Idem argumentum . . .	282
855.	» »	— Regni Marescalco. Idem argumentum . . .	283
856.	27.XII.1788	— Metrop. Kiov. Consolatur et de Ep. Chelmen.	284
857.	3.I.1789	— Protoarch. OSBM. Congratulatur de electione	285
858.	21.VII.1789	— Ign. Baraniskyj. Altare portatile	286
859.	12.VII.1791	— Ad perp. rei mem. Altare privil. Pinscen. . . .	286
860.	17.VIII.1791	— Regi Poloniae. De Unione protegenda	286
861.	26.VIII.1791	— A. Glowniejszy. Provisio Eccl. Berestensis . .	289
862.	3.IV.1792	— M. Sulatyckyj. Altare portatile	291
863.	30.XI.1793	— A. Falkovskyj. Congratul. cum novo Protoarch.	291
864.	8.II.1794	— Metrop. Kioviensi. Nuntius commendatur . .	292
865.	12.IX.1795	— Imperatrici Moscoviae. De persecut. Unionis	293
866.	19.IX.1795	— Archiep. Mohiloviensi. De vexat. Unionis . .	295
867.	8.III.1798	— Ad perp. rei mem. Erectio Ep. Suprasliensis .	296
868.	21.III.1799	— Th. Vyslockyj. Provisio Eccl. Supraslien. . .	306

PIUS VII (1800-1823)

869.	20.IX.1800	— Ep. Chelmensi. Respondit gratulanti	311
870.	16.V.1803	— N. Duchnovskyj. Provisio Eccl. Suprasliensis .	312
871.	24.II.1807	— Ad perp. rei mem. Instaur. Metrop. Halicien.	313
872.	16.III.1807	— A. Anhelovyč. Provisio Metrop. Haliciensis . .	319
873.	» »	— Eidem. Iuramentum et fidei professio . . .	320
874.	» »	— Eidem. Pallium Metropolitanicum	321
875.	30.IX.1808	— M. Bradacs. Eccl. tit. Borylen. et Coad. Munk.	323
876.	8.III.1816	— M. Levyckyj. Provisio Metrop. Halicien. . . .	324
877.	8.III.1816	— Eidem. Professio fidei et iuramenta	324
878.	» »	— Eidem. Pallium	325
879.	11.VIII.1816	— B. Pocsy. Provisio Eccl. Munkacsien.	325
880.	24.VII.1817	— Ad perp. rei mem. Transl. Cath. ad Užhorod	326
881.	22.IX.1818	— Ad perp. rei mem. Erectio Ep. Prjašivensis .	327
882.	26.IX.1818	— Gr. Tarkovyč. Provisio Eccl. Prjašivensis . .	333
883.	18.I.1822	— Ad perp. rei mem. Indulg. pro eccl. Vitebsk . .	334
884.	29.I.1822	— Ad perp. rei mem. Alia indulg. eidem eccl. .	335
885.	30.VII.1822	— Ad futur. rei mem. Latini admitt. in OSBM.	335
886.	3.VIII.1823	— Ad perp. rei mem. Separatio partis Ep. Munk.	337

LEO XII (1823-1829)

887.	27.VIII.1824	— Ep. Chelmen. Erectio Capituli	343
888.	22.IV.1828	— Ad futur. rei mem. Exemptio a tributis . . .	344

PIUS VIII (1829-1830)

889.	29.I.1830	— Philip. Szumborskyj. Provisio Eccl. Chelmensis	349
890.	3.II.1830	— Metrop. Leopoliensi. Exemptio Eccl. Chelmen.	350

GREGORIUS XVI (1831-1846)

891.	13.V.1834	— Ad futur. rei mem. Transeundi ad Ritum Latin.	353
892. }	2.X.1837	— B. Popovyč. Provisio Munkacsien.	354
898. }			
899.	» »	— Eidem. Absolutio a censuris	356
900.	3.X.1837	— Eidem. Facultas recip. consecrationem.	356
901.	22.XI.1839	— Allocutio. De persecutionibus Eccl. Unitae	357
902.	23.V.1840	— Ep. Chelmensi. Laudatur propter constantiam	360
903.	7.IV.1841	— Imperat. Moscoviae. Hortatur de persecution.	364
904.	15.VII.1841	— Gr. Jachymovyč. Provisio Eccl. tit. Pompejop.	366
905.	17.VII.1841	— Metrop. Leopoliensi. Gratul. de defen. Prim.	367
906.	29.I.1842	— J. Gaganetz. Prov. Eccl. Prjašivensis	371
907. }	29.I.1842	— Eidem. De eadem provisione aliae Bullae	372
912. }			
913.	» »	— Eidem. Absolutionis	373
914.	31.I.1842	— Eidem. Consecrationis	373
915.	22.VII.1842	— Allocutio. De persecutione Unionis in Russia	374
916.	30.VIII.1842	— J. Teraškevyč. Provisio Eccl. Belzensis	375
917.	27.III.1844	— Ep. Chelmensi. De persecutionibus Unionis	375
918.	19.I.1846	— Allocutio. De intercess. in favorem Unitorum	377

PIUS IX (1846-1878)

919.	3.VII.1848	— Archiep. Mohiloviensi. Commendat Cathol. or.	381
920.	» »	— Allocutio. De conventionibus cum Gub. rossiano	383
921.	5.IX.1848	— Archiep. Leopoliensi. De prov. Ep. Peremysl.	386
922.	20.V.1850	— J. Bochenskyj. Provisio Eccl. tit. Rosensis	387
923.	8.VIII.1851	— Ad futur. rei mem. Privil. rec. Lat. in OSBM.	389
924.	27.V.1856	— Ad perp. rei mem. Usus Pontif. Leopoliens.	390
925.	16.VI.1856	— Metrop. Leopoliens. Promotio ad cardinalatum	390
926.	19.VI.1856	— Eidem. De eadem re	391
927.	15.IX.1856	— Eidem. Congratulatur de cardinalatu	392
928.	8.IV.1857	— S. Lytvynovyč. Prov. Eccl. tit. Canatensis	392
929.	24.IV.1857	— Ad futur. rei mem. Sec. inst. pro Metr. Leop.	393
930.	11.V.1858	— Nuntio Ap. Administr. Metrop. Leopoliensis	394
931.	21.IV.1859	— Archiep. Mohiloviensi. Exprobrat. ob def. zeli	395
932.	23.III.1860	— Gr. Jachymovyč. Provisio Eccl. Metrop. Leop.	396
933.	2.III.1863	— Archiep. et Metrop. Leopoliens. De concordia	397
934.	16.III.1863	— J. Kalinskyj. Prov. Eccl. tit. Belzensis	398
935.	27.III.1863	— Eidem. Prov. Eccl. Chelmensis	399
936.	30.III.1863	— Eidem. De provisione et aliis negotiis	399

937.	7.VII.1863	— S. Lytvynovyč. Assistentia Solio Pontif.	401
938.	17.VII.1863	— Eidem. Administrator Metrop. Leopoliensis	402
939.	27.IX.1863	— S. Lytvynovyč. Prov. Eccl. Metrop. Leopol.	402
940.	» »	— Imperat. Austriae. De eadem provisione	404
941.	» »	— Ep. Peremysliensi. De eadem re certioratur	404
942.	» »	— Capitulo et Clero Leop. De eadem provisione	404
946.			
947.	» »	— S. Lytvynovyč. Dispensatio a censuris etc.	405
948.	» »	— Episcopo N.N. Iuramenti et prof. fidei Leopol.	406
949.	10.V.1864	— M. Barvinskyj. Praelatura domestica	406
950.	» »	— Ai. Vitošynskyj. Eadem dignitas conceditur	407
951.	12.VII.1864	— Ad perp. rei mem. Approbatio Capitulorum	407
952.	26.XII.1864	— J. Kalinskyj. De negotiis Ep. Chelmensis	409
953.	24.III.1865	— J. Sembratovyč. Eccl. tit. Nazianzena	411
954.	27.III.1865	— Eidem. Deputatio in Ordinantem Urbis	411
955.	18.XII.1866	— Metrop. Leopoliensi. Secunda instantia	412
956.	22.II.1867	— S. Pankovyč. Prov. Eccl. Munkacsiensis	413
957.	15.III.1867	— Eidem. Facultas utendi pileo	414
958.	6.VII.1867	— Ad perp. rei mem. Bulla canoniz. S. Josaphat	414
959.	1.X.1867	— J. Sembratovyč. Administrator Peremyslien.	425
960.	22.VI.1868	— M. Kuziemykyj. Prov. Eccl. Chelmensis	426
961.	3.VII.1868	— Eidem. Conceditur usus pilei	426
962.	8.IX.1868	— Hierarchiae orient. Invitat ad Synodum Univ.	427
963.	26.VI.1870	— J. Sembratovyč. Prov. Eccl. Metrop. Leopoliens.	429
964.	» »	— De eadem provisione aliae Bullae solitae	430
968.			
969.	» »	— J. Sembratovyč. Absolutionis et iuramentorum	431
970.			
971.	28.II.1871	— Ad futur. rei mem. Tertia instantia pro Leopol.	431
972.	15.III.1874	— J. Pastelyj. Prov. Eccl. Munkacsiensis	432
973.	» »	— Imperat. Austriae. De eadem provisione	434
974.	» »	— Archiep. Strigoniensi. De eadem re	434
975.	» »	— Capitulo, Clero, populo. De prov. Munkacsien.	435
978.			
979.	» »	— J. Pastelyj. Dispensationis	436
980.	» »	— Eidem. Consecrationis	437
981.	13.V.1874	— Hierarchiae ucrinae. De ritibus conservandis	438
982.	14.IX.1875	— Ad futur. rei mem. Usus Pontificalium Leopol.	441
983.	» »	— Ad futur. rei mem. Usus gestandi pileos Canon.	442
984.	8.III.1876	— Metrop. Leopoliensi. De tristic eventibus Chel.	443
985.	3.IV.1876	— N. Toth. Prov. Eccl. Prjašivensis.	444
990.			
991.	» »	— Eidem. Absolutionis	446
992.	» »	— Eidem. Consecrationis	446
993.	» »	— Imperat. Austriae. De eadem provisione	447
994.	13.VI.1876	— Professoribus Leopoliens. Respondit gratulant.	447
995.	8.XI.1877	— Nuntio Viennensi. Respondit refer. de Galicia	448

LEO XIII (1878-1903)

996.	28.II.1878	— Silv. Sembratovyč. Prov. Eccl. tit. Juliolopolitan.	453
997.	12.V.1882	— Ad futur. rei mem. Reformatio Basilianorum .	454
998.	11.X.1882	— J. Valyj. Prov. Eccl. Prjašivensis	459
999.	11.XI.1882	— S. Sembratovyč. Administratio Metrop. Leopold.	459
1000.	25.III.1885	— Ad perp. rei mem. Erectio Eparchiae Stanisl.	460
1001-) 1007.)	26.III.1885	— S. Sembratovyč. Prov. Eccl. Metrop. Leopoliens.	467
1008.	22.IX.1888	— A. Bieleckyj. Praelatura domestica	469
1009.	26.VI.1890	— J. Kuilovskyj. Prov. Eccl. tit. Hephestien. . .	470
1010.	1.IX.1891	— Nuntio Apost. Praesidentia in Synodo Leopold.	471
1011.	22.IX.1891	— J. Pelesz. Translatio ad Sedem Peremyslien. .	472
1012.	» »	— J. Kuilovskyj. Translatio ad Sedem Stanisl.	473
1013.	12.VIII.1892	— Ep. Prjašivensi. Adsistentia Solio Pontif. . .	474
1014.	29.V.1893	— Allocutio. Ad augurantes occasione iubilaei sac.	474
1015.	10.VII.1893	— Monachis Basil. Congratulatur de progressu	476
1016.	28.II.1894	— Ad perp. rei mem. Pontif. Capit. Peremyslien.	476
1017.	» »	— Ad perp. rei mem. Idem pro Capitulo Stanisl.	477
1018.	17.VII.1894	— Metrop. Leopoliens. Adsistentia Solio Pontif.	478
1019.	20.V.1895	— Hierarchiae ucrainae. De Synodo Leopoliensi	479
1020.	3.XI.1895	— Allocutio. Ad peregrinos ucrainos de Unione .	480
1021.	29.XI.1895	— Metrop. Leopold. Certioratur de promot. Card.	481
1022.	» »	— Consistorium. Promotio Metrop. Leopoliens. .	481
1023.	6.VII.1896	— Is. Dolnyckyj. Praelatura domestica	483
1024.	» »	— Josepho Melnickyj. Idem	483
1025.	10.IX.1897	— B. Levyckyj. Protonotariatus Apostolicus . .	484
1026.	18.XII.1897	— Ad perp. rei mem. Fundatio Coll. « rutheni »	485
1027.	23.V.1898	— Ep. Stanislapolitano. Adsist. Solio Pontif. . .	486
1028.	19.VI.1899	— A. Szeptyckyj. Prov. Eccl. Stanislapolitanae .	487
1029.	30.VIII.1899	— J. Kuilovskyj. Prov. Eccl. Metrop. Leopoliens. .	487
1030.	23.VI.1900	— Const. Czechovyč. Adsist. Solio Pontif.	488
1031.	17.XII.1900	— A. Szeptyckyj. Prov. Eccl. Metrop. Leopoliens. .	488
1032.	8.IV.1901	— Ad perp. rei mem. Insignia pro Capit. Perem.	490

B. PIUS X (1903-1914)

1033.	4.III.1907	— S. Ortynskyj. Prov. Eccl. tit. Daulinen. . . .	495
1034.	» »	— Eidem. Electio in Exarcham in America . . .	496
1035.	14.VI.1907	— Ad perp. rei mem. De erect. Exar. Americae	496
1036.	27.X.1908	— M. Mryc. Praelatus domesticus creatur . . .	502
1037.	29.IV.1912	— A. Papp. Prov. Eccl. Lyrbensis	503
1038.	» »	— Eidem. Consecrationis	504
1039.	» »	— Imperat. Austriae. De eadem provisione . . .	505
1040.	» »	— Archiep. Strigoniensi. Certioratur de eadem re	506
1041.	» »	— Capitulo et populo Munkacsien. De eadem re	507
1042.	15.VII.1912	— Ad perp. rei mem. Exarchatus Ap. in Canada .	508
1043.	» »	— N. Budka. Prov. Eccl. tit. Patarensis	509

1044.	15.7.1912	— Eidem. Designatur in Exarcham Canadensem .	510
1045-1052.	} 1.VI.1913	— J. Grobelskyj et aliis. Praelatura domestica .	511
1053.		20.XI.1913	— S. Novak. Provisio Eccl. Prjašivensis
1054.	20.XI.1913	— Eidem. Consecrationis	513
1055.	» »	— Imperat. Austriae. De eadem provisione . . .	513
1056.	» »	— Archiep. Strigoniensi. De adem provisione . .	514
1057.	» »	— Capitulo et populo. De eadem re	515

BENEDICTUS XV (1914-1922)

1058.	5.XII.1914	— D. Nyaradi. Prov. Eccl. tit. Abilensis	519
1059.	» »	— Eidem. Consecrationis	520
1060.	29.I.1917	— J. Kocylovskyj. Prov. Eccl. Peremyslien. . . .	521
1061.	» »	— Imperat. Austriae. De eadem provisione . . .	522
1062.	» »	— Metrop. Leopoliensi. De eadem re	523
1063.	» »	— Capitulo et Clero, populo. De eadem provisione	524
1064.	» »	— J. Kocylovskyj. Consecrationis	524
1065.	18.V.1917	— J. Drohobeckyj. Transl. ad tit. Polybotensem	525
1066.	2.IV.1920	— D. Nyardi. Translatio ad Crisiensem Ep. . . .	526
1067.	» »	— Archiep. Zagradiensi. De eadem translatione	526
1068.	» »	— Capit. Clero et populo. Crisien. De eadem re	527
1069-1073.	} 11.V.1920	— Al. Bačynskyj et alii. Protonot. Ap. et Praelat.	527
1074.		21.II.1921	— Metrop. Leopoliens. De restaurat. Sem. in Urbe

PIUS XI (1922-1939)

1075-1076.	} 27.III.1923	— C. Bohachevsky. Protonot. Ap. et B. Pynylo .	533
1077.		12.XI.1923	— Hierarchiae univ. De CCC mart. S. Josaphat
1078.	8.V.1924	— C. Bohachevsky. Prov. Eccl. tit. Amisenae . .	541
1079.	» »	— B. Takach. Prov. Eccl. tit. Zelitenae	543
1080.	» »	— Metrop. Leopoliens. Indulgentia plen.	543
1081.	14.VII.1924	— A. Papp. Translatio ad tit. Cyzicensem	544
1082.	16.VII.1924	— P. Gebey. Prov. Eccl. Munkacsiensis	545
1083.	10.II.1926	— Gr. Lakota. Prov. Eccl. tit. Daoniensis	546
1084.	» »	— Eidem. Consecrationis	548
1085-1086.	} 7.III.1927	— P. Gojdič. Prov. Eccl. tit. Harpasenae	548
1087.		26.XII.1928	— N. Rusnak et J. Korotnoki. Praelat, dom. . . .
1088.	20.V.1929	— B. Ladyka. Prov. Eccl. tit. Abydenae	550
1089.	17.IX.1929	— J. Bučko. Prov. Eccl. tit. Cadoënae	552
1090.	24.XI.1929	— J. Latyševskyj. Prov. Eccl. tit. Adadensis . . .	553
1091.	16.I.1931	— N. Czarneckyj. Prov. Eccl. tit. Lebediensis . . .	555
1092.	3.V.1932	— Al. Stojka. Prov. Eccl. Munkacsiensis	556
1093.	12.VII.1932	— Ad perp. rei mem. Indulg. plen. pro Ver. b. . . .	557
1094.	15.XII.1932	— B. Hadžega. Praelat. dom.	558
1095.	» »	— J. Sztankay. Idem	559

PIUS XII (1939)

1096.	18.V.1939	— A. Szeptyckyj. Solio Pontif. Adsisrens . . .	563
1097.	25.XI.1939	— J. Slipyj. Prov. Eccl. tit. Serrenis	564
1098.	» »	— Ep. Suffrag. Leopoliens. De eadem provisione	566
1099. }	» »	— Capit. et Clero Leopoliens. De eadem re . . .	567
1100. }			
1101.	19.VII.1940	— P. Gojdič. Translatio ad Prjašivensem Ep. . .	567
1102. }	9.V.1942	— J. Šimrak. Prov. Eccl. Crisiensis	569
1103. }			
1104.	» »	— Archiep. Zagradiensi. De eadem provisione . .	570
1105.	6.VII.1942	— Ambr. Senyshyn. Prov. Eccl. tit. Mainensis . .	571
1106.	3.IV.1943	— Nilo Savaryn. Prov. Eccl. tit. Jotanae	572
1107.	23.XII.1945	— Universis. De CCCL Unionis Berestensis . . .	574
1108.	30.VIII.1946	— Danieli Ivancho. Prov. Eccl. tit. Europensis .	592
1109.	2.I.1947	— B. Hopko. Prov. Eccl. tit. Midilensis	594
1110.	3.III.1948	— Ad perp. rei mem. Erectio Exarch. in Canada	595
1111.	» »	— N. Savaryn. Translatio ad Exarch. Occident.	598
1112.	» »	— And. Roboreckyj. Prov. Eccl. tit. Tanaitanae .	599
1113.	» »	— Is. Boreckyj. Prov. Eccl. tit. Amatusiensis . .	601
1114.	15.V.1949	— Const. Bohachevsky. Anno XXV suscepti Episc.	602
1115.	19.III.1951	— Ad perp. rei mem. Erec. Exarch. Saskatchewan	603
1116.	» »	— M. Hermaniuk. Prov. Eccl. tit. Sinnensis . . .	606
1117.	16.IV.1951	— J. Bučko. Adsisentia Solio Pontificio	607
1118.	23.II.1952	— Gab. Bukatko. Prov. Eccl. tit. Severianensis .	603
1119.	25.VIII.1952	— N. Elko. Praetus domesticus	610
1120.	14.XI.1952	— Audientia. Pontif. Coll. S. Josaphat	610
1121.	15.XII.1952	— Hierarchiae Orient. De persec. Eccl. in Ucraina	612
1122. }	1923-1953	— Diversis. Praelat. dom. et Protonot. Ap. . . .	618
1136. }			
1137.	4.V.1953	— J. Bučko. Translatio ad Eccl. tit. Leucadensem	619
1138.	2.II.1954	— Const. Bohachevsky. Provisio Beroën	621
1139.	9.VI.1954	— Basilio Ladika. Occasione XXV Episcop.	622
1140.	14.VI.1954	— Ad perp. rei mem. Confirm. Const. OSBM . . .	623

Finis voluminis secundi

INDEX TABULARUM

1. Daniel - Rex Ucrainorum. Opus sculpt. Pavlosj.	V
2. Joannes Bučko - Archiep. Leucadensis. Opus luce impr. G. Felici.VIII	
3. Audientia Hierarchiae Ucrainae an. 1929, die 29.X.	145
4. Audientia PP. Basilianorum, an. 1949, die 5.XII.	160
5. Bulla promotionis N.N. Savaryn, Ep. tit. Jotani	305
6. Ucraina annis 1914-1920. Ex <i>Enc. of Ukraine</i> , Monachii	320
7. Audientia peregrinorum ucrainorum, an. 1950, die 20.IX. . . .	593
8. Audientia communitatis ucrinae romanae, an. 1952, die 14.XI. .	608

p. Joankij osbm
Scansione
12.12.2020, Roma

INDEX GENERALIS

DEDICATIO	V
PRAEFATIO	VII
INTRODUCTIO	IX
DOCUMENTA Clementis PP. XI	5
Innocentii PP. XIII	43
Benedicti PP. XIII	49
Clementis PP. XII	69
Benedicti PP. XIV	79
Clementis PP. XIII	169
Clementis PP. XIV	203
Pii PP. VI	241
Pii PP. VII	311
Leonis PP. XII	343
Pii PP. VIII	349
Gregorii PP. XVI	353
Pii PP. IX	381
Leonis PP. XIII	453
Pii PP. X	495
Benedicti PP. XV	519
Pii PP. XI	533
Pii PP. XII	563
INDICES	621
INDEX NOMINUM	623
INDEX CHRONOLOGICUS vol. I-II	641
INDEX TABULARUM	668
INDEX GENERALIS	669
ERRATA vol. I-II	671

ERRATA CORRIGE

Aliqua quae notavimus hic corrigere utile fore duximus.

Vol. I

PAG.	LINEA (de supra)	SCRIPTUM	DEBET ESSE
19	13	constitutis	constituti
19	18	dicente	docente
20	5	perfectum	profectum
20	11	manum	nostram
20	12	relinquens	relinquens
21	3	status	statu
21	22	displicent	displicent
23	12	et	ne
29	10	affecteris	affectetis
33	8	peritiones	petitiones
33	28	volontes	volentes
38	24	illustium	illustrium
55	13	Regnas	Regnans
60	22	partenis	paternis
103	16	Archiepiscopis	Archiepiscopis
111	2	-----	Romae, 4.IV.1434
136	34	Privilegiorum	Privilegiorum
136	35	Bullarum	Bullarium
167	4	spectata	spectat
328	13	Crocoviensi	Cracoviensi
348	32	Aerchiepiscopo	Archiepiscopo
386	ultima	19-XII-1616, nr. 222	19-XII-1614, nr. 249
417	10	plocensi	Plocensi
428	24	Tuam... eius	Tuae... nostrae
429	8	moto	noto
431	35	Poannes	Joannes
437	12	venerata	venenata
437	13	nostra	monstra
453	17	frusta	frustra
458	21	-----	Ad futuram... memoriam
529	33	omnio	omnino
560	23	sanctam	sartam
563	12	Nobilitati	Nobilitatis
588	25	canonivee	canonice
635	16	Romae, 10.XII.1676	Romae, 19.XII.1676
658	18	Hodinka A.,	Hodinka A., op. cit., p. 289
663	9	catholica... summo fit	catholicae... summa sit

Vol. II

82	40	depositio	dispositio
113	9	actitus	actibus
131	32	Congreagatione	Congregatione
145	23	impressi	impressis
151	25	Sane	Sane
193	35	Tyrynka	Turynka
201	4	176	1769
214	6	Monchorum	Monachorum
263	21	Romae, II.1782	Romae, 26.II.1782
289	8	sanctae	sancte
295	14	19.II.1795	19.IX.1795
375	28	hortatus	hortatur
386	25	Michaaeli	Michaeli
411	31	Peremyliensis	Peremyliensis
535	18	Homorius	Honorius
535	27	Isidorum	Isidorus
570	16	sopra	supra

